J. C. Mattes' Collection

13.0

Digitized by the Internet Archive
in 2023 with funding from
Kahle/Austin Foundation

https://archive.org/details/quellenzurgeschi0000reuj_j6l1

Quellen

zur

Geschichte des kirchlichen Unterrichts

in der

evangelischen Kirche Deutschlands

zwischen 1530 und 1600.

Eingeleitet, herausgegeben und zusammenfassend dargestellt

von

D. Johann Michael Reu,
Professor der Theologie am lutherischen Wartburg-Seminar zu Dubuque, Ja.

Erster Teil:

Quellen zur Geschichte des Katechismus-Unterrichts.

II. Mitteldeutsche Katechismen.

Gütersloh. »Germany«

Druck und Verlag von C. Bertelsmann.
1911.

Quellen

zur

Geschichte des Katechismus-Unterrichts.

Zweiter Band:

Mitteldeutsche Katechismen.

Zweite Abteilung:

Texte.

Property of
CBPU
Please return to
Graduate Theological
Union Library

Gütersloh. »Germany«
Druck und Verlag von C. Bertelsmann.
1911.

BX6076
R32
v.1, pt.2B

BX
8068
A1
R4
1904
v.1:2:2

PACIFIC LUTHERAN
THEOLOGICAL SEMINARY
THE LIBRARY
90-625806

Inhaltsverzeichnis.

I. Sächsisch-thüringische Katechismen.

		Seite
1.	Der dem Melanchthon zugeschriebene Catechismus puerilis von 1532	1
2.	Die Catechesis puerilis des Melanchthon von 1540	16
2a	Melanchthons Katechismus von 1549	678
3.	Der Katechismus des Seb. Fröschel von 1559	59
4.	Die Katechismuspredigten des Paul Eber von 1562	83
5.	Das Examen ordinandorum des Melanchthon	95
6.	Die Wittenberger Catechesis von 1571	119
7.	Kurtze vnd Notwendige Fragen des Pezelius von 1571	156
8.	Der Katechismus des Äg. Hunnius von 1592	161
9.	Der Katechismus des Just. Menius von 1532	165
10.	Der Katechismus des C. Aquila von 1538	173
11.	Der Kinderglaube des G. Rhau von 1539	204
12.	Melissanders Hauskleinod für Altenburg von 1582	207
13.	Ordnung der Kinderlehr für Buttelstadt von 1588	210
14.	Die Tirocinia Theol. christ. des Rhodomannus von 1596	213
15.	Luthers Katechismus in Fragstücken von M. Bischoff von 1599	218
16.	Der Katechismus des Nik. Hercko von 1554	243
17.	Chr. Fischers Summa der christlichen Lehre von 1552 resp. 1556	263
18.	Chr. Fischers Auslegung der 5 Hauptstücke von 1573	273
19.	Mechlers Katechismus für Erfurt ca. 1540	682 u. 279
19a	Die Luther zugeschriebenen Fragstücke (1549)	687
20.	Eine christliche Hauslehre. Erfurt 1568	279
21.	Ludw. Helmbolds Catechismus von 1576	284
22.	Joh. Spangenbergs kleiner Katechismus von 1541	285
23.	Joh. Spangenbergs großer Katechismus von 1541	299
24.	Des Joh. Clajus viersprachiger Katechismus von 1572	328
25.	Das Lehrbüchlein des Luk. Martini von 1589	328
26.	Das Enchiridion des Georg Ämilius von 1557	338
27.	Das Compendium doctrinae d. Judex, viersprachig herausg. v. Mich. Neander	349
28.	Des Mich. Coelius Beichtvermahnung	358
29.	Des C. Spangenberg Tabulae catech. von 1557	362
30.	Der Katechismus des C. Spangenberg von 1564	364
31.	Des Andr. Fabricius Axiomata scripturae von 1582	369
32.	Der Katechismus für Anhalt von 1599	375
33.	G. Walthers Beicht- und Betbüchlein von 1581	393
34.	Hier. Hahns Christl. Kleinod von 1595 resp. 1596	398
35.	Der Catechismus des Leonh. Jacobi von 1552	401
36.	Vorrede zu G. Majors zweisprach. Schulausg. d. Kl. Kat. Luthers v. 1531 resp. 1533	433
37.	Joh. Baumgartens Katechismus von 1552 resp. 1559	434
38.	Des Joh. Wigand Methodus von 1557	442
39.	Die Fragestücke des Chil. Friederich von 1572	461
40.	Das Enchiridion des H. Homelius von 1591	484
41.	Der Inhalt christlicher Lehre des Joh. Döltz von 1530	494
42.	Das Handbüchlein des Dav. Kauxdorff von 1568	497
43.	Jungfrau-Schulordnung zu Torgau von 1543 resp. 1565	499

7709

Seite

44. Lehrbüchlein des Katech., herausgegeben von L. Vulpinus 509
45. Das Examen Laicum des H. Opitius von 1583 521
46. Ad. Sibers Sabbatum Puerile von 1575 564
47. Die zweisprachige Catechesis des H. Magdeburg von 1560 579
48. Luthers Katechismus ausgelegt von Dresser von 1581 588
49. Des Camerarius *Κεφάλαια Χριστιανισμοῦ* von 1545 600
50. Des Camerarius *Κατήχησις* von 1551 resp. 1563 605
51. N. Selnekkers Capita Doctrinae von 1562 613
52. N. Selnekkers Catechesis von 1575 622
53. Die Quaestiunculae des Alb. Lyttichius von 1572 resp. 1575 626
54. Die Fragestücklein des Seb. Leonhart von 1588 643
55. Der Katechismus des Leonhart (?) von 1589 654
56. Die Anthologia des M. Trage von 1593 655
57. Der Torgauer Katechismus von 1594 658
58. P. Leysers lateinisch-deutscher Katechismus von 1600 673
2ª Melanchthons Katechismus von 1549 678
19. Ägid. Mechlers Katechismus ca. 1540 . . . . . 279 u. 682
19ª Die Luther zugeschriebenen Fragstücke 687
Anhang: Die Joachimsthaler Katechismuserklärung von 1574 689

II. Schlesische Katechismen.

1. Der Katechismus des Ambr. Moibanus von 1533 710
2. Der Katechismus des Ambr. Moibanus von 1535 714
3. Der Katechismus des Ambr. Moibanus von 1537 resp. 1538 741
4. Der Kinderglaube des Lasius von 1551 resp. 1575 755
5. Schwenckfelds Katechismus von 1531 757
6. Joh. Werners Katechismus von 1546 762
7. Die Catechesis des Trotzendorf von 1558 773
8. Die Methodi des Trotzendorf von 1564 resp. 1575 794
9. Der Katechismus des L. Krentzheim von 1579 849
10. Der Katechismus des Fr. Rosentritt von 1568 877
11. Der Christianismus des G. Roth von 1565 901
12. Die Capita Pietatis des Joh. Ferinarius von 1571 914
13. Der Katechismus des Greg. Storch von 1555 933
14. Fragestücke für die Jugend zu Jauer von 1591 937
15. Fragstücke für die Kinderlein von 1578 960
Anhang zu d. schles. Kat.: Das Enchiridion fidei christ. v. M. Gryphius v. 1583 962

III. Hessische Katechismen.

1. Der Katechismus des Ant. Corvinus von 1537 resp. 1539 978
2. Der Katechismus des Joh. Draconites von 1542 1012
3. Der Katechismus des Petr. Wertheim von 1545 1019
4. Die Educatio doctrinae puerilis von 1549 (Butzer) 1020
5. Die Quaestiones sacrae des R. Hadamarius von 1552 1024
6. Der deutsch-lateinische Katechismus, Marburg 1554 1038
7. Die Elementa christ. religionis des Hyperius von 1563 1046
8. Die Konfirmandenfragen aus der KO von 1566 1078
9. Ein hessischer Katechismusentwurf von 1571 1083
10. Die Kinderbibel des Jos. Opitz von 1583 1091
11. Der Frankfurter Katechismus von 1542 1104
Anhang: Die einfältige Unterweisung des Flacius von 1577 1114

Texte.

II.

Quellen zur Geschichte des Katechismusunterrichts in Mitteldeutschland.

I. Sächsisch-thüringische Katechismen.

1. Der dem Melanchthon zugeschriebene Catechismus puerilis von 1532.

Catechismus Puerilis, id est institutio puerorum in sacris.

Philippus Melan. ad pueros.

Si qua dei tangit puram reuerentia mentem,
Et iusto Christi nomen honore colis,
Si quo res e fonte fluunt, quod omnia numen
Et regit et seruat, cernere mente soles,
Haec puer illius ueneranda oracula disce,
Jesseae quondam quae sonuere fides.
Illius ut Mosi per saxa gloria uisa est,
Panditur hoc etiam carmine, crede puer.

Oratio ante ingressum ludi dicenda. A1b

Deus patrum nostrorum, et domine misericordiae, qui fecisti omnia uerbo tuo, et sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturae, quae a te facta est, ut disponat orbem terrarum in aequitate et iustitia, et in directione cordis iudicium iudicet, da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis, quoniam seruus tuus ego sum, et filius ancillae tuae, homo infirmus, et exigui temporis, et minor ad intellectum iudicii tui et legum. Et si quis erit consummatus inter filios hominum, si fugerit ab illo sapientia tua, in nihilum computabitur. Mitte illam de coelis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit, et mecum laboret et sciam quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia et intelligit, et deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia. Et erunt accepta opera mea, Amen. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

Psalmvs.

Legem pone mihi domine, uiam iustificationum tuarum, ut exquiram eam semper. Viam iustificationum tuarum instrue me, et exercebor in mirabilibus tuis. Viam iniquitatis amoue a me, et miserere mei. Da mihi intellectum, et scrutabor legem A 2. tuam, et custodiam illam in toto corde meo. Inclina cor meum in testimonia tua, et non in auariciam. Auerte oculos meos ne uideant uanitatem, in uia tua uiuifica me. Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi. Confige timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis timui. Domine exaudi orationem meam, et clamor meus ad te ueniat.

Oratio.

Actiones meas quaeso domine, adspirando praeueni, et adiuuando prosequere, ut cuncta opera mea a te semper incipiant, et per te coepta finiantur. Illum mihi quaeso domine ignem immitte, quem dominus Jesus misit in terram, et uoluit uehementer accendi. Domine pater, et deus uitae meae, ne derelinquas me in cogitatu aduersariorum meorum, extollentiam oculorum ne dederis mihi, et omne desiderium prauum auerte a me, aufer a me uentris concupiscentias, et concubitus concupiscentiae ne apprehendant me, Amen.

Precatio. Num. 6. Authore Phil. Mel.

Optime Christe tuae quaeso benedicito turbae
Atque inter uitae saeua pericla tege.
Te dabis, ut cernant uelle esse patremque deumque.
Certa uenit nobis, si miserere, salus.
Placatumque animum, uultusque ostende paternos,
Prosperaque eueniant cuncta fauore tuo.

Decalogus Qui decem praecepta continet, primo maxime necessarius pueris:

1. Non habebis deos alienos coram me — — 10. Ne desiderabis uxorem eius — quae illius sunt.

Secundo primarii religionis nostrae articuli, qui sunt:

A 3. Credo in deum patrem omnipotentem, creatorem — — uitam aeternam, Amen.

Postremo Dominica precatio, quam Christus dominus noster discipulis suis, Matth. 6. tradidit:

Pater noster — libera nos a malo, Amen.

Tribus hisce praeceptis opere precium est, ut de sacramentis nostris (quae Christus ipse instituit), Baptismi nempe et corporis et sanguinis Christi loqui possimus, uidelicet uti textum teneant pueri, quo Christus in fine Evangeliorum Matthaei et Marci, discipulis suis ualedicit, et in terrarum emandat orbem. Inquit:

Ite docete omnes gentes — — saluus erit. Qui uero non crediderit, condemnabitur.

De sacramento Eucharistiae, breuia et simplicia Pauli uerba satis est tenere:

Dominus noster Jesus Christus, ea nocte qua — — biberitis in mei commemorationem.

Et quia iuuentus freno indiget, et crebris terriculamentis per legem terrenda est, quae data est tonitru, fulgure, caligine. Exodi. 19. quo significatum est lege terreri conscientias, siquidem opus legis est conturbare conscientiam, ostendere peccatum, iubere recta, ut cognitum peccatum humiliaret et ad gratiam Christi quaerendam inuitaret humiliatos, dicente Paulo, Gal. 3. Lex paedagogus noster fuit.

A 4. Est autem lex sententia, qua bona tum praecipiuntur, tum mala prohibentur. Lex autem propter duas caussas docetur, Primum, ut metu poenarum, quas lex minatur delinquentibus, coerceantur hi qui non habent spiritum sanctum, dicente Paulo, Lex est iniustis posita. Secundo lex est docenda, ut humiliet et terrorem incutiat peccatoribus, ut poenitentiam agant, sicut Paulus ait, Per legem cognitio peccati.

IN DECALOGUM Phil. Mel.

Diuino praecepta puer si prodita ab ore
et facies casto pectore iussa dei.
Ipse pater uitae cursum moderabitur omnem,
nec fortuna tibi saeua nocere potest.

Decem Praecepta. Primum. Exodi 20. Ego sum dominus deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis. Non habebis deos alienos coram me.[1])

Primum praeceptum exigit timorem dei, quia minatur saeuerissime, daturos nos deo poenas peccatorum in tertiam et quartam generationem, exigit item fiduciam erga deum, quia pollicetur deum auxilium laturum esse diligentibus eum. Et proprie ad adfectus refertur, ne quid amemus, formidemus praeter Deum, ne nostris operibus, uirtute, prudentia, iustitia, aut ulla plane creatura fidamus, sed sola dei bonitate, sic et Salomon in gnomis suis hanc legem interpretatur. Hic praecipitur iuuentuti, ut deo fidat, deum timeat, nec uelut ἄθεος, quo suis Ethnicos turpiter uiuendo superet. Docetur hic, ut a deo prosperum studiorum cursum petat, docetur iuuentus, ut se deo totam, quanta, quanta est in manus, quod aiunt, det. Ita sane nihil aduersi unquam ei oboriri poterit.

Vis Huius Legis Et interpretatio: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis uiribus tuis. Deus autem unus est, Deute. 4. qui solus firmauit orbem terrarum et omnia quae in eis sunt, dii alii non sunt dii.

Impingunt in hanc legem. Qui deum ex toto corde non amant, qui ab auxiliis et intercessionibus sanctorum pendent, qui extra fidem propriis operibus quaerunt salutem, qui diuitias, gloriam, huius mundi pompam, uoluptatem et quicquid est harum uanitatum maioris faciunt quam deum, qui pro uero deo idolum sapientiae suae colunt, qui sapientes sunt in oculis suis, ut a deo abscondant consilia, qui caereis et lampadibus succensis deferunt idolis, item qui in templis eadem statuunt et adorant ea, qui liberum arbitrium iactant, omnes sortilegi, diuini, malefici, incantatores, augures, aruspices, astrologi, et qui naturae maiora tribuunt quam deo.

Est ergo primi praecepti opus, fidere deo, diligere ac timere deum, A 5.
quasi diceret. Primum omnium necesse est o puer, ut cor tuum concipiat me tibi esse deum, et qui tui rationem habeam. Caue, ne alium praeter me deum uel colas uel quaeras, et quicquid tibi bonorum deest, hoc de me tibi pollicere, et apud me quaere. Sin malis, infortunio, calamitate graueris, adfligaris, ad me te recipe, ad me te proripe. Ego ego efficiam, ne tibi quicquam desit, quin et ex omni te eripiam aerumna, modo cor tuum alii non adfixum sit nec in alio praeter me, quietem capiat et tranquillitatem quaerat.

Secundum Praeceptum. Non assumes nomen domini dei tui inuanum.

Hoc praeceptum exigit, ut inuocemus nomen dei, id est enim recte, uti nomine dei, in secundis rebus agnoscere, quod sint dei bene-

[1]) A. R.: De affectu loquitur.

ficia, in aduersis rebus auxilium postulare et expectare a deo, ideoque inquit, nomen dei nequaquam inuanum adsumito, id est, laudibus uehe et nomen et gloriam dei, implora nomen dei, confuge ad illud, uelut ad sacram, ut dicunt ancoram, et ut Psalmographus, Psal. 49. praeceptum hoc exponit. Imola deo sacrificium laudis, et redde altissimo uota tua, et inuoca me in die tribulationis et eruam te et honorificabis me. Huc facit illud Johel. 13. (so statt: Hos. 14, 3). Reddemus uitulos labiorum nostrorum. Porro, quid hic commemorandum, quam iuuentus nomen dei temere usurpet? ut alias nominis dei abusiones omittamus, quid uero referamus de hoc? quod plerique nullum verbum fere faciunt, quin dei nomen admisceant, sunt qui adeo per nomen dei iurare assueuerunt, ut illius desuescere sit difficillimum, uerum quam utrisque uanus ille et temerarius nominis dei usus fraudi futurus sit, Moses indicat, Exodi 21. Non usurpabis, inquit, nomen dei tui frustra: nec enim insontem habebit dominus eum, qui assumpserit nomen domini dei tui frustra, id est, nemini hoc condonabitur, nec impunitum relinquetur. Item sermones impii perjuria hoc praecepto prohibentur, sicut et Apostolus, Coloss. 4. admonet. Sermo uester sit gratiosus semper et sale conditus. Eph. 5 uetat scurrilitatem et urbanitatem. Et ad Corinth. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Prouerbio. 4. Remoue a te os prauum.

Blasphemant nomen dei, qui temere iurant, et pro quacunque re leuicula deum in testem adhibent, qui diuinas scripturas ludibrio habent, qui totam passionem et sanctorum nomina ore suo pollutissimo prophanant.

Sicut igitur primum praeceptum adfirmatiuum est, exigens fidem et amorem ac metum dei, ita et hoc adfirmatiuum est, exigitque ut celebremus nomen et gloriam dei, inuocemus nomen dei, profugiamus ad nomen dei, psallemus secundum Dauidem nomini eius, laudemus, celebremus beneficentiam erga nos dei, agamus gratias, planeque omnia a nobis fiant, ut ait Apostolus, in laudem domini, vides itaque e priore mandato secundum promanare. Qui enim non timet deum, qui non fidit deo, nunquam is nomine eius bene utitur.

A 6. Tertium Praeceptum: Memento ut diem sabbati sanctifices.

Caput huius praecepti est, ut dies festos sanctificemus, hoc est, sanctis studiis consecremus. Sancta uero studia sunt, praecibus incumbere, concionibus uerbi diuini interesse, beneficia, quibus nos deus immerentes per Christum ornauit ornatque, in animum reuocare, illi beneficiorum acceptorum erga nos gratos praebere.

Et quamuis hoc praeceptum de sabbatis, quae Judaei sacra et fuerunt et sunt, loquatur: tamen nos de omnibus diebus festis accipere possumus, siue dies sabbati, siue dies dominicus, siue alius quispiam dies festus in hebdomade receptus sit. Et nos hoc praeceptum imitamur propter corporalem utilitatem, ut sciat populus quando conuenire ad audiendum uerbum dei debeat.

Verum hic nihil aliud praecipitur quam ut ne nos operemur, sed patiamur spiritum operantem in nobis, haec est requies spiritus, quae est tollerantia, patientia omnis aduersitatis, ita, ut caro prorsus sit ociosa, et non operetur, operetur autem tantum in nobis dominus. Qui enim

carnem suam continuo mortificant, illi sabbatum sanctificant et in hoc praecepto plane id exigitur, quod in oratione dominica precamur. Adueniat regnum tuum, id est, tu nos rege, guberna, prouide nobis. Quod si quis te uehementer laeserit ita, ut ex animo doleas, cessa, et sine deum operari in te, et mortificare carnem tuam, et porro tibi dominus impartiat spiritum suum.

Sic igitur facimus hoc praeceptum, cum non solum die dominico temperamus ab opere manuali, uerum multo magis ab operibus tenebrarum, quietique et attenti sumus quid loquatur dominus deus noster nobis. Estque plane fidelibus, sabbatum magis spirituale quam corporale, quod multis in Evangelio probat Christus. Non sanctificant hoc sabbatum, qui uanitatibus, choreis, ebrietatibus, comessationibus student hoc die, atque tunc praecepto satisfecisse se putant, si ab opere tantum externo cessauerint.

Vides itaque tria praecepta, deo fidendum esse, laudandum esse deum, et tollerandum eius opus in nobis. Nam qui deum diligit, is haud dubie fidit, timet, laudat, tolleratque ardentissimo spiritu.

Haec tria praecepta primae tabulae docent, quid deo debeas, nempe fiduciam, timorem, laudem et mortificationem carnis. Nam spiritus non datur, nisi prius mortificata caro fuerit. Timor autem domini est diffidentia nostrae prudentiae, agnoscere omnia in manu dei esse posita, neque prudentia nostra sine deo quicquam usque effecturos neque iusticiam nostram coram deo ualituram esse. Haec est nostri mortificatio, condemnatio, et peccati agnitio, quae fit cognita lege. Haec cognitio humiliat, humiliatio auxilium quaerit et gratiam, auxilium et gratia salus est.

Seqvvntvr secvndae tabulae praecepta, quae, quid proximo debeas docent, et huc refer caput. 5. Matth.

Quartum praeceptum: Honora patrem tuum et matrem A 7
tuam, ut sis longaeuus super terram, quam dominus deus
tuus dabit tibi.

Quartum iubet parentes et magistratus, et omnes qui gerunt officium parentum, hoc est omnes qui praesunt, honore affici. Honora patrem et matrem, ut bene sit tibi et longaeuus sis super terram, id est, parentibus obtempera, illos cole, metue, illis pro re sucurre, coram illis caput aperi, adsurge, sine illos priores partes habere, obedi illis in omnibus. Sic enim Paulus ad Coloss. 3. inquit. Filii obedite parentibus in omnibus, hoc enim placet deo.

Caeterum, hoc praeceptum non tantum a iuventute exigit, ut parentibus, ex quibus lucis huius primordia sumpsit, honorem habeat, sed etiam magistratibus obediat, illos colat, metuat. Nam et illi parentum numero sunt, ut qui non secus atque parentes, ut res et publicae et priuatae singulorum in tuto collocentur, sedulo prospiciunt. Huc refer illud Pauli ad Rom. 13. Omnis anima potestatibus excellentibus subdita sit. Et 1. Pe. 2. Subditi estote.

Exigit hoc praeceptum ut iuuentus uiros maiores natu honoret, ueneretur, amet, obseruet. Unde Paulus 1. Tim. 5. Seniorem ne saeuius obiurgaris, sed adhortare ut patrem. Sub haec iuuentus in hoc praecepto

docetur, ut praeceptoribus animorum parentibus, quibus ad bonas literas informanda credita est, honorem tribuat, illos colat, metuat. Si enim parentibus corporis honor debetur, quod in lucem liberos ediderint: merito et honor praeceptoribus debetur: ut qui id, quod parentes progenuerunt, honestis et moribus et literis formant, ne bestiae magis quam hominis similes existant.

Jubet uero honorare patrem et matrem, quod plus est, quam seruire. Qui enim non honorat parentes, hunc persequetur, dominus, ut in Absalome factum esse cernis. Et Prouer. 19. Qui adfligit patrem. Porro, ut iuuentus propensioribus animis parentes, tam corporis quam animi obseruet, moueat eam exemplum Christi, quit ut Lucas scribit. Descendit cum parentibus, et erat subditus illis.

Duplex autem honor parentibus debetur. Externus, qui est in ceremoniis et exteriori cultu, quo uerbis benignis, mansuetis, et opere illis deferimus: internus, quo intus eos complectimur in corde, atque ex animo diligimus, utrunque cultum poscit a nobis lex, secus olim Pharisaei docuerunt, Matth. 25. Et hodie nostri Papistae, propter traditiones suas monasticas, irritam fecerunt hanc legem. Et hic honor complectitur timorem et cultum, discipulus praeceptori, ciuis magistratui, filius patri, et quisquis suo superiori obtemperabit ex animo.

Quintum Praeceptum: Non occides.[1]) Quintum, sextum, septimum praeceptum enarrauit Christus Matth. 6. Hoc autem ipse Christus sic exponit. Audistis quod dictum sit ueteribus, Non occides. Quisquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis: Quisquis
A 8. irascitur fratri suo temere, obnoxius erit iudicio. Quicunque uero dixerit fratri suo, racha, obnoxius erit concilio. Quisquis uero dixerit, fatue, obnoxius erit gehennae incendio. Exigit ergo hic a iuuentute deus, ne homicidium perpetret, ut quod deus nunquam inultum patietur. Exemplum habes in Chain, Gene. 4. Exigit ut iram frenet. Unde ad Ephe. 4. Paulus inquit. Irascimini et ne peccetis, Sol non occidat super iram uestram.

Est ergo praeceptum, Homicidium ne committito, hoc est, neminem manu occide, nemini morde, neminem uerbis probrosis incesse, nemini succense, sed ex animo faveas, non offendas lingua, et quicquid est tale.

Hic prohibentur aemulationes, calumniae, detractiones, simultates, irae, odia et uindictam uetat quoque haec lex. Tum et praecipit hoc praecepto, ut simus corde erga quosuis dextro, candido, liberali, exposito ad quaeuis officia, ne malo malum retaliemus, ne litigemus de rebus nostris breuiter, ne resistamus malo, denique, ut amemus etiam inimicos, idque liberaliter et candide.

Maximum flagitium est effundere sanguinem humanum Gene. 9. Unde nemini licet occidere praeterquam magistratui, cuius interest sontes plectere, Rom. 13.

Sextum Praeceptum: Non moechaberis.[2]) Satisfactum putamus, si non designemus flagitium externo opere. Christus uero sic

---

[1]) A. R.: Ad personam proximi pertinet.
[2]) A. R.: Ad uxorem proximi quia eius caro est.

exponit ut doceat exigi castitatem, et puritatem cordis, ita, ut neque cupiamus turpia. Sic enim huius praecepti uerba sonant. Non sis adulter, uel adulterium ne committito, id est, Tu quantus quantus es, et corpore et animo, ne adulterio te conspurca, ne corpus libidinibus aestuet, ne mens cupiditatibus uenereis ardeat, oculos, manus conprime. Nam sic Christus Matth. 5. praeceptum hoc exponit. Audistis quod dictum fuerit antiquis. Non committas adulterium. At ego dico uobis, quod quicunque aspexerit uxorem alterius, ad concupiscendum eam, iam adulterium cum ea commisit in corde suo. Atque hic audit iuuentus, deum summam castimoniam exigere, audit libidinem omnem, siue illa adulterio siue scortatione fiat, prohiberi. Nam scortatione nulla maior, nulla turpior pestis homini accidere potest, ut quae totum hominem adeo commutat, ut non agnoscas eundem esse. Testis est Dauid, quo nemo magis masculus, nemo cordatior erat, at is, ubi turpissimae libidinis aestu exardet, adeo sui dissimilis euadit, ut uere de illo uerbis pauculis commutatis dicere posses. O quantum mutatus ab illo es Dauide, usque adeo uerum illud Oseae 4. Fornicatio et uinum et ebrietas auferunt cor. Accedit huc quod cum deus. Opt. Max. praecipiat, ut corpori nostro suum honorem, qui est sanctificatio, ut Paulus inquit, et puritas, indelibatum seruemus.

Absterreant iuuentutem a Scortatione scripturae sacrae, quae tam crebro et prohibent et poenam huic libidini propositam certo adfirmant, Paulus, 1. Corinth. 6. Fugite scortationem inquit. Thessal. 4. Haec est uoluntas dei sanctificatio uestra, ut abstineatis a scortatione, et sciat unusquisque uestrum suum uas possidere cum sanctificatione et honore, B 1. non cum adfectu concupiscentiae, quemadmodum et gentes, quae non nouerunt deum. Prouerb. cap. 5. stillans fauus est scorti os, et mollius est quam oleum collum eius, uerum postrema amara sunt, uelut absinthium et acuta ceu gladius et c. 1. Corinth. 6. Qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur, Qui autem adhaeret domino, unus spiritus est. Quae sententia docet precipue carnales fieri, et immergi carni, qui manifesto contemptu dei scortantur.

Porro, poenam propositam ostendit Paulus 1. Cor. 6. Neque scortatores, neque adulteri regni haereditatem accipient. Nam nullum peccatum aliud est, quod atrocius punitum est in scripturis, atque illud, id quod satis testantur, diluuium, quinque urbes incendio absumptae, quid obsecro Sodomam et Gomorram urbes florentissimas, adeo in cinerem redegit, ut ne ruina quidem supersit? quid illarum urbium incolas aeternis cruciatibus destinauit? Scortatio et stuprum. Sic enim inquit Judas in Epistola. Sicut Sodoma et Gomorra, et ijs finitimae ciuitates, quae ad consimilem modum cum illis stupris inquinatae fuerunt, proposito sunt exemplo ignis aeterni poenam sustinentes. Cur ergo dominus uiginti tria milia hominum ex populo Israelitico uno die occidit? scortationis et stupri causa. Sic Paulus 1. Cor. 10. inquit. Neque stupris inquinemur, sicut quidam illorum stupris polluti sunt, et conciderunt uno die uiginti tria milia.

At inquiet aliquis, Qui nam hoc malum tam detestabile fugere possum? Audi, ut fugias, hoc primum remedium erit, si a Christo Opt. Max. quotidie intimis precibus contenderis, ut pudicitiae tuae florem illi-

batum conseruet, si Christum ex toto pectore rogaveris, ut te a turpissimo libidinis incendio liberet, tum sane Christus, ut est erga pudicos animo propensissimo, in te efficiet, ut nullo prorsus scortationis ardore inflammeris, audi obsecro, quid dicat Salomon cap. 2. Eripiet item sapientia, id est, Christus, qui est sapientia a deo.

1. Kor. 2. (wohl statt Prov. 2) a muliere aliena, quae se blandiciis uenditat etc. Tum etiam et aliae huius peccati occassiones uitandae sunt, nempe ocium. (ut malorum omnium, ita unicum scortationis seminarium) omnes voluptates, tum etiam illorum contubernia cauere peius et angue odi, qui in scortis male audiunt, ut enim corporis, ita et animi uitia contagio serpunt in uicinum. Denique si scortari noles, occasionem scortandi fugito.

Dicente Paulo. Fugite scortationem. Exemplum est Joseph, qui ne turpi amore uxoris Pharaonis accenderetur, eam quoad eius fieri poterat, fugiebat. In summa, si uis alienus esse a scortatione, cura, ut immodestam et uini et cereuisiae ingurgitationem, id est, ebrietatem uites. Notus enim est uersiculus. Venter uino aestuans, facile in libidinem despumat.

Septimum Praeceptum: Non furtum facies.[1]) Hac lege cauit deus, ut nemo quicquam proximo suo subtrahat, neue alius alium B 2. aliqua ex parte defraudet, scelus enim est aliorum malo ditari, uel circumuenire in negotio fratrem, idioque praecipit, furtum ne facito, hoc est, bene merere de proximo tuo, illius bona ne compila, ab usuris illicitis tibi tempera, Da omni petenti, iuuato inopes, Da mutuo, etiam sine spe recipiendi, Proximum tuum opibus, consilio, eruditione, et quacunque re poteris, adiuua. Huc facit illud Pauli. Qui furatur, non amplius furetur. Magis autem operetur, laborando manibus, quod bonum est, ut possit impartire ei, qui opus habuerit. Quid autem aliud est furari, quam alterius facultates ad sese rapere, uel quacunque techna pertrahere? Non enim tantummodo furti nomine censendum est, crumenam euacuare, cistas excutere, uerum etiam fraudem meditari, nimium cupere, in foro, in negotiationibus, macellis, uino, cereuisia, officinis, et ubicunque negotiationes sunt.

Octauum Praeceptum: Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium.[2]) Hoc est, neminem falso testimonio opprime: ne in testem uocatus contra proximum circumueni, claram proximi tui famam ne obscura, ne obtrectationibus, ne calumnijs indulgeto, ne mentieris. Non stabis contra sanguinem innocentem, non falso deferes, sis candidus et dexter. Hic exigit a iuuentute deus, ut ueritatis amore teneatur, mendacij, odio capiatur. Sic enim Paulus. Quapropter deposito mendatio, loquimini ueritatem quisque proximo suo, quoniam sumus inuicem membra.

Hic exigit deus, ut iuuentus uicium illud proximo obtrectandi uel clam uel aperte, hoc seculo proh dolor adeo uulgatum in omnibus circulis, conuiuiis, prandiis, coenis, fugiat. — Accedit huc quod iuuentutem uel cum primis ab obtrectandi studio abstrahat, nempe quod sacrae literae hoc uicium adeo execrantur, adeo detestantur, adeo interdicunt.

[1]) A. R.: ad bona proximi.
[2]) A. R.: Ad uerba pertinet.

Leuitici. 19. inquit dominus. Non eris criminator, nec susurro in populis. Prouerb. 24. cogitatio stulti peccatum est et abominatio hominum detractor. Paulus ad Rom. 1. Denique ab hoc ultio absterreat, quod deus obtrectandi studium grauissime puniat, cuius exemplum in historia Susanae, Danielis 13. memoriae proditum est.

Praeceptum Nonum: Non concupisces domum proximi tui.

Decimum: Nec desiderabis uxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quae illius sunt.

Haec duo praecepta a nobis exigunt summam cordis puritatem, ad quam in hac militia nos adniti oportet, quasi diceret. Ne bonorum, proximi tui cupiditate flagres, ne opta tibi bene esse, etiamsi proximo sit male, ne inuide proximo, et honestam et pudicam uxorem, bene educatos liberos, fidelem et sedulam familiam.

Praeceptum hoc damnat auariciam et cupiditatem, quae est radix malorum, ut inquit Apostolus, exigitque ne quis cupiat omnia sibi ad B 3. nutum fluere, etiamsi proximus extrema paupertate distorqueatur. Neque uero Christianum est, quod impius ille apud Terentium gannit. Omnes sibi melius esse malunt, quam alteri. Imo omnes alteri melius esse maluerunt, quam sibi. Charitas enim Christiana non quaerit, quae sua sunt, sed quae aliorum. 1. Corinth. 13.

Conclusio. Ex his decem praeceptis iuuentus discit quid nam deo, quid nam proximo debeat, quae uita deo cordi, quae odio sit, qui mores Christianum redoleant, qui paganum resipiant. Debet autem deo fidem, spem, charitatem, religiosam nominis eius usurpationem, sabbatorum eius sanctificationem: proximo debet charitatem, quae est totius legis plenitudo. — Docent quidem haec praecepta bona, sed non statim in corde et animo fiunt, quae docta sunt, ostendunt quidem, quid facere nos oporteat, sed uirtutem faciendi non donant. In hoc autem sunt ordinata, ut diximus, ut hominem sibiipsi ostendant, per quae suam impotentiam ad bonum cognoscat, et de suis uiribus desperet, et alibi ac per alium quaerere auxilium, nempe per Christum Jesum, qui est plenitudo legis, qui solus quoque implet legem. Lex igitur docet, quod facias, mandat quae natura prorsus facere nequit. Euangelium et est nuncium gaudij et pacis, hoc est sermo de Christo tollente peccatum adeoque serenante et pacante conscienciam, et donante spiritum contra carnem (et sathanam) docet inquam Euangelium unde petas uim faciendi, unde petas gratiam delicti, si peccaueris, annunciat eum qui spiritum dat, ut faciamus, qui conniuet, qui non uult imputari etiam quod delinquimus, modo credamus per ipsum condonari peccatum, et dari spiritum. Spiritus autem est uiuax ignis in cordibus piorum, quo assidue perficiuntur.

De Symbolo Christianae Religionis, pars secunda.

His nostrae religionis articulis, proponitur nobis, quid nobis a deo, tum expectandum, tum accipiendum sit, atque ut uno uerbo dicam, quibus totus, quantus et qualis est, agnoscitur, et docent nos quo pacto id perficere queamus, quod per Decalogum a nobis exigitur.

Fides est uiuax quaedam et indubitata opinio, qua homo certus est, se habere propicium et ignoscentem deum in omnibus, quae aut fecerit, aut gesserit, propicium in bonis, ignoscentem in malis, ea fides sola iustificat, cor pacificat atque exhilarat, sine qua impossibile est saluari, haec fides donum dei est in cordibus nostris, per spiritum sanctum creata.

Credo in Deum: Accedentem ad deum oportet credere deum esse, et esse remuneratorem, quaerentibus se, Heb. 11.

Fides sola iustificat, Fides praecipuum opus Christiani. Quicquid est extra fidem, peccatum est.

B 4.

Patrem: Deus pater est, Matth. 6, 9. Hiere 31. Factus sum Israel pater Malach. 1. Si pater tuus ego sum, ubi honor meus. Joan. 5, 6, 8, 10, 11, 12, 13, 14.

Omnipotentem: Omnipotens est deus, Hiere 32. Ecce ego dominus uniuersae carnis, nunquid mihi impossibile erit omne uerbum Lucae 1. Marci 10. Omnia possibilia sunt apud deum. Omnia uidet, nunquid uir est in abscondito, et ego non uidebo eum? Omnia replet. Psal. 139. Si ascendero in coelum, tu illic es. Omnia potest. Hiere. 50. Quis est iste pastor, qui resistet mihi. Omnia sua sunt. Psal. Meus est orbis terrarum. Esa. 66. Caelum mihi sedes est.

Creatorem Coeli et Terrae: Verbo domini creati sunt Coeli. Psal. 32. Gene. 1. Psal. 88. Tui sunt coeli et terra, Psal. 101. Initio tu domine terram fundasti.

Hisce iam uerbis sentio et credo me dei creaturam esse, hoc est, quod mihi dederit, et perpetuo iuxta conseruet corpus, animam, uitam, membra, tam minuta, quam magna, omnes sensus, rationem, intellectum, et id genus alia, tum cibum, potum, uestes, uictum, uxorem et liberos, familiam, domum, et fundum, ad haec uniuersas creaturas uitae meae necessitati et commoditati, inseruire faciat, solem, lunam, stellas coeli, diem et noctem, aërem, ignem, aquam, tellurem, et quicquid illa profert et potest.

Primum itaque pueri discant, quid a deo acceperint et iam antea dei beneficio possederint, quidque pro acceptis illi bonis debeant, quae ingens, sane et ardua cognitio, ac longe preciosissimus thesaurus est: illic enim cernimus, ut sese pater, una cum omnibus creaturis dederit, utque copiosissime nobis in hac uita prouiderit, praeterquam quod ineffabilibus aeternis bonis nullis seculis unquam ruituris opibus per filium suum et spiritum paracletum perfundat.

Et in Jesum Christum: Christus filius dei. Psal. 2. Ego dixi filius meus es tu, Heb. 1. Nouissimis diebus locutus est nobis per filium.

Dominum nostrum: Christus dominus, Lucae 2. Joan. 13· Psal. 109. Matth. 22. Dixit dominus domino meo.

Qui conceptus est de Spiritu Sancto. Lucae 2. Spiritus sanctus superueniet in te. Esaiae 8. Accessi ad prophetissam etc.

Natus ex Maria virgine: Esa. 7. Matth. 1. Ecce uirgo concipiet et pariet filium.

Passus sub Pontio Pilato: Christum oportuit pati. Lucae ulti. Esa. 53. Zach. 11. Appenderunt mercedem meam.

Crucifixus, mortuus et sepultus: Sapien. 2. Circumueniamus pauperem iustum. Psal. Foderunt manus meas et pedes meos. 1. Cor. 15. Tradidi nobis in primis, quod Christus mortuus est. Rom. 5.

Descendit ad inferna. Tertia die resurrexit: Actorum 2. Joan. 2. Luc. 11. Sicut Jonas in uentre piscis. Psalm. 15. Propter B 5. hoc letatum est cor meum etc.

Ascendit ad coelos: Psalm. 68. Ascendit in altum. Psal. 104. Qui ponit nubem currum suum.

Sedet ad dexteram dei patris omnipotentis: Psal. 109. Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis. Act. 1. Hebr. 1.

Inde uenturus est iudicare uiuos et mortuos: 2. Tessa. 1. Actorum 1. Quemadmodum uidistis eum ascendentem, sic ueniet.

Haec omnia eo spectant, si credimus Christum passum pro nobis in carne, pro nobis crucifixum et mortuum: nos quoque iuxta eandem cogitationem armemur, et mortificemus mortalia nostra membra super terram, id est, uarias concupiscentias et opera peccati ut et nos quoque cum illo resurgamus et ad eum ueniamus. 1. Pe. 4.

Credo in spiritum sanctum: Job. 26. Spiritus eius ornauit coelos et obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus. Gene. 1. Spiritus domini ferebatur super aquas.

Sanctam ecclesiam catholicam: Ecclesia dei sancta, immaculata. Ephe. 1, 4, 5.

Sanctorum communionem: Omnes sancti in Christo unum sunt, Rom. 2. Gal. 3.

Remissionem peccatorum: Per Christum est nobis remissio peccatorum, Rom. 1, 5. Joan. 2. Hebr. 5, 6. 7.

Carnis resurrectionem: Ezechielis 37. 1. Cor. 15.

Et uitam aeternam: Esaiae ultimo. Auris non audiuit et c. quae praeparauit dominus diligentibus se. Psalm. Quam magna multitudo dulcedinis tuae domine, quam praeparasti timentibus te.

Si igitur quaeratur ex te, quid hisce uerbis accipis, respondere queas: Credo quod spiritus sanctus me sanctificet pro nominis sui officio. At quo pacto id efficit, aut quibus medijs ad hoc utitur? Responde, per ecclesiam catholicam, Peccatorum remissionem, Carnis resurrectionem, Et aeternam uitam.

Primum namque peculiarem quandam siue ecclesiam, siue communionem in mundo habet, quae mater est, quemuis Christianum utero suo ferens, pariens et alens per uerbum dei, quod ipse manifestat et urget, corda item illuminat, inflammat, accendit, ut uerbum capiant, illi adhaereant, nec ab eo se diuelli permittant.

Tertia Pars, de dominica praecatione.

Quum ita nobiscum comparatum est, ut nemo hominum Decalogum perfecte seruare queat, etiamsi credere inceperit, ut sathanas omnibus uiribus suis una cum mundo, et propria carne nostra illi aduersentur,
B 6. nihil aeque necessarium est, atque ut nunquam non auribus dei uiciniores simus, ipsum inuocemus, ab eo precemur, ut et fidem et mandatorum denarij impletionem nobis subministret, foueat et augeat, ac quicquid eum impedit, aut illi obstat e medio tollat. Atqui ut sciremus, quid et quomodo nobis orandum esset, dominus noster Jesus Christus ipse et uiam et uerba praemonstrauit docuitque.

Orationem autem appellamus, hoc anxium suspirium piarum mentium, quo inuocant nomen domini, non praeposteram illam superstitionem demurmurandi tot modios psalmorum, quam abominatur deus per Esaiam. Hic populus labijs me honorat, cor autem longe abest a me. Veri adoratores adorant patrem in spiritu et ueritate, Joan. 4.

Orationem autem sunt quinque partes:

1. Promissio dei iubentis orare, mandatum enim dei est, ut oremus, cui mandato ita parere debemus, ut alijs praeceptis.
2. Fides qua credimus nos impetraturos rogata.
3. Res, quae poscitur et quae nos urget ad inuocandum deum, die not.
4. Ardeus et improbum uotum, **daß beger.**
5. Nomen Christi.

Promissionis et iussionis loci sunt, petite et dabitur uobis. Item, Si uos, cum sitis mali, nostis bona dona dare filijs, quanto magis pater uester coelestis dabit spiritum sanctum poscentibus se.

Fides ex promissione firmatur, nam cum promittit, facit pactum et foedus. Huic pacto et foederi standum est. Nam is promittit, qui neque fallere, neque falli didicit.

Constituendum est, quam rem uelis orare, has uero res suppeditabunt abunde precationis dominicae partes, uerum omnia a deo postulare possumus, quibus opus est, pro gloria Euangelij, pro magistratibus, pro pace publica, pro publicis et priuatis necessitatibus. Oportet te ardere et ardenter urgere hoc, quod poscis deum, alioqui si refrigerit uotum, nihil impetrabis. Apostolus nanque iubet, Rom. 12. et Coloss. 4. Orationi instandum esse. Nota est historia Heliae et Hannae suspirium. 1. Samuel. 1. Quibus omnibus uis orationis et efficacia declaratur, quantum scilicet poscit iusti deprecatio assidua. In nomine Jesu, haec amussis est orationis, qua regulatur et dirigitur, ne aberret. Haec omnia habet locus. Joan. 16. Si quid petieritis patrem meum in nomine meo, dabit uobis.

Pater noster, qui es in coelis: Patris uocabulum uoluntatem indicat, neque enim potest pater utcunque tolerabilis quicquam filio petenti denegare. Deinde qui es in coelis, possibilitatis uox est, atque his uocibus auget orationum fiduciam Jesus, primum quia pater est, deinde quia in coelis est, qui coelos condidit, ut sit sententia, cum oratis, dicite. Pater noster qui es in coelis, id est, oraturi eo animo accedite, ut certo sciatis eum uelle et posse benefacere, ne putetis frustra uos
B 7. oraturos et ludi a deo, Ephe. 6. Igitur nihil aliud sibi uolunt haec

uerba, Pater noster, qui es in coelis, quam id est, imples omnia, regnas, praesto ades, alis, et gubernas et uegetas omnia.

Sanctificetur nomen tuum: Id est, fac inuocemus nomen tuum, quo saluemur nimirum, ut adsis nobis inuocatus, adiuturus nos, et ad tuam gloriam referatur, quicquid a nobis recte geritur. Sanctificare autem tantum ualet, quantum nostro more loquendo laudibus preconiis euehere, honore prosequi, tam uerbis quam factis.

Adueniat regnum tuum: Da pater, ut ex iugo tenebrarum transferamur in regnum lucis filii dilectionis tuae. Coloss. 1. Fac placeant, quae tantopere refugimus, fac placeat nobis iugum tuum, sit nobis dulce te sequi, relictis iis, quae summe mundus adorat, zu gutem teutſch, gib, das wir frum werden, id est, tu rege nos, duc, ne temere labamur, erremus.

Fiat uoluntas tua, sicut in coelo et in terra: Fac pater, ut omnium nostrorum sic te miserescat, ut probare nos oporteat reuisa uoluntate nostra, quae sit uoluntas tua beneplacens et perfecta, da ut perferre possimus manum tuam, mortificantem nos in patientia et longanimitate, ut idem sentiamus in terris, quod sentiunt nunc corporibus solutae animae in coelo.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Fortiter esurire et algere nos oportet in regno isto nostro, nisi tu benedixeris terrae, tribulos et spinas proferet, non bonam segetem. Loquere pater pacem in plebem tuam, tum enim spero confore, ut terra proferat fructum suum, pasce nos pater, ut corpus, anima et spiritus noster perfectus sit in die domini, id est, ſpeys leyb und ſeel, omnia quae sunt animae et corpori necessaria, fidem, uerbum dei, eruditionem, famam, bonam ualetudinem.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: O pater parce, condona, ne intres in iudicium (id est, ne saeueriter exigas delicta nostra) cum seruis tuis. Sic sumus pater, aliud non possumus, occinimus tibi uersus. Psl. 50. In iniquitatibus conceptus sum, in iniquitatibus concepit me mater mea. Postremo da quoque pater, ut possimus ex animo errata condonare fratribus.

Et ne nos inducas in tentationem: Nam haec uita uallum est, quo conclusi et obsidione uicti tenemur, ubi neque datur eruptioni locus ullus, ferenda caro est, hostis non aliunde accersitus, sed natus, non adductus, sed domesticus, congenitus, non factus, subinde ad defectionem sollicitans. Cauendae sunt insidiae sathanae, qui nunquam cessat nos ex occulto uarijs artibus adoriri, ut faciamus fugam, qui mundum et carnem sic informat, ut perpetuo nobis negotium facessant. Proinde, pater libera nos a corpore mortis huius, aut si tibi plus placuerit, nos hic durare debere, fac ne deditionem facientes, iniquissimas sathanae oppugnantis nos expugnaturi, si posset leges et adripere et ferre cogamur. Durabimus autem eo facilius, qui quidem te habemus patrem. B 8. 45

Sed libera nos a malo, Amen: Morbis, morti, fami, infamiae, pestilentiae, bestijs et nescio cui non malo obnoxia est haec uita, quia spem meram habemus, libera nos ab his malis pro gloria nominis tui, Amen!

De Baptismo, quarta pars Catechismi.

Baptismus, diuini erga nos fauoris testimonium est, cuius tanta est autoritas, ut si quispiam sine eo salutem consequi praesumpserit, omnino a uero uerae salutis scopo exciderit. Joan. 3. Vocatur autem lauacrum regenerationis, quod per hoc ueterem hominem demergimus, ut nouus resurgat, Tit. 3. Et sic omnis Christiani uita, quid est aliud, quam continua quaedam ueteris Adami mortificatio et spiritus inuocatio? Quocirca signi huius usus per omnem uitam nostram durat, quia signa omnia non ob aliud data sunt, nisi quod per ea fides ecclesiae in dies magis magisque exerceatur. Admonet autem baptismus credentes mortificationem huiusmodi transitum esse ad uitam Rom. 6. Quare adflictis et confractis conscientijs, baptismi consolatione nihil efficatius. Nam ut Apostolus testatur. Quiquunque baptisati sumus, Christum induimus Gala. 3.

Est enim baptismus contra regnum peccati, contra Mortis tyrannidem: breuiter contra omnem omnium inferorum portarum potestatem, quaedam quasi ancora, ad quam (diuinae misericordiae promissiones expectantes) securi confugimus.

Quanquam autem baptismi prima cura sit sanare ipsam peccati causam siue originem, non tamen statim, sed paulatim ipsam peccati concupiscentiam pellit, dum scilicet renouatio interni, et mortificatio interni hominis accesserit, sicut scriptum est. Etsi externus homo noster corrumpitur, internus tamen renouatur in dies singulos. 2. Cor. 4.

Confirmandi sunt morientes, quod sciant secum ferre literas et signum, nempe baptismum, quo signo, sua mors, incorporetur morti Christi, et non sit sua mors, sed Christi, quare certo confidant se uicturos, siquidem mors Christi uicit 1. Cor. 15. Absorpta est mors in uictoria. Est autem baptismus, signum, non modo imitandi Christi, sed quod inserit nos Christo, ita, ut unum cum eo faciat, omnia Christi nobis donet, omnia nostra in Christum transferat.

Est etiam baptismus, signum mortificationis simul et uiuificationis, teste Paulo, Rom. 6. mortificare est baptisari baptismo Joannis. Dixit autem Joannes se baptisare in poenitentiam, et quod Joannes poenitentiam, hoc Christus iam crucem, iam perditionem animae, iam ingressum per arctam uiam, iam in uite esse et putari, iam granum cadens in terram, uocat. Et Apostolus mortificationem ueteris hominis, luctam carnis et spiritus, crucifixionem carnis atque nouam creaturam. Viuificari est cognoscere misericordiam, et resuscitari, accipere spiritum, quo
C 1. transformemur, ipsumque induere, ut peccato per fidem in ipsum sublato, ipse restituat iusticiam, dirigat, ducat, regat nos, nosque uicissim ex illo pendeamus, sicut Paulus inquit, uiuo iam non ego, uiuit autem in me Christus.

De Eucharistiae sacramento, pars quinta.

Coena domini ad praescriptum Christi. 1. Cor. 11. peragi debet, ut iugi dominicae mortis recordatione nostra fides augeatur, accendatur charitas, roboretur spes, nosque cognita preciosissimae mortis causa magis magisque ad gratiarum actionem pro inenarrabili dilectione ad abolendum corpus peccati, id quod in baptismo fecimus et ambulandum in uitae nouitate urgeamur.

Est igitur coena domini, salutiferae mortis Christi memoriale, et sacrificii semel in cruce facti recordatio, et eorum omnium, quae gessit pro nobis in homine assumpto, dicens. Hoc facite in mei commemorationem.

Nec audiendi sunt, qui adserunt hac ipsa coenae communione remitti peccata. Sed cum recordamur fide uera et grata beneficium redemptionis, quo filius dei corpus suum tradidit, uictimam pro peccatis et sanguinem suum fudit ad abluenda peccata, hac fide iustificamur et remissionem peccatorum, morte Christi partam, consequimur. Et hoc est oppiparum animarum conuiuium, cuius qui non erunt participes, peribunt. Joan. 6. ait. Caro mea uere est cibus, et sanguis meus uere est potus. Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Hanc carnem filii hominis, nisi ederimus et sanguinem eius biberimus, non habebimus uitam in nobis, sed peribimus. Est enim panis uitae, dans uitam mundo, quem edere, est in Christum credere, pro te carnem et sanguinem factum, et utrunque in rem tuae salutis expendisse. Sicut ait: Ego sum panis uitae etc. Nam sicut pane materiali pascitur corpus, ita hoc coelesti pane reficitur et uiuit anima. Quando enim anima credit Christum esse precium redemptionis nostrae, nostram satisfactionem et iustitiam, hac fide edit carnem, bibit sanguinem, et pro uerbis Christi, Joan. 6. Esu tam salutari uiuet in aeternum.

Digne autem accedunt soli illi, qui sentiunt onus peccati, et credunt sibi per fidem in Christum esse condonatum. Hi uere mortem domini annunciant, hoc est, pro morte domini gratias agunt, beneficio mortis domini confirmantur, hoc non possunt, nisi illi qui senserunt, quam molesta sarcina sit peccatum, quod est iam per fidem et baptismum emundatum huius autem emundationis et uictimae signum est uesci corpore Christi.

Indigne accedunt, qui non credunt sibi peccata per mortem Christi esse remissa, quique nesciunt in quem usum, et qua causa accedendum sit.

FINIS.

2. Die catechesis puerilis des Melanchthon von 1540.

Catechesis puerilis. Autore Philippo Melan. Cum praefatione Ioannis Brentij. M. D. XL.

A 2. Ioannes Brentius Lectori S. D.

Nihil opus esse arbitror, hunc libellum κατηχήσεως longa concione commendare. Nam si autoris tantum nomen indicauero, nihil reliquum erit, quod apud uerae pietatis studiosos commendationi desit. Scripsit enim hunc libellum Philippus Melanthon, quo uno uerbo duas illas uirtutes de hoc libello praedico, quae ad docendam religionem maxime omnium requiruntur. Altera est, ut quod doces, perspicua methodo doceas. Hac autem uirtute Philippus ita ualet, ut uix habeas quem ipsi conferas. Altera est, ut quod doces, pie, et quemadmodum Paulus ait, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως doceas, quod certe hic libellus ita praestat, ut ad docendam pietatem, nihil magis pium, nihil saluti utilius afferri queat. Etsi enim profiteatur titulo suo puerilem tantum doctrinam, attamen ea talis est doctrina, ut ex ipsa fiant uere filij Dei, ciues coelestes, et haeredes regni Christi. Magnae sunt admirationi ueterum Philosophorum libri, qui docent ciuiles uirtutes, et pollicentur ἐφόδιον ad senectutem, ac remedia aduersus omnes animi perturbationes, sed quod illi prolixe quidem pollicentur et conantur, perficere autem reuera non possunt, id paruus hic libellus egregie absoluit. Continet enim summam eius doctrinae, quae non tantum docet ciuilem honestatem, nec affert tantum ἐφόδιον ad senectutem, sed docet ueram iusticiam coram Deo, et affert ἐφόδιον per omnia aduersa, per mortem ipsam, ad perpetuam uitam et foelicitatem. Adolescentes omnino non sunt a studio uerae Philo-
A 3. sophiae, quam Ethnici tradiderunt, abducendi. Habet enim ea philosophia suam dignitatem, habet suam utilitatem. Sed ut recte et utiliter philosophentur, primum omnium hac Christiana doctrina imbuendi sunt. Nisi enim haec pietatis fundamenta probe iacta fuerint, nullum, quod superstruxeris aedificium constabit. Nec fieri potest, ut uera Euangelij doctrina, quae hoc tempore, diuino beneficio in ecclesia renouata est, conseruetur, nisi puericia et adolescentia in his praecipuis religionis nostrae capitibus diligentissime erudiantur: Vetus dictum est, conuitia cuncta dixeris, cum ingratum hominem dixeris. Quare, si noluerimus erga Deum ingrati esse, necesse habemus magno studio contendere, ut pueri haec pietatis rudimenta non discant tantum sed etiam ediscant, et semper in ore habeant. Maiores nostri diligenter curarunt, ut pueri domi recitarent Decalogum, symbolum, quod uocant, apostolorum, et orationem dominicam. Ac non dubito, quin Deus in tam horrendis tenebris, quibus doctrina religionis hactenus obruta fuit, hoc domestico Catechismo ecclesiam conseruarit. Quid enim, obsecro, in publicis templis docebatur, praeter Missas, Indulgentias, commendationes humanorum meritorum, Inuocationes sanctorum, et alias id genus nugas et impietates? Nec alia erat publica ecclesiae facies, quam quae quondam in Israël regnante cultu Baalitico. Quare, qui seruati sunt, quo minus has impietates corde suo adorauerint, hi certe diuina clementia, per domesticum catechismum, qui pueris, purus ac simplex inicio tradebatur, seruati sunt, ut hic catechismus, optimo iure, a uita nostra religio dicendus sit. Et omne nunc studium nostrum in hoc solum collocatur, ut homines per renouatam Euangelij doctrinam reuocentur ad eam religionem,
A 4. quam maiores nostri ab apostolis acceperunt, et nobis domi tradiderunt, hoc est, ut, quemadmodum propheta ait, cor filiorum conuertatur ad patres ipsorum. Nec aliud

conatur Satan per impios Pontifices et tyrannos, qui Euangelion persequuntur, quam ut rursus hunc catechismum in ecclesia obscuret. Multa quidem alia sunt, quae impij praetexunt persecutioni, ut ingeniosus artifex est Satan, ad transfigurandum se in angelum lucis. Sed mihi crede, hoc agunt, ut catechismum, hoc est, decalogum, symbolum apostolorum, et orationem dominicam e medio tollant. In decalogo docemur agnoscere peccatum, et corruptionem nostram. At qui docent merita humana expiare peccatum et uires humanas implere posse legem Dei, hi grauitatem peccati obscurant. Tollunt igitur decalogum, etiamsi uerba ipsa inuiolata relinquant. In Symbolo apostolorum credis in Christum pro te passum et mortuum, propter quem habeas deum patrem placatum, et remittentem peccata. In oratione dominica, inuocas deum, patrem et petis per clementiam patris in filio exhibitam debitorum remissionem. At qui docent et urgent, quod persecutores Euangelij faciunt, deum remittere peccata, non propter Christum filium suum, per fidem, sed propter merita nostrorum operum, hi nec deum patrem, nec filium eius uere agnoscere docent, ideoque, quantum in ipsis est, abolent, tam symbolum apostolorum, quam orationem dominicam. Quare cum defendis eam doctrinam Euangelij, quam Dominus hoc tempore ecclesiae suae clementer restituit, scito te ad retinendum decalogum, Symbolum apostolorum, et orationem dominicam, pro uera patria religione, ac coelesti salute pugnare. Non pudeat autem nos omni quo possumus, studio, pueros hac catechesi erudire. Plato dicit *τὸν τῆς παιδείας ἐπιμελητήν*, esse maximum summorum in ciuitate magistratum.

Et addit: *παντὸς γὰρ δὴ φυτοῦ ἡ πρώτη βλάστη καλῶς ὁρμηθεῖσα, πρὸς ἀρετὴν* A 5. *τῆς αὐτοῦ φύσεως, κυριοτάτη τέλος ἐπιθεῖναι τὸ πρόσφορον*. Nostrae literae testantur angelos esse custodes puerorum. Quod si angeli seruiunt pueris, quanto magis nos debemus eis cum omni officiorum genere, tum praecipue eruditione pietatis seruire. Horum, inquit, est regnum coelorum, Pertinet igitur ad ipsos coelestis doctrina, quam cum hic libellus docte et pie explicet, *ἀμφοτέραις χερσίν* ab omnibus pietatis studiosis excipiendus, et ad manum semper habendus est. Vale.

CATECHESIS.

Quid significat Catechesis? VERBVM Graecum *κατηχέω*, est erudio seu doceo. Olim autem erant in Ecclesia non solum Episcopi et pastores, sed etiam *κατηχηταί*, quorum erat proprium munus, erudire nouitios, priusquam baptizabantur. Vnde Catechesis adhuc dicitur quaedam prima institutio, in qua compendio traditur summa Euangelij. Talis autem docendi ratio erat. Non solum proponebant *κατηχηταί* doctrinam, sed ab auditoribus reposcebant dictata, quod in docendo utilißimum est. Ita enim exploratis auditoribus, animaduerti potest, quid quisque intelli- A 6. gat, et errantes admoneri possunt, et haec ratio docendi, in qua dictata reposcuntur proprie est *κατηχεῖν*, maximeque prodesset in Ecclesia manere hanc consuetudinem, explorare rudiores, ut iudicia de necessarijs rebus formarentur. Prodest et illud unam quandam simplicem et certam formam doctrinae extare, et tenere certos loquendi modos, qui nihil habent ambiguitatis, et sunt consentanei scripturae, sicut et Paulus praecepit Timotheo, ut conseruet *ὑποτύπωσιν* sanae doctrinae, id est, certam formam. Nam dißimiles et ambigui modi loquendi pariunt multas (cum alius aliud intelligit) dißensiones. Saepe etiam pariunt errores.

DECALOGVS.

Quid praecipit primum praeceptum? APte orditur lex ab agnitione dei. Nam primum praeceptum docet esse deum, et requirere obedientiam, bene facere obedientibus, et punire inobedientes. Ac simul tradit modum quo Deus uult apprehendi, et cultum quo uult coli. Docet enim deum esse uerbo et aliquo ipsius testimonio apprehendendum. Ideo sic ait: Ego sum Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, quasi dicat: Ecce hunc deum agnosces, et coles qui tibi hoc uerbum proponit, et qui tibi proposuit testimonium de se, scilicet hoc ipsum opus, quod eduxit populum ex Aegypto. Ita et nos debemus apprehendere deum uerbo, quod nobis datum est, et testimonio scilicet, quia exhibitus est nobis Christus. Hunc Deum, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, agnoscere et colere debemus. Cultus uero sunt timor et fides et perfecta dilectio. Est enim emphasis in particula DEus Tuus, id est, curans te. Zelotes, id est, qui non patitur alteri tribui gloriam dei, non patitur alios deos confingi aut inuocari. VISItans iniquitatem etc. Hic requirit timorem: rursus requirit fidem et dilectionem, cum ait: Faciam misericordiam diligentibus me, sicut et alibi declaratur hoc praeceptum: Diliges dominum deum tuum ex toto corde. Item dominum deum tuum timebis et illi soli seruies. Ita primum praeceptum tradit et modum agnoscendi dei, et ueros cultus. Suntque ueri et primi cultus interiores, timor, fides et dilectio. Et quia magis intelligi possunt hi motus, timor et fides, ideo cum quaeritur quid praecipiat primum praeceptum, commodißimum est respondere, timorem dei et fidem. Quomodo autem fides pariat dilectionem, alias dicetur.

A 7. Satisfaciunt ne homines huic praecepto? LEx dei requirit perfectam obedientiam, perfectum timorem perfectam fiduciam Dei, perfectam dilectionem dei, iuxta illud: Diliges dominum deum tuum ex toto corde. Sed quia natura hominis corrupta est uicio originis, ideo haeret in nobis dubitatio, carnalis securitas, concupiscentia, quae magis amat carnalia quam deum. Ideo haec infirma natura nunquam potest satisfacere huic legi, et semper accusat nos haec lex. Nunquam enim tantum timemus, aut diligimus Deum, quantum oportuit. Imo ne inchoari quidem potest obedientia huius praecepti, nisi prius audiamus Euangelium de Christo et de remißione peccatorum.

Quomodo inchoatur haec obedientia? AD inchoandam hanc obedientiam, necesse est addere Euangelium de Christo, et de remißione peccatorum. Non enim possunt humana corda deo credere, non sentiunt se exaudiri, non diligunt Deum, nisi prius intelligant Deum esse placatum. Cum igitur perterrefacti agnitione peccatorum nostrorum, audimus nobis donari remißionem peccatorum, propter filium dei Iesum Christum, qui pro nobis factus est uictima. Hac consolatione eriguntur mentes, et incipiunt credere et confidere deo, quod sit nobis propitius. Agnoscunt igitur eius misericordiam, et statuunt nos respici, nos exaudiri. Ideo incipiunt eum diligere. Ita in his qui agunt poenitentiam sunt terrores, timor, fides, dilectio. Et haec obedientia tantum inchoata est. Placet autem Deo, quia fide propter Christum sumus facti filij. Ita legis finis est Christus. Non enim potest fieri lex nisi agnito Christo, et

placet, quia credimus Christo. In hanc sententiam inquit Paulus. Lex stabilitur per fidem, sed de hac inchoata obedientia infra iterum dicendum erit. Nunc attigi tantum, ut consideretur, quatenus obediant pij huic legi. Oportet enim pios habere inchoatam obedientiam in cordibus, nec satis est huic praecepto, nosse et profiteri ea quae docet symbolum, et obseruare externam disciplinam, in cultu huius dei, quem praedicat Euangelium. Haec obedientia est ciuilis disciplina, qualis eße etiam potest in hypocritis. Sed oportet in corde uerum timorem, ueros pauores, et rursus ueram fidem et consolationem existere. Et qui sic agnoscunt Deum, ut apprehendant eum per hoc signum quod nobis propositum est, id est, A 8. 10 per Christum, et per hoc uerbum nobis datum, hi uere agnoscunt Deum, quemadmodum monemur in hoc praecepto.

De primo praecepto.[1])

Quae sunt peccata contra primum praeceptum? Gradus multi sunt, sed omnes pugnant cum timore aut fide.

I. Primus gradus est Epicureorum, uidelicet esse ἀθέους, negare quod sit deus, aut quod sint ei curae res humanae.

II. Secundus est idolatrarum, tribuere creaturis honorem dei, uidelicet omnipotentiam, inuocationem etc. Sicut gentes fingebant esse multos deos, et nunc sancti inuocantur.

III. Tertius est iudeorum, Mahometistarum et omnium haereticorum, qui non apprehendunt deum iuxta uerbum dei propositum, sed fingunt sibi suos deos contra uerbum dei. Item confidunt certis ordinationibus contra ordinationem et mandatum dei.

IV. Quartus est Magicorum qui faciunt pacta cum diabolo, credunt diabolo contra mandatum dei. Item confidunt certis ordinationibus contra ordinationem et mandatum dei.

V. Quintus est eorum qui alligant deum ad certas statuas humana autoritate positas, aut etiam uim ipsis statuis tribuunt. Nam Esaias docet credendum esse, quod in omni loco pariter exaudiat Deus, agentes poenitentiam. Item impietas est alligare deum humana autoritate ad certas statuas, aut certa opera, humana autoritate excogitata.

VI. Sextus est hypocritarum, qui quamuis non sunt palam ἄθεοι, tamen uiuunt in carnali securitate, et contemnunt iudicium Dei, nec habent uerum timorem dei. Item magis diligunt opes aut uoluptates aut gloriam quam deum. Item non agnoscunt quod deo debeatur gratitudo et obedientia, quia sit creator, et quod fruimur eius beneficijs.

VII. Septimus est desperatio et odium dei, quemadmodum Saul desperat, et cum uidit se abiectum, irascitur deo, et odit deum.

VIII. Octauus est impia fiducia propriae iustitiae coram deo, ut pharisaei illius Lucae 18. Nam hypocritae dupliciter peccant. Non intelligunt iudicium dei aduersus peccatum. Itaque non uere timent Deum. Rursus etiam transferunt gloriam, quam debebant Christo, in propria opera et propriam dignitatem.

IX. Nonus, dubitatio perpetua in animis, an exaudiamur an deus respiciat nos, an deus uelit nobis ignoscere. Huic dubitationi repugnant

[1]) Diese Worte fehlen im Original.

B 1. sancti et fide se erigunt. Sed in impijs manet dubitatio et diffidentia, quae et ipsa gignit contemptum et odium Dei, quia imaginatur deum aut otiosum esse, aut iniquum, crudelem, qui tot modis affligat hanc naturam infirmam, nec uelit eam liberare.

X. Decimus est impacientia. Nam Deus subiecit humanam naturam afflictionibus. Quare pacientia est obedientia erga uoluntatem Dei. E contra impatientia est repugnare uoluntati Dei, et irasci deo, et crudelitatem aut iniustitiam deo tribuere. Ac diligenter meminerimus impatientiam esse peccatum contra primum praeceptum, iuxta illud. Irascimini et nolite peccare. Nam haec admonitio in magnis doloribus prodest, ut discamus dolori et iracundiae repugnare. Etsi autem erumpunt etiam sanctis interdum hi affectus, tamen hi repugnant eis, et subijciunt se uoluntati Dei.

XI. Vndecimus, negligere et contemnere uerbum dei, deficere a uera doctrina, seu metu, ut Petrus deficiebat, seu propter scandala et hominum gratiam, seu quascunque alias causas.

XII. Duodecimus, fiducia propriae potentiae et sapientiae, ut Sennaherib confidebat sua potentia se euersurum esse regnum Iudaicum, nec curabat auxilium Dei, nec petebat. Denique generaliter peccata sunt contra primum mandatum omnis contemptus dei, uidelicet deficere a deo et contra mandata dei facere, atque ita praeferre creaturas deo. Quare in omni peccato simul inest uiolatio primi praecepti. Nam omnis inobedientia est contemptus dei seu deficere a deo.

E regione colligantur bona opera primi praecepti. Credere omnes articulos fidei, nec assentiri Epicureis, Idolatris, Iudaeis, Mahometistis, Haereticis, non tribuere sanctis honorem dei, non inuocare sanctos, non alligare deum ad certas statuas. Non facere pacta cum diabolo, non confidere obseruationibus contra ordinationem diuinam. Habere uerum timorem dei, et ueram fiduciam erga deum propter dominum nostrum Ihesum Christum, Diligere deum, hoc est, agnoscere, quod deo debeatur gratitudo et obedientia, quia sit creator, quia fruamur beneficijs eius, quia per filium suum nos redemerit etc. Ac propterea non esse faciendum contra mandatum dei, propter uoluptates, opes, gloriam, aut ullam creaturam. Non habere fiduciam propriae iustitiae, sed petere misericordiam et certo credere, quod per misericordiam propter Christum pater sit nobis propitius. Non repugnare impatientiae, sed agnoscere[1]) quod obedientia
B 2. in cruce sit praestanda deo. Non confidere potentia aut sapientia, sed auxilium dei in omnibus negocijs petere. Non deficere a uerbo Dei, propter metum aut scandala aut alias ullas causas. Haec sunt opera primi praecepti. Et in omnibus bonis operibus debet addi hic finis, ut fiant propter deum, hoc est, quia cupiamus deo grati esse et obedire. Ita omnia bona opera aliorum praeceptorum fiunt opera primi praecepti. Et uirtutes proprie pertinentes ad primum praeceptum sunt fides, timor, spes, dilectio, gratitudo erga deum, id est, tota obedientia erga deum. Et haec opera atque uirtutes, sunt cultus dei interiores, qui sunt uere spirituales cultus.

Quae est poena uiolati primi praecepti? TOti decalogo additae sunt promißiones et comminationes, et si non repetuntur nominatim in singulis praeceptis. Primum igitur sciendum est aeterna morte

[1]) Ausg. 1558: repugnare impatientiae et agnoscere.

puniri uiolationem decalogi, sicut Christus inquit Matthaei 5. Nisi iustitia uestra abundauerit etc. Item: Si uis in uitam ingredi, serua mandata.

Secundo accedunt et poenae temporales. Estque primo praecepto peculiaris comminatio addita, puniens in tertiam et quartam generationem etc. Quod enim dicit uagari poenas per multos, intelligatur de temporalibus. Itaque magnitudo poenarum commonefaciat nos, ut fugiamus Idolatriam et impios cultus, et conemur obedire huic praecepto. Et extant exempla, ubi deus propter peccata maiorum deleuit et ipsos et posteros. Vt Saul cum tota posteritate deletus est. Propter Dauidis peccatum afflicta est tota gens Israël. Propter Idolatriam Salomonis regnum Israël distractum est, et secuta perpetua discordia duorum regnorum, et impij cultus in Israël instituti sunt. Ita unum peccatum peperit et infinitas calamitates et infinita peccata. Haec exempla recitantur, ut magnitudinem irae Dei aduersus peccata consideremus et Deum timeamus. Horrendum est enim poenas uagari per multos propter unius peccatum. Ita unus fit reus exitij multorum. Sed obijciet aliquis: Filius non portabit iniquitatem patris, haec comminatio minatur filijs propter maiorum delicta, ergo est iniusta. Respondeo ad maiorem, maior debet intelligi de iudicio magistratus. Is tantum autorem delicti debet punire non alios. Sed hac regula non tenetur Deus. Et sicut humanus captus non uidet quantum mali sit in contemptu Dei, imo hoc peccatum ducit esse honestißimum. Ita Deus sancit poenam supra humanum captum, et ipsius decretum eo est iustum, quia ipse decreuit. Deinde et hoc ad- B 3.
dendum est, poena aeterna non infligitur nisi propter proprium peccatum. Sed poenae temporales uagantur per plures. Sic Ezechiel docet de euangelio, quod tradit exceptionem huius sententiae legis. Ezechiel enim accommodat sententiam illam ad iudicium spirituale filius non portabit iniquitatem patris, uidelicet si intelligatur de aeternis poenis. Haec enim est propria Euangelij doctrina, quod Deus remittat peccata agentibus poenitentiam. Item quod nemo aeterna poena puniatur nisi propter proprium peccatum. Item quod etiam temporales poenas mittiget deus propter poenitentiam. Itaque has duas interpretationes hic obseruemus, uidelicet alteram de poenis temporalibus, alteram de exceptione Euangelica, uidelicet comminatio est uera, et manet in mundo, sed excepti sunt illi, quos eximit euangelium, scilicet qui agunt poenitentiam. Impijs uero haec comminatio non est abolita: lex dei est aeterna, Quare et haec sententia aduersus impios manet et durat omnibus temporibus, Ideo punit deus mundum, erroribus, bellis, diβipationibus rerum publicarum et alijs ingentibus calamitatibus, praecipue propter peccata contra primam tabulam.

Quae est promissio addita primo praecepto? PRomißio est in his uerbis: faciens misericordiam in millia diligentibus me. Vt enim idolatris minatur poenas, ita his proprie pro ueris cultibus promittit ingentia beneficia, sicut pacem, uictorias, defensionem, fertilitatem, foelicitatem in consilijs et rebus gerendis. Sed de promißionibus legalibus haec quatuor moneri oportet. Primum quomodo contingant (1558: contingat) praemia, cum promißiones sint conditionales, et legi non satis fiat. Secundum addi debet doctrina Euangelij de cruce et spiritualibus praemijs. Tertium, quo ordine petenda sint praemia corporalia. Quartum quod expectatione praemiorum sit exercenda fides.

De primo. Promißiones legis sunt conditionales, dantur enim praemia pro nostra obedientia, Quanquam autem re ipsa nemo legi satis facit, tamen quia deus approbat inchoatam obedientiam, propter Christum, Ideo etiam praemia dat pro illa obedientia, sicut clare inquit Christus: Merces uestra copiosa est in coelis.

B 4. De secundo. Euangelium interpretatur legem, docet enim de cruce, quod uidelicet in hac uita pij affligantur, et tamen addit post hanc uitam habituros esse praemia. Praeterea in hac uita docet contingere pijs praemia spiritualia, et quaedam corporalia, quia deus uult etiam in hac uita conseruare Ecclesiam. Ex lege hoc argumentum sumitur. Iustum est ut Pijs dentur praemia, impijs poenae, pij sunt subjecti cruci, ergo iniuste affliguntur. Hic respondendum est ad maiorem, maior est sententia legis, quam postea Euangelium interpretatur, quod docet ordinationem Dei esse, ut differantur praecipua praemia et praecipuae poenae. Praeterea docet ideo pios in hac uita subiectos esse cruci, quia ad huc habent reliquias peccati, quas oportet per mortem aboleri, tametsi sunt imputatione iusti. Quanquam igitur sancti in hac uita subiecti sunt cruci, tamen afficientur praemijs post hanc uitam, praeterea multa etiam redduntur in hac uita. Et quanquam lex non satis clare concionatur de spiritualibus praemijs, tamen ex Euangelio discamus proposita esse pro bonis operibus praemia spiritualia, quae etiam in hac uita contingunt, uidelicet incrementa plurimarum uirtutum et donorum, sicut Augustinus inquit, Dilectio meretur augeri dilectionem. Et docet idem parabola de negociantibus. In Euangelio promittit Christus et corporalia praemia, cum inquit primum querite regnum dei et caetera adijcientur uobis. Item: accipietis centuplum, sed cum persecutione. Et Paulus: Pietas habet promißionem praesentis uitae et futurae. Quia enim deus in hac uita etiam uult conseruare Ecclesiam, addit etiam corporalia praemia. Huc pertinet historia Dauidis, Ezechiae, et similium regum, qui gloriosis uictorijs ornati sunt aduersus Idolatras, sicut promittit deus: Glorificantes me glorificabo.

De tertio. Deus iußit peti et expectari etiam corporalia praemia. Sed modum quo daturus est deus, nos praescribere illi non debemus. Item gradus seruandi sunt, ut gloriam dei pluris faciamus quam nostram utilitatem. Quare non debemus a Deo deficere etiamsi differt, aut non uidetur dare praemia. Non enim in totum remouenda est mentio praemiorum, sed gradus seruandi sunt, quia constat mandatum dei eße, ut praemia ab ipso petamus.

De quarto. Etiam corporalia praemia ideo proponuntur, ut eorum expectatione fides exerceatur. Quare recte discamus uti his promißionibus. Nam haec expectatio praemiorum corporalium fit cultus dei, cum fide et
B 5. suo loco petuntur et expectantur, sicut psal. ait. Inuoca me in die tribulationis et eripiam te, et glorificabis me. Vt autem intelligi poßit quomodo exerceatur fides, primum humanae mentis caecitas, consideranda est. Adeo enim non cernit mens humana praesentiam Dei, ut somniet casu euenire bona et mala, nec sentiat Deum poenas infligere, aut bona dare. Hac caligine et his tenebris oppressae sunt humanae mentes. Ideo deus, ut hunc errorem euellat ex animis nostris, proponit promißiones et comminationes. Et saepe inquit se dare bona ut agnoscamus ipsius bene-

fitia esse. Cum audis hanc promißionem: Date et dabitur uobis, interroga tuum animum, an uere expectet bona a Deo. Obstrepit enim humana infirmitas, et clamitat se nescire an consilio dei certa bona nobis contingant, sed casu potius sine delectu obijci uidentur bona et mala, pijs et impijs. Primum igitur fides est et cultus dei et opus primi praecepti, statuere quod bona et mala contingant consilio dei, quod deus puniat, quod iuuet. Hic primus fidei gradus est, quem in his promißionibus exercere debemus. Deinde accedant et alij gradus. Etsi enim dictum est: Date et dabitur uobis, tamen mens tua reclamat, et disputat deum non tanti facere hoc tuum opus, ut propterea aliquid det, praesertim cum alioqui etiam indignus sis et peccator. Et hae sunt causae cur tales promißiones minus moueant plurimos homines, quia alij cogitant simpliciter casu euenire bona et mala: alij cogitant Deum non tanti facere nostra opera, ut reddat praemia, ita duplex est impietas. E contra igitur erudiendus est animus, cum audit hanc promißionem: Date et dabitur uobis, primum, ut uere statuat, bona nobis a Deo dari, et non contingere casu. Secundus gradus fidei est proprie Euangelicus. Statuendum est enim, quod haec nostra obedientia non placeat, propter propriam dignitatem, sed placeat in his qui fide reconciliati sunt propter Christum. Quare Deus certo promißionem suam seruaturus est. Haec fides quae sentit diuinitus dari bona: item quae sentit Deo placere nostrum opus propter Christum, inuitat certe ut demus libentius, et expectat uicißim a Deo bona. Ita opus nostrum fit quoddam sacramentum, quod admonet nos diuinae promißionis. Quare et tales promißiones diligenter inculcandae sunt animis, et ipsorum operum utilitas intelligenda est, et in ipsis operibus fides se exuscitat ac lucet. Quare et si petuntur corporalia bona, tamen quia fide Deus agnoscitur, et haec suo loco petuntur, talia opera sunt spirituales cultus Dei, sicut docet sententia psalmi supra citata. B 6.

Quidam indocti cum non docent petere corporalia, tollunt magnam partem cultuum dei, scilicet inuocationem et exercitia fidei in communi uita. Imo sciendum est totam uitam corporalem et omnia negocia et pericula, debere esse occaßionem inuocationis et exercendae fidei. Et quanquam uita corporalis subiecta est afflictionibus, tamen ipsam quoque curat et gubernat Deus, ut conseruet Ecclesiam. Ideoque plenae sunt talium exemplorum historiae Genesis et Regum, quae ob hanc ipsam causam nobis propositae sunt, ut intelligamus similia pericula gubernari a Deo et similiter a nobis requiri inuocationem, Iuxta illud: Commenda deo uitam tuam, et ipse faciet. Haec in genere de comminationibus et promißionibus in toto decalogo scire prodest.

De secundo praecepto.

APtißimus ordo est praeceptorum, primum enim docet de interiore cultu mentis. Secundum de significatione externa, quae fit inuocatione et docendo. Nam hi sunt primi cultus exteriores. Est autem propter breuitatem negatiue positum, et prohibet abusus diuini nominis. Ergo e regione quaerendum est, quos bonos usus praecipiat.

Quos bonos usus diuini nominis praecipit? Sex, uidelicet inuocationem, gratiarum actionem, glorificationem, confeßionem, doctrinam,

fidem iuris iurandi. Inuocatio oritur ex fide: quia enim credimus quod sit deus, quod exaudiat, quod uelit saluare, ideo inuocandus est. Discamus igitur hoc loco praeceptum Dei esse, ut inuocemus et oremus ipsum. Et hunc cultum inter summos esse quem soli pij praestant.

Quomodo fit hoc praeceptum? NOn potest fieri sine agnitione Christi, quia in inuocatione obstrepit nobis indignitas nostra et conscientia agnoscens peccata sua, non audet sperare et petere bona a deo. Ideo necesse est scire quod propter Christum pater sit propitius, et ignoscat nobis, quod propter ipsum certo exaudiamur, et quod ipse sit pontifex, qui interpellat pro nobis, et nostras praeces offert patri. Haec fides in Christum in oratione addenda est, ita et hic uidemus legem non fieri sine Christo.

Gratiarum actio est externa profeßio, quae etiam oritur ex primo praecepto. Nam supra praecipitur ut mens agnoscat deum esse creatorem, saluatorem et autorem omnium bonorum, Ac propterea deberi ei gratiB 7 tudinem et obedientiam. Hic igitur praecipitur externa predicatio, beneficium Dei, ut alios inuitemus ut et ipsi sentiant Deum esse creatorem, saluatorem, autorem beneficiorum, et incipiant eum timere et illi credere.

Glorificatio est uitare blasphemias et scandala, et referre omnes actiones eo, ut exempla nostra praeluceant alijs, inuitent eos ad pietatem, ornent gloriam Dei, reddant gratiorem et commendatiorem doctrinam, sicut praecipit Christus: Luceat lux uestra coram hominibus.

Peccata contra secundum praeceptum.

I. Omittere inuocationem dei, gratiarum actionem.

II. Inuocare idola et sanctos.

III. Falsam doctrinam spargere aut defendere, et ueram deprauare, calumniari, obscurare.

IV. Impios cultus instituere aut retinere.

V. Non confiteri ueram doctrinam cum interrogamur.

VI. Non docere Euangelium ubi postulat uocatio.

VII. Non consulere ambigenti Ecclesiae, nec dijudicare ambiguas controuersias, si postulet uocatio. Nam hoc est praecipuum Episcoporum officium, curare ut dijudicentur ambiguae conscientiae. Nam dubitatio est horribilis carnificina conscientiarum, et parit desperationem et impietatem.

VIII. Pugnant cum hoc praecepto et blasphemiae, hoc est maledicta aduersus Deum, quae sunt uaria, ut sermones Epicurei, quibus impij et securi superbe derident Deum, et iudicant Euangelium esse fabulosum. Item maledicta hypocritarum aduersus uerum Deum et ueros cultus Dei, ut impiae uoces Pharaonis et Rabsacis, et pharisaeorum aduersus Christum et Apostolos. Item maledicta desperantium. Denique omnes sermones quibus concutitur fides in infirmis, et deformatur gloria dei: sicut hoc tempore homines callidi saepe alienant animos hominum ab Euangelio calumnijs artificiose excogitatis.

IX. Violant secundum praeceptum et periuria, primum, quia utuntur nomine Dei, cum peccent, et praetextu nominis diuini conantur tegere peccata. Secundo cum Deus ibi tanquam testis inuocetur, periurus laedit gloriam dei, quia quantum in ipso est, Deum facit falsum testem. Tertio periurus clare profitetur se contemnere iuditium Dei, quia iurans

imprecatur sibi iram Dei, si fallat. Cum igitur fefellit sciens ac uolens, palam contempsit iuditium dei. Hunc manifestum contemptum et Deus punit, et habent (1558: debent) leges magistratuum punire. Cum igitur B 8. tam multa peccata sint in periurio, consuetudo saepe iurandi sine magna causa et graui deliberatione ualde periculosa est.

X. Violant hoc praeceptum et execrationes, quia in his inuocatur Deus contra suum mandatum, ut noceat alijs. Hic abusus quam sit flagitiosus, clarius perspici potest, si consideretur quam multa peccata sint in execratione. Primum est irreuerentia. Nam nuncupare Deum est inuocare Deum. Est autem deus serio et magna reuerentia inuocandus. Ita et nomen appellandum est serio et reuerenter. Plerumque autem effundit execrationes uanitas quaedam aut iracundia sine reuerentia. Secundo Deus non est inuocandus ut noceat illis, quos praecepit a nobis amari. Iam in illis uulgaribus execrationibus inuocatur Deus contra mandatum suum, ut noceat illis quibus debemus bona precari. Prophetae interdum execrantur ac maledicunt, sed tantum blasphemis et obstinatis, qui non desinunt persequi ueram doctrinam et ueros cultus. In re tanta fit serio imprecatio seu execratio. Et magnitudo huius exempli admoneat nos, ne transferamus execrationes ad uulgaria negotia quia in usu temerario recidunt in caput eius qui abutitur nomine dei. Violant secundum praeceptum et mores mali omnium, quorum exempla nocent alijs. Item deformant Euangelium.

An liceat iurare Christianis? REspondeo, concessum est Christianis ius iurandum. Id primum exempla ostendunt, quia Paulus aliquoties iurat, ut 2. Corin. 1. Ego testem Deum inuoco aduersus animam meam etc. Et Hebrae. 6. Omnis controuersiae finis est iusiurandum. Et lex inquit: In nomine dei tui iurabis. Cum igitur lex docet iurare, et extent exempla, constat quod liceat dare ius iurandum. Sed hic obijcitur dictum Christi Mat. 5. Ego autem dico uobis non iurare omnino etc. Respondeo simplicißime. Necesse est τὸ ῥητόν in Matthaeo non ita accerbe intelligi ut tollat et dißipet iuditia et respublicas quia Euangelium manifeste approbat in alijs locis politias et iuditia. Quare tota illa concio Christi loquitur de priuata cuiusque munditie, non loquitur de politijs et negotijs uocationum. Improbat igitur iuramenta quae sine uocatione dantur, et sine mandato magistratus. Interim non prohibet iuramento uti quod defert magistratus, aut quo uti cogit uocatio, ut Paulus iurabat propter uocationem. Imo ex alijs scripturae locis et exemplis discamus iuramentum ἔπακτον, aut quod fit cogente uocatione, C 1. licitum esse. Euangelium enim non abolet politias et iudicia. Est autem iuramentum uinculum iuditiorum et politiarum. Sicut ad Hebreos clare dicitur. Omnis controuersiae finis est iusiurandum. Ergo Euangelium etiam talia iuramenta concedit. Quare iuramenta delata a iudice, uel facta propter uocationem, sunt concessa, et sunt cultus dei iuxta illa uerba Legis. In nomine Dei tui iurabis. E contra, sine causa iurare est abusio nominis Dei, quo nomen Dei inuocatur sine reuerentia. Hunc abusum Christus uult tollere, ideo addit, quod amplius est, a malo est, id est, ab irreuerentia, uidelicet cum iuratur sine causa, sine uocatione, sine mandato. Alij respondent Christum non prohibere simpliciter iuramenta, sed iuramenta facta non per nomen Dei, quia honos Dei non est

transferendus ad creaturas. Nam in iuramento tribuitur Deo quod sit iudex et inspector cordium. Tribuitur etiam potentia puniendi. Haec non sunt tribuenda creaturis.

Que est comminatio addita huic praecepto? EXpressa comminatio est, scilicet qui uane usurpauerit nomen Dei, hunc non habebit Deus insontem, propter hoc dictum Deus conseruat in mundo poenam periurij. Estque haec uox testimonium, quod Deus periuros puniat multis magnis calamitatibus, etiam cum magistratus non puniunt eos. Ideo omnes historiae plenae sunt exemplorum, quae testantur tristes exitus fuisseillorum qui iusiurandum aut foedera uiolauerunt. Et sunt infinitae sententiae scriptorum de poena periurij, ut apud Tibullum.

Ah miser et si quis primo periuria coelat,
Sera tamen tacitis poena uenit pedibus.

Huiusmodi sententiae sunt acceptae a patribus et comprobatae experientia. Denique sunt uox decalogi. Cum igitur huic secundo praecepto annexa sit comminatio, sciamus semper in iuramento contineri duas res. Altera est quod Deus citatur testis: Altera est, quod iurans imprecatur sibi poenam. Ideoque inuocat deum, ut puniat fallentem: Haec enim est sententia cuius libet iuris iurandi: Inuoco deum ac peto, ut si fallo, uere me puniat, et hac ipsa forma olim concipiebantur *ἐπάραι* in foederibus. Est igitur duplex peccatum in periurio, scilicet quod Dei gloria laeditur, cum citatur tamquam falsus testis, et quod periurus contemnit Deum, nec putat fore ultorem. Hanc horrendam impietatem
C 2. sciamus non fore impunitam et iuraturi toto pectore metuamus illam imprecationem, et sciamus haud dubie ratam fore, propter hoc testimonium secundi praecepti. Quare magna religione seruentur iuramenta. Praeterea sciendum est deum hic minari poenas, non solum periuris, sed etiam blasphemis, sicut exempla testantur publicas blasphemias, ut Rabsacis et similium manifestis poenis statim punitas esse. Sic et Cherintum balneae oppresserunt, cum ibi contumeliosos sermones diceret in Christum. Vt autem comminatio proposita est blasphemis et periuris, ita e contra intelligatur promißio proposita ijs qui ornant gloriam Dei, sicut in libro Regum dicitur: Glorificantes me glorificabo, quare deus haud dubie iuuat pios, qui blasphemias prohibent, qui pios cultus defendunt, et tollunt impios cultus: Item qui periuria puniunt, item qui reuerenter seruant iusiurandum. Quare et Hesiodus dixit *ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.*

Debent ne magistratus punire periuria? PErtinet ad officium magistratuum punire periuria, et ratio in promptu est. Magistratus debet tueri omnia uincula societatis et iuditiorum, Iuramentum est praecipuum uinculum politici status. Ergo eius autoritas maxime defendi debet per magistratus. Quare omnium gentium leges constituerunt supplicia in periuros. Et lex XII. Tabularum laude dignißima est, quae falsum testem de saxo Tarpeio deijci iubebat. Porro haec ratio de magistratu sumitur tantum a corporali neceßitate, ideo alia ratio quae sumitur a gloria Dei, addenda est. Nam magistratus non tantum est defensor corporis, sed etiam gloriae dei, quod ad externam disciplinam attinet. Tenendum est igitur hoc argumentum. Magistratus est custos totius

legis, quod ad externam disciplinam attinet, ad ornandam gloriam Dei, sicut Paulus inquit: Lex est posita iniustis, prophanis etc. Ergo debet punire delicta externa aduersus omnia praecepta. Puniat igitur et periuria et alias contumelias externas nominis diuini, uidelicet Epicureos sermones, atroces execrationes, et tollat idolatrias, et cultus quos intelligit esse impios. Item puniat haereticos serentes falsa et impia dogmata, postquam res a pijs et doctis rite iudicata est. Hae poenae omnes sunt officia huius praecepti et habent exemplum in lege Leuiti. 24. Qui blasphemauerit nomen Domini morte moriatur.

An illicita iuramenta sint seruanda? ILlicita iuramenta C 3. intelligi debent, in quibus promittitur aliquid quod est peccatum, aut sine peccato praestari non potest, ut si quis promitteret sciens se facturum iniustam caedem. Talia iuramenta non sunt seruanda. Primum autem peccat iurans de re illicita, quia Deus non uult autoritate sui nominis fieri quod prohibuit. Deinde maius peccatum est praestare talia iuramenta, sicut Herodes simulauit se coactum iureiurando interficere Ioannem. Hinc facile est iuditium de uotis monachorum. Irrita sunt uota in quibus haerent impiae opiniones, quae laedunt gloriam Christi, et transferunt beneficium Christi in opera ab hominibus excogitata, uidelicet cum fingunt monasticas caeremonias esse cultus Dei, qui mereantur remißionem peccatorum etc.

De tertio praecepto.

Quid praecipit tertium praeceptum? OBseruationem Sabbathi, hoc est, conseruationem caerimoniarum, quae sunt diuinitus traditae. Sabbathum enim institutum fuit caussa docendi: ideo lex diserte inquit: Sanctificabis diem Sabbathi, id est, in res sanctas collocabis uidelicet ad celebrandas publicas caerimonias et audiendum uerbum Dei. Haec sunt uera opera Sabbathi. Iam diligenter consydera ordinem praeceptorum primae tabulae. Primum praeceptum concionatur de cultibus interioribus, de timore, fide et dilectione dei. Secundum de externa protestatione, scilicet inuocatione. Tertium de caerimonijs et usu caerimoniarum, scilicet quod conseruandae sint propter ministerium uerbi. Oportet enim existere aliquas caerimonias, quae sunt notae et testimonium uerbi Dei. Non poterat magis concinnus ordo excogitari.

Est ne abrogatum praeceptum de Sabbatho? REspondeo, Genus quod in hoc praecepto continetur non est abrogatum, quae quidem est principalis sententia huius praecepti, et continet caussam finalem institutae speciei, species uero est abrogata, hoc est, semper Deus requirit conseruationem caerimoniarum, sicut eas praecipit et requirit ut sint aliqui dies destinati caerimonijs et ministerio uerbi. Hoc genus est immutabile, et est principalis sententia huius praecepti. Sed species uidelicet ut septimus dies obseruetur, abrogata est, quia Christiani sunt liberi a caerimonijs Mosaicis. Interim tamen genus, quod in hoc praecepto requiritur, est morale. Ac propterea quod ad hoc genus attinet, C 4. Christiani tenentur hoc praecepto, quia deus praecipit omnibus hominibus ut suum officium singuli conferant ad conseruationem publici ministerij. Ita quidam erudite dicunt: Tertium praeceptum quod ad genus attinet, est morale et perpetuum, sed quod ad speciem attinet, id est septimi

diei obseruationem, est caerimoniale, Et de hac caerimonia iudicandum est sicut de caeteris caerimonijs Iudaicis. Ergo peccant qui contumaciter negligunt publicum ministerium et caerimonias diuinitus institutas. Primum quia nolunt uti beneficio dei, quia deus ibi nos erudiri et exerceri uult. Deinde quia suum officium non conferunt ad conseruationem publici ministerij. Postremo quia exemplo suo alios abducunt a caerimonijs et minuunt earum reuerentiam. Haec peccata non sunt extenuanda. Ideo docendi sunt homines de obseruatione huius praecepti. Sed quoniam Euangelium non alligat nos ad diem certum, piae conscientiae erudiendae sunt, ut sciant non esse peccatum sine contemptu et extra casum scandali aliquando non interesse publicis caerimonijs. Iudaei enim habuerunt praeceptum diuinum de die et de opere. Nos habemus praeceptum diuinum de opere, sed non habemus praeceptum de die certo. Contemptus est autem si quis nunquam aut raro intersit. Nam is aut contemptu doctrinae aut aliquo doctrinae odio abest. Scandali casus uarij sunt, sed praecipuus est. si quis suo exemplo noceat alijs. Cum autem non dubium sit quin tales peccent mortaliter, qui ex contemptu absunt, aut sunt alijs scandalo, cauenda sunt haec peccata. Interim piae conscientiae sciant se habere excusacionem, si quando propter probabilem causam non intersunt, modo ut frequenter adsint. Nam decalogus nobis praecipit in genere de opere: de die Euangelium concedit aliquam libertatem.

Peccata contra hoc praeceptum:

I. Contumaciter negligere conciones et publicas caerimonias, hoc est, nunquam aut raro illis interesse.

II. Non uti sacramentis.

III. Contumelia afficere sacramenta, eaque uel omnino ex Ecclesia tollere, uel conferre ad impios abusus, ad quaestum aut ad impietatem: Sicut mißae ad quaestum turpem et impietatem collocatae fuerunt.

IIII. Abolere ministerium uerbi, aut in docendo negligentem esse etc.

V. Instituere impias caerimonias, quae obscurant ueram doctrinam et officiunt uero ministerio.

C 5. VI. Dies festos conferre in conuiuia et ludos, non ad piam meditationem. Sicut enim publicas caerimonias, et Euangelium festo die publice audire debemus. Ita praestandum est ut sobrij et apti simus ad piam meditationem.

VII. Abducere alios exemplo a publicis caerimonijs, et praebere occasionem ut leuius de eis sentiant.

VIII. Operas, quae impediunt ministerium uerbi et caerimoniarum die festo contumaciter exercere.

IX. Abolere ministerium uerbi, uel quia ministri indigne tractentur, uel quia eripiatur uictus ministris.

X. Abolere studia utilia ad conseruationem ministerij.

Opera huius praecepti.

I. Ministerium uerbi Dei, et Sacramento uti, tanquam summa dona dei magnifacere, conferre studium ad ea intelligenda, ornanda et conseruanda. Inuitare exemplo alios ut rectius et honorificentius de ministerio publico sentiant.

II. Iuxta uocationem praestare diligentiam in docendo etc. et conseruare doctrinae puritatem.

III. Publicas conciones frequenter audire, pie uti sacramentis.

IIII. Retinere ueros usus caerimoniarum, nec contaminare eas impijs opinionibus, aut conferre ad quaestum.

V. Dies festos conferre ad publici ministerij celebrationem. Item in piam meditationem, et exempla quae inuitent alios ad pietatem. Itaque Christus non uiolauit Sabbathum curandis aegrotis, quia illa opera non impediebant ministerium. Imo erant testimonia quibus ornabatur et confirmabatur Euangelium, Fuerunt itaque propria et uera Sabbathi opera.

VI. Tueri ministros Euangelij. Item studia quae prosunt ad conseruationem ministerij.

Haec sunt uera opera huius praecepti, quorum magnitudinem pios intelligere conuenit.

Violarunt ne Machabaei Sabbathum pugnando? CVm Christus inquit: Magis uolo misericordiam quam sacrificium, docet officia dilectionis superiora esse caerimonijs. Ergo in casu ubi non simul poterant seruari ocium Sabbathi, et necessaria defensio populi, magistratus recte fecit quod pugnauit, praesertim cum defenderet non solum corpora C 6. ciuium, sed ipsum ministerium. Est autem defensio ministerij opus Sabbathi. Proinde necessaria officia dilectionis anteferenda sunt caerimoniae, sed ita ne caerimonia penitus aboleatur. Et officium illud dispensationem non abrogationem legis habeat, et caerimonia alio tempore conseruetur. Ita homines occupati rebus administrandis neceßaria officia dilectionis anteferant caerimonijs. Magistratus cum propter caerimonias in aliquo necessario casu negligit officium, peccat. Et tamen ipse quoque alio tempore caerimoniam conseruet. Haec dijudicatio iam facilior est nobis, postquam ex Euangelio scimus aliquam concedi libertatem de die. Excusat Christus discipulos cum uellerent spicas, quia faciebant opus dilectionis, et tamen tale, quo non impediebatur ministerium uerbi. Talia officia quae non sunt mali exempli diebus festis non sunt reprehendenda, modo ut ministerio publico suum honorem tribuamus.

Alia quaestio. Quid sentiendum est de ordinationibus Ecclesiasticis? FInis ordinationum considerandus est. Quando instituuntur ritus ab hominibus quasi illa opera sint cultus dei per sese, id est, ex opere operato, aut mereantur remißionem peccatorum etc. sciendum est hanc opinionem impiam esse. De hac opinione ait Christus. Frustra colunt me mandatis hominum. Sed aliae ordinationes sunt politicae, factae ab Ecclesia propter bonum ordinem, ut cum dies festi instituti sunt, ut populus certo tempore doceri poßit. Sicut Paulus inquit: Omnia ordine et decenter fiant in Ecclesia. Tales ordinationes cum seruiant ministerio uerbi Dei, propter hanc utilitatem retinendae sunt. Nam qui eas dißipant et abolent, simul delent ministerium uerbi. Est igitur peccatum mortale, tales ordinationes utiles ad ministerium, contumaciter, aut in casu scandali uiolare. Hac de re prodest admonere populum, qui postquam aliquid de libertate ex Euangelio audiuit, iam somniat Christianismum barbariem quandam esse, et omnium rituum dißipationem, et sumit sibi infinitam licentiam dißipandi ordinationes utiles. Atqui Euangelium non abolet naturale iuditium de ordine, qui necessarius est in communi societate, neque quicquam magis secundum naturam est hominis, quam intelligere et conseruare ordinem. Sunt autem C 7.

caerimoniae dierum et similes, boni ordinis causa institutae. Quis enim ferat si nihil intersit inter templum et cauponam etc. Quare cum natura homines belligerantur, illi, qui tales ordinationes contemnunt. Deinde peccant etiam aduersus Deum, quia labefaciunt ministerium, labefactatis illis ordinationibus.

De oblatione. VVlgares libelli recitant tria opera Sabbathi, interesse caerimonijs publicis, precationem et oblationem. Cum enim conueniebat Ecclesia, singuli offerebant aliquod munus. Ex hac collatione primum aliqua pars ministris dabatur. Reliqua distribuebatur pauperibus. Hunc morem fuisse et historiae et ueteres canones et multa uestigia testantur. Inde enim et appellationes quaedam facte uidentur, ut missa, quod Hebraeis significat tributum seu collationem. Et ἀγάπη significabat eleemosynas, et hoc nomine interdum pro ipsa Synaxi abusi sunt, quia ibi eleemosynae distribuebantur. Manauit autem exemplum a populo Israel. Nam sacrificaturi afferebant uictimam, et partem dabant sacerdotibus. Ideoque scriptum est, non apparebis uacuus coram me. Recte igitur numeratur Oblatio inter opera Sabbathi, sed collationis finis immediatus et proprius sit primum ut ministros iuuemus. Deinde ut pauperibus consulatur. Talis oblatio hoc fine facta placet Deo. Hic autem complecti debemus omnia officia erga ministros. Exigua quaedam significatio est reuerentiae erga ministerium uulgaris consuetudo offerendi, sed tamen haec quoque laudanda est ob eam causam, quia exemplum admonet, quod ministris debeamus gratiam et mercedem. Sciamus etiam deberi eis omni tempore alia maiora officia. Caeterum superstitiosa opinio in oblationibus improbanda est, qualis fuit Ethnicorum et multorum nostris temporibus, qua ingentia donaria attulerunt in templa, non hoc fine ut ministros iuuarent aut pauperes, sed quia sentiebant Deo placere hoc ipsum opus, tanquam cultum et honorem peculiarem, et mereri se gratiam hoc opere, sicut hac impia opinione etiam Iudaei cumulabant sacrificia. Quare reprehendit Psalmus 49. hanc superstitionem opinionum.

De allegoria Sabbathi. PRopria et simplex sententia praecepti
C 8. est, quam recitauimus de conseruando ministerio et caerimonijs. Sed alia quaedam Allegoria Sabbathi traditur. Quia enim Mosaici ritus abrogati sunt, quidam quaerunt significationem, et aiunt Sabbathum esse uacationem, cum uidelicet patimur Deum agentem in nobis. Ideo sabbathum intelligunt de patientia. Non improbo hanc allegoriam, sed longius accersita est, et non debet obscurare alteram sententiam de conseruatione ministerij, quae quidem longe praestantius opus est quam patientia. Deinde lex non tantum iubet quiescere, sed iubet uacuum diem sanctificare, hoc est, praecipit opera certa necessaria ad illustrandam et propagandam gloriam dei. Caeterum illud uerum est, quod Sabbathum significat Allegorice statum illum instauratae naturae post resurrectionem, in quo non solum cessabunt labores corporis, sed etiam calamitates et peccata, non erimus occupati ciuilibus officijs, corpora non edent aut bibent, erimus liberi a peccatis et a morte: talis quies erit illa noua uita. Sed non tantum erit quies, sed accedet sanctificatio, quae est praecipua pars Sabbathi, quia in illa quiete fruemur noticia Dei, et glorificabimus Deum. Haec est Allegoria uera Sabbathi, sicut docet Epistola ad Hebraeos. Et Esaias inquit: Erit Sabbathum perpetuum. Quia uero

Sabbathum illud inchoatur per Euangelium, ideo etiam Allegoria Sabbathi transfertur ad tempus reuelati Euangelij. In his enim inchoatum est Sabbathum, in quibus inchoata est illa noua et aeterna uita. Nec inutilis est collatio, considerare quod Sabbathi uirtus adumbret uitam aeternam. Monet enim in uita aeterna non solum quietem futuram esse, sed talem quietem, in qua homines noticia Dei fruentur, et deum glorificabunt. Sed ut Allegoria ad futuram uitam pertinet, ita meminerimus in hac uita, opus esse hoc externo Sabbatho, uidelicet ministerio uerbi Dei et caerimoniarum, nunc intelligendum est et praestandum omni cura ut obediamus, et illa summa beneficia Dei, scilicet ministerium uerbi et caeremonias, intelligamus, ueneremur et conseruemus.

De quarto praecepto.

Quid praecipit quartum praeceptum? OBedientia erga parentes, magistratus et reliquos, quibus parentes suam uicem committunt. Primum autem considera quam sit aptus ordo. Secunda tabula continet quae proxime erga homines exercentur, et tamen referenda sunt ad deum. In hoc genere prima uirtus est obedientia. Primum enim in hac societate uitae oportet imperia constitui, hoc est, oportet primum constitui ordinem D 1. ut alij praesint, alij obtemperent, quia necesse est imbecilliores a praestantioribus defendi regi et doceri. Fons autem est huius ordinis obedientia, quam debemus parentibus, quibus natura subiecti sumus. Haec cum sit prima obedientia, nominatim hic praecipitur. Complectitur autem et reliquos gradus ut postea dicam. Vt igitur apud philosophos iustitia uniuersalis est prima uirtus, ita hic primo loco in secunda tabula praecipitur obedientia. Nam iusticia uniuersalis proprie est obedientia erga superiores in omni genere actionum.

Sunt ne cultus Dei officia erga homines? SVperstitiosi homines imaginantur haec ciuilia officia non esse cultus Dei, quia non seruiant proprie Deo, sed nostrae utilitati ac necessitati. Nam haec uita sine mutuis auxilijs non potest defendi. Sed hic principio discamus haec opera esse cultus dei. Quanquam enim finis proximus est communis utilitas, tamen addendus est ultimus, ac principalis finis, ut praestentur propter mandatum Dei, qui hanc harmoniam societatis instituit et conseruat, et instituit propter hanc ipsam causam, ut in hac societate ipse innotescat, et alij alios docere de Deo, et de caeteris rebus bonis possint. Aßuefaciendi sunt teneri animi, ut discant intelligere quam pulchra et suauis res sit ordo ille in societate humana. Ac rursus quanta turpitudo sit illum pulcherrimum ordinem conturbare. Haec etiam philosophi monent, quia ratio uidet, natura nos ad hunc ordinem et societatem conditos esse, sed lex dei docet nos, hunc ordinem et hanc societatem esse opus Dei. Hoc discendum est ut sciamus hunc ordinem conseruandum esse propter mandatum Dei. Quod autem haec opera sunt cultus Dei, Primum testatur Christus, qui honorifice ornat secundam tabulam cum ait Matthaei 22. Secundum autem simile huic. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Est enim diligenter consideranda Emphasis in uerbo, simile. Haud dubie enim hypocritarum opinio taxatur, qui se efferebant propter caerimonias, et leuius sentiebant de ciuilibus

officijs, ut nunc quoque Monachi faciunt. Christus e contra uelut altiore loco secundam tabulam collocat, et docet pariter a Deo requiri, pariter Deo placere cultus secundae tabulae ut primae. Haec uox Christi exD 2 uscitet nos, ut maiore studio haec opera ciuilia praestemus, quia audimus 5 hoc mandatum simile esse primo. Requirit et placere haec opera pariter ut opera primae tabulae. Huc pertinent multae conciones Prophetarum, qui reprehendunt persuasionem eorum, qui caerimonias et traditiones humanas anteferebant dilectioni et officijs ciuilibus. Sicut inquit Oseas: Misericordiam uolo et non sacrificium.

10 Quare dicit honora? QVia lex requirit perfectam obedientiam. Ideo requirit summum gradum, scilicet honorem. significat enim honos honorificam opinionem, qua ex animo eos nobis anteferimus, nosque eis submittimus. Complectitur igitur honos haec tria. Primum cognitionem praesentiae dei, et operis atque ordinationis Dei. Secundo obedientiam 15 ipsam, qua ex animo tribuimus sapientiae et iusticiae laudem parentibus et magistratibus. Tertio ἐπιείκειαν in tegendis eorum incommodis et peccatis. Prima honoris pars est praecipua agnoscere praesentiam dei, hoc est, intelligere quod ordinatione Dei simus subiecti parentibus et magistratibus, quod hic ipse ordo sit uere opus Dei, et a Deo con20 seruetur. Hoc est uere honorem tribuere, praesentiam Dei tribuere. Nam Deo proprie debetur honos, cumque agnoscimus praesentiam Dei, honor est agere Deo gratias, et petere ut suum beneficium conseruet. Reges gestant coronas, et ueteri more omnes magistratus gestabant. In his cogita hoc ipsum Epigramma inscriptum esse, quod deus sit autor huius 25 ordinationis, quod adsit eis. Ac profecto hoc ipsum coronae significabant, ornari, cingi, tegi, et custodiri magistratus a deo. Ita quoties parentes, magistratus, doctores intueris, cogitabis eos his coronis ornatos esse, et hoc Epigramma cogitatione tua coronis inscribas: Deus autor est huius ordinis, Deus his adest nosque eis subiecit. Secunda pars honoris est ipsa obedien30 tia, qua ex animo tribuimus laudem sapientiae et iusticiae parentibus et magistratibus, hoc est, obtemperamus eorum praeceptis et gubernationi, non anteferimus nostra consilia ipsorum iudicijs. Id non fit ex animo cum non iudicamus praestare sapientia et longius prospicere quam nos, sed cogitamus eos per stulticiam aut priuatas cupiditates, omnia aequa et iniqua 35 imperare, sicut neminem uere diligimus nisi de eo honorifice sentiamus, nisi ei aliquam uirtutem tribuamus. Ita nemini ex animo obediunt homines, nisi D 3. tribuant ei sapientiam et uirtutem. Quemadmodum uidemus ideo Heroicos uiros habere tanta hominum studia propter admirationem uirtutis, et quia iudicant eos Deo curae esse. Iam ad obedientiam pertinent omnia iudicia, 40 quibus iuuandi aut defendendi sunt parentes et magistratus. Sicut Christus Matth. 15. docet, parentibus deberi uictum. Et Paulus Romanorum 13. praecipit de tributis etc. Tertia pars est pietas in condonandis erratis. Magna est enim infirmitas humani generis, et diabolus perpetuo conatur perturbare harmoniam humanae societatis. Ideo multa existunt incommoda 45 et errata. Quare opus est subditis aequitate quadam, ne temere detrahant autoritatem magistratibus. Sicut Noae ebrium deridet filius. Curiosa et ambiciosa ingenia laudi sibi ducunt reprehendere et cauillari leges et superiores. Sed haec uox, honora patrem, coherceat illam petulantiam, et hortetur nos ad modestiam et reuerentiam erga superiores.

Quae promissio addita est? HOc praeceptum Paulus etiam amplificat mentione promißionis ad Eph. 6. cum inquit: quod est primum praeceptum in promißione, significans caeteris adiectas esse comminationes, huic autem promißionem, ut magis perspici poßit Deo placere haec opera, quia uelit ea ornare praemijs. Sed semper e regione intelligi etiam comminatio debet, quod Deus uelit punire eos qui non obediunt. Admonet itaque promißio, ut obedientiam referamus ad Deum, excitemus fidem et timorem, intelligamus imperia non humana ui consistere, sed multo magis ope Dei qui defendit magistratus et punit rebelles. Credamus igitur uere a Deo multa nobis beneficia publica et priuata, pacem, terrae foecunditatem, bona studia et alia multa commoda tribui pro obedientia. Promittit enim nominatim praemia etiam in hac uita: ut bene sit tibi, et sis tranquillus in terra. Et Ecclesiasticus suauißime inquit. Qui honorat patrem expiabit peccatum, meretur remißionem poenarum et multa beneficia.

E regione uero poenas intelligamus proponi non tantum illas quas magistratus irrogat, sed sciamus diuinitus puniri eos qui non obtemperant, etiamsi magistratus non possunt eos ad poenam retrahere. Ac Paulus de poena grauiter concionatur Roma. 13. Necesse est obedire non tantum propter iram, sed propter conscientiam, non tantum metuenda sunt supplicia constituta a magistratibus, sed sciendum est conscientiam pollui peccato mortali in his qui non obtemperant. Deus igitur aeterna ira et D 4
praesentibus poenis eos punit. Ideo inquit: Qui resistunt, iudicium sibi acquirent, id est, poenam. Itaque historiae omnium temporum testantur seditiosos et eos qui iniusta bella mouerunt ad extremum dedisse poenas uiolati huius praecepti. Sicut Salomon prouer. 34. Time Deum et regem et cum seditiosis ne commiscearis, quia cito ueniet eorum exitium. Et in Ecclesiaste. Non est eis euasio a morte. Et in uniuersum, multae calamitates publicae, bella, et dißipationes imperiorum sunt poenae quibus Deus punit uulgus, cum immoderatam libertatem usurpat. Et contemnit autoritatem legum et magistratuum. Ideo semper dissolutionem disciplinae sequuntur ingentes mutationes. Sic docet Esaias et describit dissolutionem disciplinae, cum homines iam sumunt sibi impunitatem, et irruit effrenis licentia, ridet leges et petulanter audet quicquid libet. Sic enim ait: Peccatum suum sicut Sodoma praedicauerunt nec absconderunt. Talis Romae status fuit post Antonium. Ideo breui postea secuta est dißipatio imperij. Ita immodica libertas et licentia quam nunc sibi sumunt homines, signum est impendentium calamitatum. Horatius inquit:

Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.

Vere id quidem dictum est. Sed et illud uerum est, propter malos mores populi, dari malos principes aut infoelices, et dißipari imperia: sicut inquit Salomon: propter peccata populi multi sunt principes, id est, crebrae fiunt mutationes et dilacerationes imperiorum, quae pariunt ingentes calamitates. Discamus igitur quam seuere Deus requirat obedientiam, et intueamur in obedientia non tantum uim praesentem, sed Deum qui nos subijcit parentibus et magistratibus. Addamus fidem qua expectemus pro nostra obedientia multa ingentia beneficia nobis et reipub. necessaria. Ac fide oremus pro magistratibus et tranquilitate publica et

petamus foelicem statum imperij. Coherceat nos etiam timor Dei, cum sciamus Deum punire aeterna ira et praesentibus calamitatibus, illos qui non optemperant. Cogitemus nostra peccata non tantum nobis, sed in commune nocere reipub. Ita docet haec promißio addita praecepto exercere fidem et timorem et referre obedientiam ad Deum.

D 5. Quid uicissim parentes debent liberis? CVm lex ait: Honora patrem etc. uicißim obligat parentes et magistratus. Nam cum eis honos tribuitur, testamur eos excellere sapientia et iusticia, nosque regi eorum sapientia et iusticia postulamus. Debent igitur parentes liberis, magistratus subditis, sapientiam et iusticiam, parentes debent educationem liberis et institutionem ac praesertim doctrinam pietatis. Finis enim generationis est, ut propagentur homines, per quos innotescat et conseruetur gloria Dei. Ideo Paulus scribit ad Ephesios: Educate filios in disciplina et doctrina domini. Tria enim complectitur, iubet educari et foueri corpora. Requirit deinde doctrinam domini, id est doctrinam pietatis. Haec praecipue tradenda est liberis, sicut praecipit scriptura: narrate filijs uestris: Requirit et disciplinam. Est autem prudenter considerandum quid intersit inter doctrinam et disciplinam. Disciplina est diligenter cohercere cupiditates certis exercitijs, laboribus, studijs et poenis. His exercitijs domantur ingenia et fiunt aptiora ad uirtutem. Ideo etiam Ethnici diligenter retinebant disciplinam. Sed nos debemus addere doctrinam pietatis: et disciplina praecipue eo spectare debet, ut rudes assuefaciat ad pietatem. Doctrina enim sine disciplina parum proficit, quia animi indulgentes cupiditatibus, et vacui timore Dei, non auscultant Verbo Dei. Et Paulus inquit: Lex est paedagogus in Christum. Vult igitur et doceri homines et disciplina assuefieri, ut perueniant ad agnitionem Christi. Dixi breuiter de officio parentum. Magistratus officium est simile. Debet enim et ipse subditis iusticiam et sapientiam, hoc est, sapientia et iusticia debet defendere subditos, legibus, iudicijs, poenis: nec ultimus finis est defensio seu pax, sed alius finis principalis petendus est, ut uidelicet in pace instituantur homines ad honestatem, et agnitionem Dei. Hic est finis pacis. Ideo enim homines sunt conditi ad societatem, ut inter se tradant et audiant doctrinam de cognitione Dei. Cumque Magistratus sit custos huius societatis, tueri etiam hunc principalem finem debet, et curare praecipue, ut extet et conseruetur recta doctrina de Deo. Debet prohibere blasphemias et Idolatriam, assuefacere homines ad pietatem bonis exemplis et exercitijs. Deinde debet etiam tueri medios fines, id est, retinere pacem, defendere innocentes, iudicijs, supplicijs sontium, bello. Sed non potest aptius ac breuius comprehendi officium

D 6. magistratus, quam si definiamus magistratum esse custodem legis, scilicet utriusque tabulae. Nam quod ad externam disciplinam attinet, etiam primam tabulam magistratus tueri debet, iuxta illud: Lex est iniustis posita, prophanis etc. Vbi Paulus de lege et disciplina loquitur, et uult lege prohiberi et puniri non solum flagicia, quae cum secunda tabula pugnant, sed etiam pugnantia cum prima. Itaque si magistratus quaerat quae sint sua officia, in Decalogum uelut in speculum intueatur, et meminerit totius Decalogi defensionem ad se pertinere, curare ut recte doceatur populus de religione, prohibere et punire idolatriam ac blasphemias, curare ut recte educetur et instituatur iuuentus, ut Scholae floreant,

prohibere et punire homicidia, bello prohibere latrocinia, defendere coniugia, punire adulteria, defendere rerum dominia, arcere furta, non rapere facultates subditorum, recte exercere iudicia, ferre leges necessarias ad regendos mores, et ad retinendam pacem. Ita in Decalogo contemplabitur magistratus omnes partes sui officij. Has breuiter complexus est Paulus etiam ad Timotheum, cum iubet orare pro Magistratibus, ut quietam et tranquillam uitam agamus in omni pietate et honestate. Significat enim magistratus officium esse, ut pacem efficiat ac tueatur. Deinde pacis finem esse, non ut securi fruamur uoluptatibus, sed ut honeste et pie uiuatur, ut regi poßint mores, et populus doceri et institui ad religionem. Hi fines pacis etiam tuendi sunt Magistratui. Sed quia homines pace abutuntur in otio obliti Dei dedunt se uoluptatibus. Ideo deus punit mundum frequentioribus bellis, et dißipationibus Imperiorum.

De disciplina et moderatione Imperiorum extat elegans praeceptum in Ecclesiastico: Pabulum et uirga, onus asino, Sic panis et disciplina, et opus seruo, id est, Vt pater familias curare debet uictum familiae, et adigere eam ad certos labores, et punire delinquentes: Ita principes non sumant sibi licentiam expilandi populum, et rapiendi quantum uolunt ex facultatibus subditorum, sed sinant eos frui rebus proprijs, et sint contenti stipendijs. Deinde uiderint, ut mores regant, puniant delicta. Nec satis est poenas constituere, sed prouidendum est etiam, ne populus sit otiosus, sed ut singuli ordines suum faciant officium.

Hic addenda sunt exempla de poenis parentum, qui in regendis D 7
liberis fuerunt negligentes, sicut in Regum 3. inquit Dominus, se puniturum esse sacerdotem Heli, propterea quod filijs fuisset indulgentior. Sunt etiam hic colligenda exempla de poenis Tyrannorum. Deus enim sine ulla dubitatione punit iniustas caedes poenis in hac uita luendis, sicut infra dicemus. Punit etiam auariciam et asperitatem principum, sicut punitur Achab, quod alienam uineam appetiuit. Regnum Israel dilaceratur propter Idolatriam Salomonis. Roboam punitur eo quod noluit partem tributorum remittere. Prophetae paßim concionantur aduersus negligentiam Magistratuum. Vt psalmus 81. Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos iudicat etc. E regione etiam bonorum principum exempla tenenda sunt, ut Dauidis, Aßae, Iosaphat, Ezechiae, Iosiae, qui magnis uictorijs donati sunt, eo quod restituerunt ueros cultus Dei, et coluerunt iustitiam in administratione. Hic etiam disputatur de obedientia erga Ecclesiam. Nos supra in tertio praecepto diximus de ministerio, et de obedientia erga Ecclesiam et ministros. Sed hic breuiter monendus est Lector, ut Ecclesiam quoque habeat parentum loco, et assuefaciat animum, ut sic honoret Ecclesiam et ministros Euangelij, ut parentes. Imo plus debemus Ecclesiae quam ipsis parentibus. Ideo summo studio cauendum est, ne ullis scandalis laedamus aut dißipemus Ecclesiam: propterea et traditiones Ecclesiasticas contumaciter, aut in casu scandali uiolare, est peccatum mortale, quod quomodo sit intelligendum supra dictum est.

De quinto praecepto.

POstquam obedientia constituta est in quarto praecepto, reliqua deinde praecepta tradunt ordine uera officia debita proximo, scilicet ne

corpori coniugi, furtunis alterius noceamus. Item ut simus ueraces, seruantes pacta etc.

Quae sunt peccata pugnantia cum hoc praecepto? Duplicia sunt, exteriora et interiora. Exteriora sunt iniuste corpus alterius laedere externo aliquo facto. Item iuuare aut approbare tales iniurias. Item non defendere eos, quos tueri debuimus. Hic gradus habet poenam
D 8. corporalem. Deus enim seuerissime mandat, ut homicidia puniantur. Nec mandat solum, sed ipse est custos huius legis, nec relinquit impunitos homicidas, sicut testantur haec uerba: Vox sanguinis fratris tui clamitat etc. Et Christus inquit: Qui gladium acceperit, scilicet non datum a magistratu et legibus, gladio peribit. Quare etiamsi quis effugerit magistratuum manus aliquandiu, tamen sciat se Dei manum effugere non posse, qui mirabiliter retrahit sontes etiam ad corporales poenas. Ita Deus sua ope hanc legem conseruat, ut retineat pacem in societate humana, et ut ostendat, se hoc exemplo puniturum esse peccata. Haec prodest infigi intimis sensibus pectoris, et ut timor Dei coherceat homines, et agnoscamus praesentiam et iuditium dei. Ac exempla priuata et publica testantur Deum esse uindicem, ut neces Tyrannorum, poenae mouentium iniusta bella, item crudeliter imperantium. Sed interiora peccata sunt cupiditas nocendi in animo, odium, maleuolentia, ἀστοργία, negligentia in defensione, quia Lex dei requirit perfectam obedientiam, ideo non solum praecipit ne manu noceamus, sed etiam ne cor nocere cupiat. Sic interpretatur legem Christus Matt. 5. et requirit perfectam obedientiam.

Quae sunt bona opera huius praecepti? Duplicia sunt, Politica et Spiritualia. Politicum est, abstinere ab externa caede, non iuuare, non approbare iniurias corporum, defendere eos quos tueri debemus. Haec est politica iusticia quae existere potest etiam in impijs, et requirit eam Deus, ac retinet pacis publicae cauſsa, et ornat corporalibus praemijs, ut, iusta bella gerentes defendit, ut Romanis dedit imperium. Interiora opera sunt in timore Dei, et fide et agnitione Christi, uelle obedire Deo in hoc praecepto, uacare odio, maleuolentia, cupiditate nocendi, dolere uicem eorum qui iniurijs afficiuntur, habere uoluntatem defendendi et iuuandi alios, esse placabilem, non esse tenacem simultatum aut offensionum, non esse cupidum uindictae.

Estne licita uindicta? VIndicta mandata magistratibus, est opus quod fit autoritate et mandato Dei. Ideo proprie et uere pertinet ad hanc sententiam: Mihi uindicta, et ego retribuam, id est, Dei est uindicta quam magistratus legitime exercet. Multae autem partes sunt uindictae legitimae, iudicia, bella, defensio legitima aduersus latrones,
E 1. poena legitima latronum et Tyrannorum Haec concessa sunt etiam Christianis, quia magistratus est res bona, et ordinatio diuina, qua licet uti Christianis. Rom. 13. Sic fuerunt in imperijs Ioseph, Dauid, Centurio, et multi sancti principes et reges. Sed priuata uindicta prohibita est, sicut Paulus inquit: Non ulciscentes uosmetipsos. Est autem priuata uindicta, quae fit sine autoritate magistratus. Itaque etiam magistratus priuatam uindictam exercet, cum sine Legum autoritate, priuata cupiditate, seu quoquo modo alios laedit.

Quae uirtutes pertinent ad hoc praeceptum? Dilectio proximi, iusticia in non laedendo, beneficentia in defendendo. Mansuetudo imperans irae, placabilitas, clementia et *ἐπιείκεια* in mitiganda acerbitate imperiorum, misericordia et *φιλοστοργία* quae est affici alienis bonis et malis. Vitia opposita sunt, odium, maleuolentia, iniusticia, cupiditas nocendi, cupiditas uindictae, desertio eorum, quos defendi oportuit, Crudelitas, quae pugnat cum *ἐπιεικείᾳ*, implacabilitas, *ἀστοργία*. Non esse misericordem. Gaudere in alienis malis. Non affici alienis bonis aut malis.

Peccat ne Dauid, cum ait, Perfecto odio oderam eos? Non peccat. Nam irasci propter gloriam dei et amorem iusticiae, est uirtus, et quidem peculiaris et excellens motus est in sanctis uiris, inflammatis studio defendendae gloriae Dei, aut defendendae iusticiae, aut ira aduersus impietatem, aut turpitudinem. Hic impetus placet Deo, sicut Phinees propter zelum promittitur sacerdotium. Et 4. Regum laudatur Iehu, qui inquit: Vide zelum meum pro Domino. Et alibi dicitur: Zelus domus tuae comedit me, id est, exarsi magno impetu defendendae domus Dei. Hoc affectu Helias, Helisaeus occiderunt impios, et prophetae maledicunt impijs, ut in psalmis apparet. In heroicis uiris est similis quidam impetus defendendae iustitiae, puniendae turpitudinis, tuendae Reipub. etc. Hunc affectum philosophi uocarunt Nemesin. Et quanquam talis ira est heroica, nec simulari potest, sed est peculiare donum Dei, tamen Magistratus, quantum fieri potest, talem zelum, et talem iram imitari debet. Sed tunc peccatum est irasci, cum priuata cupiditate incitati irascimur, uidelicet, non principaliter propter gloriam Dei, aut amorem iusticiae, aut odium turpitudinis, sed quia nobis commoda nostra E 2.
eripiuntur, et interturbantur uoluptates. In talibus priuatis caußis irasci, odisse alios, incendi cupiditate uindictae, sunt peccata contra praeceptum: Dilige proximum sicut te ipsum. Et Christus Matthaei 5. refert ad hoc praeceptum: Non occides. Item iubet inimicos diligi, et prohibet priuatam uindictam. Atque hic cauendum est, ne priuatis affectibus atque odijs praetexatur species zeli, ut hypocritae et Tyranni saepe faciunt. Postremo, in hoc praecepto consyderentur comminationes, et promißiones. Comminationes aliquas supra recensui. Homicidia haud dubie punit Deus, etiam corporalibus poenis, sicut ait Christus: Qui gladium acceperit gladio peribit, Et de Abel dicitur: uox sanguinis fratris tui clamat ad me. E contra proponamus nobis etiam promißiones, ut ad clementiam et cohibendam cupiditatem uindictae nos inuitent. Christus inquit beati mites quia poßidebunt terram. Item: Remittite et remittetur uobis. Et ecclesiastici 28: Aduersus ulciscentem deus exercebit uindictam, et peccata illius seruabit. Item: remitte proximo qui tibi nocuit, et tunc deprecanti tibi remittentur peccata. Inprimis autem in Repub. necessaria uirtus est cohibere cupiditatem uindictae, quia ibi nisi interdum dißimulemus iniurias, existunt ingentes motus. Hic condonandae sunt iniuriae communi tranquillitati, sicut docet praeceptum: Dilectio est uinculum integritatis, id est, ne dissoluatur Ecclesia. Valde laudatur Graecum illud praeceptum: *μὴ μνησικακεῖν*.

Quomodo fit hoc praeceptum, et quomodo placet Deo, et fit cultus Dei? OMnia praecepta referenda sunt ad primum. Nam

hoc fine omnia fieri debent, ut in ijs officijs deo obediamus. Ita igitur fit hoc praeceptum, cum prius fide statuimus, nos propter Christum placere Deo, et postea incipimus obedire DEO in his praeceptis. Timemus Deum, nec uolumus eum offendere. Ideo abstinemus ab iniusta uiolentia, repugnamus iracundiae, reprimimus odium. Et haec exercitia non sunt facilia. Ideo pij in hoc certamine adiuuantur a spiritu sancto. Haec inchoata obedientia et si procul abest a perfectione, tamen propterea quia sumus in Christo placet Deo, sicut et psalmus concionatur pijs: Irascimini et nolite peccare, id est resistite irae. Fit autem cultus Dei propter finem, quia hoc fine praestatur, ut Deo obediamus in his officijs.

E 3. **Sextum praeceptum. Non moechaberis.**

Quid praecipit Sextum praeceptum? APprobat coniugia et coniugalem consuetudinem, Deinde prohibet omnes uagos concubitus, et prohibet non tantum externa facta, sed etiam affectus impuros et incendia animorum, sicut Christus interpretatur: Qui uiderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est.

Recita comminationes additas huic praecepto. Non solum imbecillitas magna est in animis hominum, qua fit ut facile inflammetur concupiscentia, sed etiam horribilis caecitas est, quae facit, ut extenuent homines hoc peccatum, nec uideant iram dei aduersus hoc peccatum, nec moueantur minis aeternarum aut corporalium poenarum. Nam maximae calamitates humanae plerumque sunt poenae idolatriae, Tyrannidis, et libidinum. Ita in caußis Diluuij recensentur libidines. Sodoma conflagrarunt propter nefariam impuritatem. Ciues Sichem interfecti sunt propter stupratam filiam Iacob. Deinde in deserto propter libidines una die uiginti tria milia hominum perierunt. Postea fere tota tribus Beniamin deleta est propter stupratam Leuitae uxorem. Filij Heli propter adulteria perierunt. Dauidis adulterium magnas ipsi et regno calamitates attulit. Ostendunt poenas huiusmodi flagitiorum etiam aliarum gentium historiae, ut Troia propter raptam Helenam euersa est. Romae tota respublica mutata est propter Lucretiam ui compreßam. Deinde propter Appij scelus qui Virginij filiam rapere conatus est, iterum mutata est Respublica. Plutarchus narrat duas puellas a laconicis iuuenibus per uim stupratas, deinde interfectas esse. Narrat et alia quaedam facinora, sed in pugna Leuctrica Lacedaemonij uicti sunt ad sepulchra illarum puellarum, ut appareret deum ulcisci illa stupra. Philippus Macedo propter perpeiratum nefas huiusmodi interfectus est. Miletus, Sybaris, Athenae et aliae graeciae ciuitates, denique Roma propter libidines euersae sunt. Constantinopolim aiunt etiam ante captiuitatem horribilibus sceleribus pollutam fuisse. Has historias attigi breuiter, ut similia exempla obseruentur uetera et recentia, eaque sciamus
E 4. non casu accidere, sed poenas esse diuinitus irrogatas pro talibus flagitijs. Ac certißimum signum est impendentis exitij imperijs et ciuitatibus, quando ad ipsa uitia accedit impunitas et contemptus peccati. Sicut Esaiae tertio dicitur, Peccatum suum sicut Sodoma praedicauerunt. Cum talis est licentia, sciamus non procul esse poenas. 1. Corin. 6. Fornicatores, adulteri etc. non erunt haeredes regni dei, et sequitur deinde longa concio. Eph. 5. omnis fornicatio et impudicitia non nominetur inter

uos. Gal. 5. Opera carnis sunt adulterium etc. Qui talia agunt, regnum dei non poßidebunt. Coloß. 3. Fornicatio et impudicitia etc. propter quae uenit ira dei super inobedientes. 1. Thes. 4. Haec est uoluntas dei sanctificatio uestra ut abstineatis a fornicatione. Hebr. 13. Fornicatores et adulteros iudicabit deus. Hebr. 12. Sequimini sanctificationem, sine qua nemo uidebit dominum. 1. Petri 2. antefert caeteris peccatis libidines, et significat praecipue propter libidines puniri homines priuatim et publice. Iniustos ad diem iudicij reseruat, maxime uero ambulantes in concupiscentia immunda iuxta carnem. Itaque exempla testantur publicis calamitatibus saepe punitas esse libidines. Ephe. 4. docet caecitatem et securitatem comitari libidines, cum ait. Qui cum dedoluerunt se tradunt immunditiae. Et Oseas monet caecitatem poenam esse libidinum. Ebrietas et fornicatio auferunt cor. Sunt autem gradus libidinum, qui et poenarum gradus habent in exemplis sacrarum litterarum et legibus. Nam imperia debent publicis poenis haec flagitia punire: sicut testatur haec sententia Lex est posita iniustis. Hic autem intelligamus etiam uicina uitia prohiberi, quae alunt libidines, qualia sunt intemperantia, ocium, luxus, sicut ait Ezechiel cap. 16. Haec fuit iniquitas Sodomae, superbia, saturitas panis et abundantia, et ocium, et manum egenti non porrigebant. Ideo fecerunt abominationes propter quas deleui eos, Vt autem propheta coniungit uicina peccata, ita hic prohibentur omnia uitia quae alunt libidines, ut intemperantia, otium, ebrietas.

Quomodo fit hoc praeceptum? ITa fit, cum agnoscimus immunditiam nostram, et fide statuimus nobis deum propitium esse propter Christum, et incipimus Deo obedire in hoc praecepto, sic ut in TIMORE DEI et propter DEVM repugnemus affectibus, qui ad libidines incitant, et abstineamus a scortatione, adulterijs et incestis libidinibus, sed coniugio pie utantur illi quibus est opus, iuxta illud Pauli: propter fornicationem unus quisque habeat uxorem suam. Nam coniugalem consuetudinem approbat deus sicut Christus clare docet Matthaei 19. Et Paulus 1. Corinth. 7. et 1. Timothei 2. Haec inchoata obedientia placet deo, propterea quia sumus facti filij, et habet ingentia praemia sicut testatur exemplum Ioseph. Et quanquam haerent in nobis uiciosi affectus, tamen condonantur ijs, qui repugnant et credunt in Christum. E 5.

Dic septimum praeceptum. Non furtum facias.

Quid praecipit? VItae opus est rerum usu, posseßione, et contractibus. Ideo iam docet etiam in his rebus deo seruire, et primum, quia uetat furta, sequitur quod liceat suum cuique tenere. Quare rerum distinctionem et dominia approbat. Estque doctrina utilis conscientiae, intelligere quod deo placeat haec externa et politica ordinatio distinctionis dominorum. E contra prohibet omnia uitia pugnantia cum hac ordinatione, furta, rapinas, iniustos contractus, et qualescunque expilationes priuatas et publicas, mendicitatem non necessariam, negligentiam in curandis facultatibus nobis commißis, prodigalitatem et profusiones et sumptus inutiles, corruptelas, quibus emuntur patrocinia in malis caußis, mercedes iniustas, imposturas in mercibus etc. Nec tantum exteriora facta prohibentur, sed etiam interiora uitia: auaricia, et omnis cupiditas iniusti lucri et *πλεονεκτημάτων*, tenacitas in dandis necessarijs eleemo-

synis, in iuuanda Ecclesia et Rep. postremo et naturalis concupiscentia repugnans huic praecepto. Haeret enim in animis hominum diffidentia, qua fit ut non expectent homines uictum et caetera commoda uitae a Deo. Inde oritur sollicitudo de uictu et fortunis, quae impellunt homines ut appetant aliena, ut insidientur alieno, et quoquo modo quaerant. Itaque accusat et hoc praeceptum omnes homines, et erumpit concupiscentia adeo, ut mundus plenus sit furtorum, id est, iniustorum aucupiorum, iniustorum contractuum, rapacitatis, et similium uitiorum.

E 6. Quomodo fit hoc praeceptum? CVm agnoscimus nostram infirmitatem, et fide credimus nobis propter Christum remitti peccata, fit hoc praeceptum cum inchoatur obedientia, uidelicet cum petimus et expectamus ex Deo uictum et fortunas, et cum iuxta mandatum Dei laboramus, et iuste parto utimur, et propter timorem Dei cauemus illicitos modos quaerendi res. Item damus de nostro necessarias eleemosynas propter mandatum DEI, iuuamus quantum possumus de nostro Ecclesiam, uidelicet ministros euangelij, et studia. Item Rempub. Hic magna consolatio est pijs intelligere, quod haec obedientia Deo placeat, et quod haec ipsa oeconomica officia, id est, diligentia parandi facultates, et legitimus usus earum, sunt cultus Dei.

Licet ne christianis tenere proprium, et esse diuites? LIcet tenere proprium et habere diuitias, sicut multae sententiae testantur. Paulus ad Timo. ait: Praecipe diuitibus ne superbiant et caet. Non igitur prohibet esse diuites. Et in genere tenenda est Regula, quod Euangelium non aboleat politicas ordinationes. Pertinet autem et distinctio dominorum ad politicas ordinationes. Item Euangelium uocat ad Christum Reges et Principes, manentes in imperijs. Licet igitur esse diuites. Sed Regula Salomonis tenenda est, qui ait: Fontes tui deriuentur foras, et tu dominus eorum esto. Hac figura pingit et proprietatem rerum, et eleemosynas. Vt enim alijs concedimus ut ex fonte nostro hauriant aquas, aut deducant riuulos, ita tamen, ut nos fontis dominium retineamus. Sic ex fructibus nostri patrimonij congerendae sunt eleemosynae, ita tamen, ut fundus nobis sit saluus, seu ut sit incolume patrimonium. Nam et Reipub. cauſa opus est esse multos diuites. Igitur utraque uirtus necessaria est, parsimonia in conseruandis patrimonijs, et liberalitas in largiendis eleemosynis, sed necessarijs.

Quae sunt eleemosynae necessariae? TRia genera sunt precipue necessaria. Primum, conferre aliquid ad ministerij Ecclesiastici conseruationem. Hoc officium saepe praecipitur in scripturis. Christus ait: Dignus est mercede is qui laborat. Et Paulus ad Corinthios: Sic et Dominus ordinauit, ut ij qui annunciant Euangelium, uiuant ex Euangelio. Et addit magnas promißiones CHRISTVS in Euangelio: Qui
E 7. dederit minimo in nomine discipuli, non perdet mercedem suam. Et extant paßim in Prophetis promißiones amplißimae, ut Haggaei primo et Malachiae primo. Sciant ergo pij hoc genus eleemosynarum ita necessarium esse, ut qui non praestant pro sua uocatione et facultatibus, et pro suo loco, grauiter offendunt DEVM. Principes et Respublicae debent tueri pios ministros et curare eis uictum. Debent et studia excitare suo sumptu. Sic et priuati debent liberaliter conferre ad alendos ministros ecclesiasticos et studiosos. Debent et alijs officijs eos iuuare.

Secundum genus est, largiri egenis cognatis, ut parentibus, fratribus, liberis, aut alijs propinquis, quia in dandis eleemosynis primum est habenda ratio propinquorum, sicut Paulus inquit ad Timotheum: Discant primum exercere pietatem erga propriam familiam, et uicem reddere parentibus. Ita si quis suos, et maxime domesticos non curat, deterior, est infideli, quia cognatis dupliciter obligati sumus, et naturali *φιλοστοργία*, et propter illud commune praeceptum de iuuandis egentibus. Saepe autem existit etiam in infidelibus naturalis *φιλοστοργία*.

Tertium genus est iuuare alienos, quos tamen praesens occasio nobis commendat, scilicet quia nobiscum uiuunt, et impediti ualetudine aut alijs ueris difficultatibus, non possunt sine alieno auxilio uiuere. Hos petentes non iuuare pro modo facultatum est peccatum, sicut primae Ioannis tertio scribitur. Qui habet facultates et uidet fratrem suum egere, et claudit uiscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo? Ita et lex Mosi, cum praecipit ut singulae ciuitates suos egenos sustentent, significat presentibus talia beneficia deberi. Nam in Deuteronomio cap. 15. nominatim fit mentio illorum qui nobiscum habitant. Sic enim inquit Textus. Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuae, in terra quam dominus deus tuus tibi daturus est, ad paupertatem redactus fuerit, non obturabis (sic!) cor tuum etc. Et deinde. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuae. Idcirco ego praecipio tibi ut aperias manum fratri egenti et pauperi, qui tecum habitat in terra. Constituit et Paulus modum Eleemosynis 2. Corin. 8. ut ita largiamur, ne nobis sit tribulatio, alijs remißio, sed ut ex aequalitate pro praesenti occasione ex eo quod nobis superest consulatur illorum inopiae. Hic cum nominatim dicat ex eo quod superest, uult ut largiamur de fructibus patrimonij, nec tollit discrimina diuitum et pauperum: Non enim tollit distinctionem E 8. dominorum, et politicas ordinationes. Nam et paulo ante praefatus est, se de uoluntaria collatione loqui, non imperare ut discedant a facultatibus. Ergo aequalitas intelligenda est non Arithmetica, sed Geometrica, id est, ut ratione fiant aequales diuites et inopes uidelicet ut quo quisque ditior est, eo fit liberalior. Item ut diuites benigne largiantur, inopes uero non abutantur aliena liberalitate, nec utantur alieno nisi in necessitate, non exhauriant aliorum patrimonia et caet. Nam mendicitas, quae non habet probabilem caußam, est peccatum, et furti species, sicut 1. Theßalonicen. 4. dicitur: Adhortamur uos fratres, ut studeatis eße tranquilli, et suum quisque officium faciat, et laboret suis manibus. Et 2. Thessa. 3. Si quis non uult laborare, non comedat. Item: Vt cum tranquillitate laborantes, proprium panem comedant. Talibus ignauis mendicis non est opus largiri. Ac uidendum est in eleemosynis, ne sint profusiones ad ostentationem comparatae, sed neceßitati aliorum consulant propter mandatum Dei. Haec uera officia seuerißime praecepta sunt, et habent grauißimas comminationes et promißiones, sicut ait Christus. Esuriui, et non dedistis mihi cibum. Prouerbiorum 21. Qui obturat aures ad clamorem pauperis, uicißim clamabit et ipse, et non exaudietur. Item Esaiae 58. Frange esurienti panem tuum, etc. tunc inuocabis, et Dominus exaudiet.

Licet ne christianis uti contractibus? LIcet, iuxta usitatam Regulam: Euangelium non abolet ordinationes politicas, aut oeco-

nomicas, et quidem iura naturae non abolet. Sunt autem contractus iuris naturae, quia uita humana habet opus mutua communicatione, quae fit per contractus. Quare sciat Christianus contractus esse ordinationem Dei, sicut alias politicas ordinationes quemadmodum et Salomon dixit: Libra et pondus, iudicia DOMINI sunt, id est, res a DEO iuste ordinatae. Sed in primis consyderet Christianus finem illarum ordinationum principalem. DEVS enim haec dona ordinauit ad hunc finem, ut per ea mutuam charitatem exerceamus.

F 1. Quare Christianus in fide utetur contractibus, tanquam dono Dei et sciet his officijs exercendam esse charitatem erga proximum. Quare non defraudabit proximum per praetextum contractuum, nec struet per contractum insidias proximo. Quatenus autem utendum sit contractibus, et quatenus lucra concessa sint in contractibus, leges politicae consulendae sunt, quia Christianus potest uti legibus ciuilibus, et uidendum est in quibus contractibus leges concedant lucra et approbent, in quibus non approbent, ut in uenditione et locatione rerum, uel operarum mediocria lucra conceduntur. Aut enim officia, aut res seu operae communicantur. Vt autem poßit esse perpetua communicatio, necesse est effici aequalem compensationem. Si enim una pars tantum daret, altera tantum acciperet, non esset perpetua communicatio. Ideo leges non uolunt officia rebus compensari, sed offitijs, quia res alterius partis exhaurirentur, et iure naturali quaedam officia homines debent hominibus, uidelicet quae nobis non nocent et alijs necessaria sunt. Sunt igitur gratuiti contractus mutuacio et depositum. Rursus ubi res uel operae communicantur, necesse est rebus uel operis fieri compensationem. Ideo in emptione et locatione lucra conceduntur. Ita lex naturae docet aequalitatem in contractibus. Nam haec sententia est lex naturae, ne quis locupletari uelit detrimento alterius. Hic quaeritur de reditibus, item de contractu cum pacto redemptionis. Item de eo quod interest, item de usuris.

De reditibus. REditus sunt duplices, alij constituti sunt a legitima potestate in bonis subditorum. Hi si sunt moderati sicut uectigalia esse conuenit, sunt liciti. Nam magistratibus debetur stipendium, ut Roman. 13. scriptum est, ita et deus constituit sacerdotibus decimas. Caeterum potestates uiderint, ne immodice onerent bona subditorum, quia peccant contra hoc mandatum Dei: Non furaberis, cum sine iusta et necessaria causa ad Rempublicam pertinente, onerant populum nouis aut immodicis tributis, quia populus habet proprietatem in suis rebus, sicut historia de Naboth testatur, 3. Regum 21.

Alij reditus sunt priuato arbitrio constituti, ut cum aliquis constituit in fundo certo seruitutem pro precio, ut alius inde quotannis habeat certam pecuniam, aut certos fructus. Hi contractus etiam sunt liciti, scilicet, si sint uerae uenditiones, hoc est, si fundus poßit sustinere hoc
F 2. onus, et in contractu uere insit fundus, unde reditus sit soluendus. Tales reditus uendere, emere, et poßidere licitum est. Vt enim licet totum fundum uendere, ita fundi partem. Aut, ut licet in fundo iter, aut actum constituere, ita licet hanc seruitutem constituere, ut alius accipiat aliquam partem fructuum, si tamen fundus id onus sustinere poßit, et seruetur in emptione mediocris aequalitas. Ac tales emptiones non fiunt uitiosae pacto redemptionis. Cum igitur maneat natura emptionis, etiamsi tale

pactum accedit, licet emere, uendere, et poßidere fundos aut reditus, cum pacto de reuendendo.

De usuris. Licet ne usuras accipere? NOn licet. Quia Christus inquit: Mutuum date, nihil inde sperantes. Et lex prohibet Deuterono. 23. Fratri tuo absque usura mutuabis id quod indiget. Et Psalm. 14. Qui pecunias suas ad usuram non dedit. Et Ezech. 18. Sunt autem usurae, quando in mutuatione paciscimur, ut aliquid supra sortem nobis propter ipsam mutuationem detur. Ideo autem sunt iniustae usurae, quia exigitur non debitum. Soluens enim mutuum nihil amplius debet, et tamen amplius exigitur pro nulla re. Ergo non seruatur aequalitas. Et haec caußa est, cur usurae exhauriant ciuitates, quia foeneratores auferunt plurimum, pro quo nihil recipit soluens. Non potest igitur talis communicatio esse perpetua, cum non sit mutua compensatio.

Estne usura, reditus habere emptos in aliquo certo fundo fructificante, ut supra dictum est? REspondeo, non est usura, quia ille contractus non est mutuatio, sed uera emptio. Concurrunt enim ibi substantialia emptionis, merx, praecium, et consensus. Merx est ius seu seruitus in illo fundo fructificante. Atque hinc facile potest iudicari, quando sit uera emptio, scilicet cum subest merci aliquod corpus, quo corpore pereunte, reditus periret. Item in mutuatione is qui dedit mutuo, retinet ius repetendae sortis. Sed is qui emit reditum in alienis bonis, non habet ius repetendae peccuniae: Ergo ille contractus non est mutuatio.

De eo quod interest. Estne usura soluere id quod interest? REspondeo, id quod interest, omnino differt ab usuris. Nam id quod interest, debetur etiam sine pacto, et tunc habet locum, cum aliquis alteri dedit efficacem caußam damni, ut si quis promisisset se soluturum esse ad Calendas Maij, et illo non soluente ego damno aliquo affectus essem, ob hanc ipsam caußam quia illa peccunia caruißem, ille quia dedit efficacem caußam damni, debet soluere id quod interest. Iusta est igitur ratio, et consentanea naturae, cur soluendum sit id quod interest: quia nemo debet uelle locupletari cum damno alterius. Hoc exemplum aliquo modo indicat quid uocetur intereße, et ubi locum habeat. Non enim debet praetexi rapacitati foeneratorum, qui mutuationem tantum in quaestum conferunt, nec petunt id quod interest: quia mutuo accipiens dederit efficacem causam damni, sed simpliciter petunt lucrum. Cum autem magna sit uarietas contractuum, prudentia adhibenda est in iudicando, nec temere pronunciandum est: et cum contractus sint res politicae, ualet iudicium magistratus ac legum, sapientis et aequi iuris consulti de contractibus, sicut et de aliis rebus politicis. Hic sapiens Iuris consultus discernet usuras et id quod interest. Conferet etiam mandata diuina cum iure humano, ne approbet aperte pugnantia cum mandatis Dei. F 3. 25

De restitutione. Estne uera regula: Peccatum non remittitur, nisi ablatum restituatur? REspondeo, haec regula uera est in genere de omnibus, qui scientes et uolentes alienum detinent, et habent unde reddant seu possunt reddere, sicut Paulus inquit: Qui furatus est, deinceps non furetur. Atqui ille qui furatus est, tantisper est fur, dum alienum sciens ac uolens retinet, sicut is qui rapuit alienam

coniugem, tantisper est raptor seu moechus, dum eam retinet. Ergo cum Paulus uetat deinceps furari, uult alienum reddi, ut ille qui inuasit alienum, desinat esse fur. Haec generalis regula tenenda est. Sed impoßibilitas habet excusationem, et sunt uarij casus, in quibus adhibenda est *ἐπιείκεια*, ut in aliquibus arcanis negocijs cauenda sunt scandala et cauenda est infamia, quia famae iactura maior est quam rerum iactura.

Contra:

Satisfactio est inutilis,
F 4. Restitutio est satisfactio,
Ergo restitutio est inutilis.

Respondeo: Nego minorem, quia restitutio uere et proprie est pars contricionis: non est illa Canonica satisfactio, quam definiunt eße opera non mandata et caet. Exemplum. Vt peccatum non remittitur retinenti alienam coniugem, ad contritionem pertinet. Ita rem alienam reddere, ad contritionem pertinet, quia contritio est pauor et dolor de peccato, et deinceps non committere facta contra conscientiam et mandatum Dei.

An quae tenentur praescriptione, iuste tenentur? REspondeo, iuste teneri res praescriptione, quia autoritate legis tenentur, quae est uerius domina rerum, quam priuati, sed absit dolus in praescriptione, et concurrant reliquae circumstantiae, de quibus leges praecipiunt, ut scilicet bono titulo rem nactus sis.

An rapta in bellis sint retinenda? REspondeo, Iusta bella gerentes fiunt uere domini corporum et rerum quas capiunt, ideo et corpora et res captas iuste tenent. Sunt autem iusta et legitima bella quae suscipiuntur a legitimis potestatibus ad propulsandam iniustam uim seu latrocinium. Est et alia species iusta cum bellum a superiore potestate suscipitur ad puniendum manifestum scelus alicuius populi aut principis, ut Israelitae mouerunt bellum ad puniendam tribum Beniamin, propter stupratam Leuitae coniugem. Nam Deus constituit magistratus ut depellant latrocinia et puniant manifesta delicta, Roman. 13. Cum autem bellum sit una ex acerbißimis poenis, quibus Deus punit mundum, pleraque accidunt in bellis atrociora, quam exacta norma iusticiae postulat. Nec medium in his actionibus accurate constitui potest, sed si principalis caußa iusta est, bellator sciat militiam illam eße licitam, et res occupatas iuste poßideri. Caeterum bellator si est pius, non suscipiet nisi necessaria bella, moderabitur non necessariam crudelitatem. Denique in multis rebus non sumit sibi licentiam usitatam impijs militibus.

De reditibus Ecclesiasticis. ECclesia habet opus aut collationibus, aut reditibus, propter tres caußas. Primum, ad alendos ministros Euangelij. Secundo, Ad scholas conseruandas, ubi sumptus
F 5. suppeditandi sunt doctoribus et aliquibus pauperibus scholasticis. Tertio etiam alij uere pauperes ex publico iuuandi sunt. Propter has tres caußas opus est Ecclesiae facultatibus, sicut et Paulus iubet ministros ab Ecclesia ali. Item suppeditari pauperibus. Et quoniam populus tenuiter confert, principum officium est, constituere Ecclesiis reditus aut pensiones, sicut etiam significat Esaias capite 49. cum ait: Reges erunt nutricij tui, et reginae nutrices. Et ex Augustino et historijs apparet, has initio caußas fuisse Donationum Ecclesiasticarum. At dominium harum rerum pertinet,

non ad pontifices, aut principes, aut populum, sed ad Ecclesiam hoc est, nec Episcopis, nec Principibus, nec populo licet hos reditus transferre ad alios usus, quam ad conseruationem ministerij et studiorum.

Hinc facile iudicari potest, multiplicia esse furta in hoc genere, quia omnes qui fruuntur his bonis, neglecto ministerio Euangelij et neglectis studijs, peccant. Hic est ingens numerus Episcoporum, Canonicorum, et monachorum, qui non sunt usui Ecclesiae, qui deuorant facultates Ecclesiasticas, cum interea esuriant pastores, aut nulli habeantur, et negligantur studia.

Huius rei imago in historia paßionis Christi proposita est. Sicut enim milites diuidunt uestes Christi, et de eis sortiuntur, ita principes et potentes partiuntur inter se Episcopatus et sacerdocia, neglecto ministerio et neglectis studijs. Donatistarum Ecclesiis publici magistratus auferebant facultates, et transferebant ad pias Ecclesias, qua de re et si conquerebantur Donatistae, et disputabant propter dissensionem dogmatum nemini eripiendas esse facultates, tamen Augustinus respondit hanc pecuniam esse Ecclesiae, ideoque recte per superiores magistratus eripi his qui non pertinent ad Ecclesiam, et transferri ad ueros usus Ecclesiae. Discernendae etiam sunt in hoc casu priuatae facultates et alienae. Peccant igitur grauißime et alij, qui ita deripiunt facultates Ecclesiasticas, ne rursus ad Ecclesiae usus conferri possint. Peccant et Respublicae, quae nihil conferunt ad conseruationem ministerij et studiorum. Haec furta non sunt leuia peccata, sicut testantur grauißimae conciones in Prophetis, ubi Deus seueriße minatur illis, qui non iuuant ministros templi, ubi debent iuuare, aut conferre ad eos iuuandos. Haggaei primo: Aedificate domum meam, et placebitis mihi: Item, Domus mea deserta est, et festinat unusquisque ut suam domum extruat. Ideo prohibui ne F 6. coelum det rorem, et ne terra sit foecunda. Et Malachiae 3. Inferte omnem decimam in horreum meum, et aperiam uobis cataractas coeli, et effundam benedictionem, id est, incrementa, augmenta, abunde. Et prouerbio. 3. Honora Deum de tua substantia, et de primicijs omnium frugum tuarum, et implebuntur horrea tua saturitate, et uino torcularia redundabunt. In his operibus uult Deus exerceri fidem, quae si adesset, liberaliores essemus in hoc genere officiorum. Si enim uere expectaremus a Deo facultatum conseruationem, profecto libentius largiremur.

De octavo praecepto.

Quid praecipit Octauum praeceptum? IVbet ut propter Deum praestetur ueritas in omni uita, dictis et factis, ac nominnatim in iudicijs, in contractibus et in pactis, requirit ueritatem. Vide autem quam late pateat hoc praeceptum, regit iudicia, pacta, contractus, et complectitur partem iusticiae particularis, scilicet quae uetat ne fraude et per calumnias alij laedantur. Sunt enim duplices iniuriae. Aliae fiunt ui, aliae sine ui manifesta, sed dolo et fraude fiunt. Violentia prohibetur in Quinto et Septimo praecepto. Hic prohibentur mendacia, imposturae, calumniae. Ita sparsa est iusticia particularis in haec praecepta. Nam iusticia particularis prohibet iniurias utriusque generis. Porro haec uirtus quae uetat mendacia et calumnias, uocatur ueritas. Vt autem superiora praecepta alias partes Reip. munierunt, ita hoc praeceptum munit iudicia, pacta et

contractus. Facile autem possunt agnosci peccata craßiora pugnantia cum hoc praecepto. Vt enim hic confirmantur iudicia et omnia forensia officia, si rite et bona conscientia fiant, sicut et iuramentum de calumnia praecipit. Ita e contra damnantur omnes falsae et calumniosae accusationes et defensiones et sententiae in iuditijs. Denique tota sophistica forensis, item falsa testimonia et consilia: item deprauatio artium et rectae doctrinae: item uiolatio pactorum et promissorum in contractibus. Denique insidiosa simulatio aut occultatio in moribus et uita, quia ueritas non modo in pactis, promißis aut iuditijs requiritur, sed etiam in tota uita, uidelicet candor, simplicitas id est, rectitudo seu ingenuitas, quae facit ne temere de alijs suspicemur, ut dextre interpretemur aliorum dicta aut facta, ne sinistra interpretatione deprauemus probabiliter dicta aut facta,
F 7. ne insidiosa occultatione captemus aliquod *πλεονέκτημα*, ne sit in amicitia simulatio, sed luceat in dictis et factis et omni consuetudine rectitudo quaedam, et appareat nos serio et bono studio agere omnia, quae ostendimus, et prae nobis ferimus. Talis ingenuitas attribuitur Achilli apud Homerum, qui ait se odisse ut mortem eos, qui aliud dicunt, aliud sentiunt. Etsi autem maxime decet heroicos uiros haec ingenuitas, tamen requiritur in omnibus, ac maxime in explicatione doctrinarum. Sed praeceptum Dei non modo uirtutem ipsam requirit, sed etiam postulat ut referatur ad gloriam Dei, hoc est, ut amemus et praestemus ueritatem, ut Deo obediamus. Est et uulgare uitium maledicentia, uidelicet illorum qui libenter serunt de alijs sermones, quibus eorum fama laeditur, aut qui delectantur accerbitate aut scurrilitate conuitiorum, aut qui obtrectant alienae existimationi. Haec omnia uulgo detractionem uocant. Et alias haec consuetudo ex naturae uanitate oritur. Quosdam enim hi sermones sine illa caussa delectant, tantum propter naturae uanitatem. Alias ex ambitione et inuidia. Interdum species est adulationis maledicere alijs in aliquorum gratiam. Sunt etiam quaedam distortae naturae adeo uirulentae et plenae liuorum, et suspicaces ut sola naturae maleuolentia sine alijs caußis impellat eos ad maledicendum. Quo in genere peccant non tantum qui serunt fabellas, aut crimina de alijs, sed etiam auditores, qui libenter uel auide audiunt, sicut Pindarus inquit (am Rand: *ὄψον δὲ κατηγορίαι τοῖς φθονεροῖς*): Inuidis obsonium esse maledicta. Cum autem hoc uitium sit communißimum, discamus frenare linguam, et corrigamus morbos animi, qui aut pariunt aut confirmant linguae petulantiam, et meminerimus eam pugnare cum hoc praecepto: Non dices falsum testimonium. Et Christus ait: Nolite iudicare, ne iudicemini.

Sed hic quaeritur, an non licet manifesta et publica uicia reprehendere? Respondeo, Sententia Christi: Nolite iudicare, non prohibet officium Iudicis, aut concionatoris, sed prohibet priuatam maledicentiam, et in rebus dubijs calumnias. Est autem priuata maledicentia, quandocunque extra iuditium, aut contionem, aut deliberationem, aut piam castigationem, dicuntur in alios conuicia, etiamsi uera et manifesta sunt, ubi uidelicet non dicuntur, ut uel ille emendetur, qui accusatur uel consulatur alijs, sed erumpunt aut ex naturae uanitate, aut ex morbo animi. Porro hoc tempore est usitatum maledicere summis atque infimis, et praesertim
F 8. principibus, et doctoribus, imo ipsis etiam artibus, et saepe in rebus dubijs calumniose reprehenduntur, ubi ea quae sunt ambigua, non erant

in deteriorem partem interpretanda. Multo plus peccant qui recta facta aut dicta calumniose deprauant, sicut saepißime accidit. Porro quam turpis res sit et Deo displiciens (sic!) calumnia, hoc potest animaduerti, quod ab hoc uitio autor peccati Diabolus nomen habet. Et hoc loco sciendum est, eos qui falsas fabulas de alijs serunt, debere illis restitutionem famae, sicut in furto debent restitutionem rerum: quia inter bona externa praecipium est bona existimatio. Recte enim dicitur: Bona conscientia nobis opus est, bona fama autem de nobis opus est proximis. Nam honesta opinio inuitat alios ad uirtutem, ideo in Prouer. scriptum est: Melius est nomen bonum, quam diuiciae multae. Et Ecclesiastici 41. Curam habeto de bono nomine, hoc enim praestantius est mille thesauris. Et extat uersiculus: Honestus rumor alterum patrimonium est. Et grauißime inquit Gerson: Nonnunquam facilius satisfit pro homicidio corporali et furto, quam pro calumnia. Et de his qui dicunt conuicia gubernatoribus Ecclesiarum, ait Anacletus, deteriores sunt, qui doctorum uitam moresque calumniantur, quam qui diripiunt aliorum praedia.

An omne mendacium est mortale peccatum? MEndacia et in hoc praecepto prohibentur et alibi. Nam Leuitici 19. scriptum est, Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum, non eris calumniator, nec susurro in populo. Est autem mentiri, aliud loqui quam sentias, seu dißimulata ueritate falsum dicere, id uniuersaliter est mortale peccatum, cum fit iniusta uoluntate nocendi. Sed in dictis et factis sanctorum sunt etiam quaedam figurae, Vt Abraham dißimulat Saram esse coniugem, et uocat sororem. Aegyptiae obstetrices mendatio excusant se, cur non interficiant infantes Haebreorum. Rahab mendatio defendit exploratores, et scriptura testatur, deum praemia reddidisse pro his officijs. Dauid simulat se habere morbum, cum ad regem inimicum uenisset. Iudith fallit Holoferneta, et medici saepe fallunt aegrotos, ut eos iuuent, Propter huiusmodi dicta et facta pleraque in scripturis et communi uita, discernuntur mendacia. Distinguuntur autem tres species. Primum sunt perniciosa mendacia, quae fiunt cum iniusta uoluntate nocendi, ut cum falso alij accusantur. Haec omnia sine dubio sunt peccata mortalia. Porro, mendacium sua natura est peccatum mortale, etiam sine uoluntate G 1. nocendi, si uidelicet ex uanitate ingenij dicatur, nec habeat probabilem et honestam causam, qualia sunt adulatorum mendacia, quae contra conscientiam dicunt, aut qualia dicuntur a iactabundis, et alia multa. Alia species est figura seu Ironia cum uidelicet propter honestam et iustam caussam aliquid occultatur, aut etiam figurate aliud dicitur aut ostenditur, Vt cum Abraham dißimulat Saram esse uxorem, ipsa uero occultatio per sese in talibus caußis non est mendacium. Nam mentiri non est tantum occultare, sed occultata ueritate falsum dicere. Christus colloquens cum duobus discipulis, etiamsi non ita se ostendit, ut mox agnoscatur, tamen non negat se esse eum, qui erat. Tales occultationes, quae adhibentur in ijs rebus, quas dicere non necesse est, nec mendacia sunt, nec peccata, et plerumque adhibentur propter aliquam utilitatem.

Secundo ubi uero manifestatio spontanea peccatum esset, ibi conceßae sunt figurae, quae tegant negocia, Vt Rahab peccasset, si ultro prodidisset exploratores. Et mulier 2. Regum 17. peccasset, si ultro prodidisset nuncios Dauidis. In talibus casibus licet uti Ironijs. Tunc

enim figurae illae non sunt proprie mendacia. Nam mendacium proprie est deprauatio eius quod dici debet. In hoc casu Rahab interrogata est de eiusmodi negocio, quod non debebat dicere. Hinc facile possunt discerni mendacia, quae nullam habent excusationem, ab Ironijs, quae habent excusationem, si scilicet consyderetur, an id quod debet dici, occultetur, uel deprauetur. Sic aduersus hostem licet uti occultatione nostrorum consiliorum et figura aliqua, sed eatenus, ne uiolentur pacta. Nam pactorum et iurisiurandi religio iure diuino seruanda est. Ideo etiam fides hosti data, seruari debet. Sed praeter pacta et iusiurandum uti occultatione consiliorum, uel aliqua figura concessum est. Sic occultare licet innocentem, quem Tyrannus aliquis inquirit, ut eum afficiat supplicio, quia in tali casu manifestatio spontanea peccatum est. Constituta ergo definitione, quid sit mentiri, facilis erit dijudicatio, ubi sint excusabiles figurae. Est enim mentiri non solum occultatio, sed deprauatio contra conscientiam, de ea re, quam dici oportuit.

Addunt Tertiam speciem iocosam, ut poemata, apologos, false dicta. Sed haec nequaquam sunt mendacia, sed potius picturae eius G 2. quod sentimus. Quod ut sit illustrius, proponimus in exemplis quibusdam propter similitudinem naturam adhibitis, ut lupus est imago tyranni, uulpecula imago hominis circumspecti et astuti. Ad hoc genus pertinent omnis generis false dicta in quotidiana uita, quibus utimur ad admonendos homines, quale illud est Philippi de iudice, qui faciem pinxerat fucis: hunc iußit abdicare officium, inquiens: Fucatum non uere iudicare.

De reliquis duobus praeceptis.

REliqua duo praecepta addita sunt, ut interpretentur legem, et discernant legem Dei ab humanis legibus et a philosophia. Nam Leges humanae prohibent externa facta. Sed haec praecepta testantur legem Dei non solum de exterioribus factis loqui, sed etiam de interioribus affectibus, et inclinatione ac immundicia naturae. Cum igitur ait lex: Non concupisces uxorem aut rem proximi, duo complectitur, et affectus malos, et caußam malorum affectuum, scilicet ipsum morbum naturae, qui uocatur peccatum originis. Hunc morbum humanae leges et philosophia non iudicant esse peccatum. Ideo lex Dei accusat eum, ut discamus, quam horribiliter haec humana natura immersa sit peccato, et agnoscamus nos non posse legi satisfacere, sed habere opus alia iusticia. Itaque haec duo postrema praecepta non pertinent ad disciplinam, sed ad superiorem usum Legis, scilicet ad accusandum peccatum in tota natura humana, ut agnoscamus uitium originis.

De fine.

IN singulis praeceptis diligenter addendus est finis, ut fiant propter Deum hoc est, ut in timore Dei et fide praestetur illud opus, ut obediamus Deo, ut Magistratui obedias, quia timeas Deum, et uelis Deo parere. Ita non defraudes alium in contractu, quia timeas Deum, et uelis Deo praestare obedientiam. Sic in singulis mandatis et operibus oportet apprehendi Deum. Et repeti primum mandatum, ut omnia opera fiant cultus Dei, et in omnibus operibus Deum intueamur, et ei seruiamus.

Repetenda est etiam in singulis doctrina de fide, quae docet quod propter Christum reputemur iusti gratis. Deinde uero placeat propter ipsum inchoata obedientia. Tenebis autem has praecipuas Questiones de quolibet mandato. Prima, Quid praecipiat. Secunda, Quo fine. Tertia, G 3.
An satisfiat. Quarta, Quomodo fiat et placeat obedientia.

De usu legis.

POstquam utcunque Decalogum enarrauimus, admonendus est Lector etiam de usu. Est autem Triplex usus. Primum tradendus est Decalogus seu lex dei moralis, ut disciplina rudes erudiat et coherceat. Et hic usus pertinet ad iniustos et iustos. Deus enim coherceri uult iniustos externa disciplina, et iustis rudibus opus est institutione, doctrina et diligentia cohercendae carnis, sicut pueris adolescentibus uulgo etc.

Secundus usus est proprius contritioni, arguere peccatum, et perterrefacere conscientiam, de quo Paulus saepe loquitur. Per legem cognitio peccati. Item lex iram efficit. Si enim nulla esset lex seu nulla obligatio, quomodo id quod fit contra uoluntatem dei, eßet peccatum? Terrentur ergo lege omnes qui nondum consecuti sunt remißionem peccatorum.

Tertius usus est in his, qui sunt iustificati. Etsi enim sunt liberati a lege ne damnet, tamen ijs opus est doctrina legis tripliciter. Primo quod ad doctrinam attinet. Secundo quod attinet ad uetustatem carnis. Tertio quod ad obedientiam attinet. Primo de doctrina constat etiam iustis opus esse uerbo, ut sciant qui cultus, qualia opera placeant deo, ne excogitent nouos cultus sine uerbo, ut Monachatus. Ideo Paulus ad Timotheum inquit: Omnis scriptura utilis est. Secundo de uetustate carnis. Neceße est uetustatem coherceri et argui, quia lex semper arguit praesens peccatum. Sed ita sumus liberi, non quod lex non arguat, sed si uincamus fide legem arguentem, idque testatur oratio dominica. Non essent debita nisi lex obligaret et argueret. Quanquam ita liberabimur cum credimus etc.

Tertio de obedientia. Etsi sumus liberi a lege ne damnet, tamen manet ordinatio et uoluntas dei, ut creatura obediat. Quare obedientia necessaria est, et quomodo placeat docet Euangelium. ideo inquit Christus: non ueni soluere legem sed implere. Item Christus inquit. Hoc est mandatum meum ut diligatis inuicem, et 2. Ioan. 3. Hoc est mandatum eius ut credamus in nomine filij eius Iesu Christi, et diligamus inuicem. Hae sententiae loquuntur de uoluntaria obedientia, et tamen nominant mandatum. Quia manet ordinatio Dei, ut creatura obediat, etiam cum G 4.
uolens obtemperat. Et tamen Euangelium interea docet, quatenus liberi simus, scilicet ne damnet Lex, non ut non fiat.

De Euangelio.

Quid differt Lex ab Euangelio? MAxime refert initio pios admoneri de discrimine harum appellationum. Nam confusio offundit magnam caliginem Euangelio. Est igitur Lex doctrina, quae docet quales esse nos oporteat, et quae opera a nobis requirat Deus, et requirit perfectam obedientiam, et damnat eos, qui non obediunt. Sed Euangelij

principalis et proprius locus est promißio, in qua gratis nobis propter Christum donantur remißio peccatorum, imputatio iusticiae, Spiritus sanctus et uita aeterna. Et hanc promißionem oportet fide accipi. Sunt autem duplices promißiones in scripturis, Vt promißiones legales: Qui fecerit ea uiuet in eis. Item: Si uis ingredi in uitam, serua mandata. Tales sunt conditionales, hoc est, habent conditionem impletae legis. Sed promißio propria Euangelij est gratuita, hoc est, non habet conditionem legis tanquam caußam beneficij, seu conditionem nostrae dignitatis. Tametsi habet conditionem fidei. Memineris igitur particulam gratis propter Christum, discrimen facere inter promißiones, idque necesse est tenere. Nam in uero agone conscientia non disputat, utrum deus sit misericors, an remittat peccata, sed illud quaerit, an nobis et indignis uelit remittere. Hic est unus portus conscientiae, tenere quod certum sit gratis remitti, quod Euangelij promißio propria sit gratuita, nec habet conditionem nostrae dignitatis. Est autem Christus aptißime complexus summam Euangelij cum ait Lu. ultimo: Praedicate poenitentiam et remißionem peccatorum in nomine meo. Hinc definitionem constituamus: Euangelium est praedicatio poenitentiae, et promißio, in qua propter Christum gratis offeruntur nobis remißio peccatorum, imputatio iusticiae, donatio spiritus sancti et uitae aeternae, modo ut credamus haec nobis certo et uere propter Christum contingere, et non propter dignitatem nostram, aut nostra merita. Haec breuis Euangelij definitio tenenda est, ut propria Euangelij beneficia sint nobis in conspectu.

Quomodo contingit iustificatio? EVangelium arguit peccata et offert promißionem Christi. Ideo perterrefacti agnitione irae dei aduersus peccata, debent credere promißioni, quod propter Christum gratis donentur eis remißio peccatorum et imputatio iusticiae. Hac fide certo consequuntur remißionem peccatorum et iustificationem seu gratiam, sicut Paulus perspicue docet Rom. 3. Iustificamur gratis ipsius gratia per redemptionem in Christo Iesu, quem proposuit deus propitiatorem per fidem in sanguine eius. etc.

Huiusmodi aliquot perspicua testimonia tenenda sunt, quae et erudiant conscientias et exuscitent fidem in omni inuocatione. Nunc adijciam uocabulorum interpretationem. Iustificari significat forensi more iustum reputari seu pronunciari. Iustus in his Pauli disputationibus significat idem quod acceptus seu placens Deo. Et IVSTIFICATIO est remißio peccatorum et acceptatio coram Deo, cum qua est coniuncta donatio spiritus sancti. Vocabulum GRATIAE idem significat, sed continet emphasim particulae exclusiuae gratis. Est enim gratia gratuita remißio peccatorum, et acceptatio propter Christum, cum qua est coniuncta donatio spiritus sancti. Vocabulum FIDES significat hic non tantum historiae noticiam sed etiam fiduciam misericordiae promissae propter Christum, seu fiduciam quae accipit promißionem, et applicat eam ad nos, sicut Paulus manifeste testatur Roma. 4. se loqui de ea fide, quae accipit promißionem, ut cum inquit: Ideo ex fide ut sit firma promißio. Quare cum dicitur: Fide iusti sumus, haec oratio correlatiue intelligi debet, hoc modo per misericordiam propter Christum iusti, id est, accepti sumus, non propter nostras uirtutes sed tamen hanc misericordiam oportet fide accipi et apprehendi. Haec est simplex et propria Pauli sententia. Ex-

plicatis uocabulis rursus monendus est lector de exclusiua gratis. Excludit enim conditionem meriti, seu nostrae dignitatis, idque propter duas caussas praecipue. Primum, ut in Christum mediatorem transferatur caussa beneficij, hoc est, ut intelligamus nobis ignosci non propter nostram dignitatem, sed propter Christum. Secundo, ut beneficium sit certum. Si enim penderet ex conditione dignitatis nostrae, fieret incertum. Si conscientia iudicaret ita nobis ignosci, postquam satis G 6. magnam contritionem aut alia merita habeamus, prorsus adigeretur ad desperationem, et fieret incertum beneficium promissum in Euangelio. De his duabus caußis maxime admonet nos particula Gratis. Cum hoc modo intelligitur exclusiua, fit dulcior conscientijs, et apparet non tolli contritionem. Oportet enim aliquam contritionem, id est pauores et terrores existere in nobis, cum agnoscimus iram Dei aduersus peccatum, sicut inquit Esaias: Vbi habitabit DOMINVS? in spiritu contrito etc. Et cum fides sit uiuificatio quaedam, necesse est existere terrores, in quibus sustentamus et consolamur nos Euangelio. Et quanquam contritio sine fide damnata est, tamen postquam acceßit fides, fit bonum opus et sacrificium, ut postea dicetur de bonis operibus.

Secundo sicut de particula gratis in promißione Euangelij necesse est admoneri auditores, ita et illud inculcandum est, quod sicut praedicatio poenitentiae est uniuersalis, ita quoque promißio sit uniuersalis, ut singuli nos in promißionem illam includamus, nec excuti nobis fidem sinamus intempestiue accersitis disputationibus de praedestinatione: sed ordiamur a uerbo, et meminerimus promißionem esse uniuersalem, et statuamus uere illa contingere nobis, quae in uerbo proposita et promissa sunt, quia Deus per Verbum suum est efficax, et in uerbo uult apprehendi, iuxta illud: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Tertio, necesse est et hoc teneri, quod cum iustificamur, donamur spiritu sancto, quem ita concipiunt corda, cum audiunt Euangelium et ei assentiuntur, ac fide se sustentant in pauoribus. Sic docet Paulus ad Galatas: Vt promißionem Spiritus accipiamus per fidem. Haec acceptio Spiritus sancti uocatur regeneratio, seu renouatio, et est inchoatio uitae aeternae in nobis, sicut Christus inquit: Haec est uita aeterna, ut cognoscant te Deum uerum, et quem misisti IESVM Christum.

Hactenus de iustificatione et de fide diximus quae in quotidiana experientia fiunt illustriora. Nam haec doctrina semper in conspectu esse debet, ut teneamus firmam consolationem, et ut poßimus inuocare Deum. Nam sine hac fide nulla est uera inuocatio, sine hac fide non C 1. apprehenditur pontifex et mediator Christus.

De bonis operibus. G 7. 40

HActenus de iustificacione et fide dictum est. Inchoatur autem in iustificatis noua obedientia. Ideo tradenda est doctrina de bonis operibus. Tria autem quaeruntur de bonis operibus. Primum, qualia opera postulentur. Secundum, quomodo illa imperfecta obedientia placeat Deo. Tertium, quomodo amittatur gratia.

Qualia requiruntur? REQuiruntur opera Lege Dei praecepta, non tantum externa, sed etiam interiores motus. Necesse est enim legem

in nobis inchoari, sicut Christus ait: Nisi abundauerit iusticia uestra etc. Item: Si uis ingredi in uitam, serua mandata. Ergo requiritur obedientia, quae sic inchoatur in nobis, cum fides ad contritionem acceßit, iam peccatum displicet, et cupimus Deo, quem agnouimus, obedire. Ita primum concipitur bonum propositum, ut uocant. Inchoantur ergo iam in corde motus consentientes Legi Dei, timor, fiducia, dilectio Dei, inuocatio, patientia, ueritas, castitas, dilectio proximi, cura Reipublicae. Hae uirtutes fiunt spiritu sancto impellente corda et crescunt cum eas exercemus sicut scriptum est: Habenti et dabitur etc. Quanquam autem in renatis bona opera sunt motus spiritus sancti, tamen spiritus sanctus mouet per Verbum, et oportet nos habere testimonium quae opera placeant Deo, ne decepti alia opera suscipiamus. Ideo cum oporteat nos regi Verbo, dictum est nominatim illa opera postulari, quae in Decalogo praecepta sunt. Etsi enim non est posita lex iusto, quod ad accusandum attinet, tamen est ei posita, quatenus docet eum, et requirit obedientiam, iuxta illud, Omnis scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, arguendum etc.

Quomodo placet imperfecta obedientia? NEcessaria est obedientia, et tamen sciendum est, eam procul abesse a perfectione, nec satis facere legi Dei, et adhuc haerere in nobis reliquias peccati. Quare nostrae qualitates aut opera non iustificant personam coram Deo, iuxta illud: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Placet autem G 8. persona fide per misericordiam propter Christum, ut supra dictum est. Deinde placet et inchoata obedientia, quia sumus facti filij, et credimus propter Christum condonari nobis indignitatem nostram. Vtrumque igitur sciri necesse est, ut fiducia propriae iusticiae, et desperatio animis eximantur. Nam agnitio infirmitatis nostrae humiliat nos, incutit terrores, et exuscitat poenitentiam. Rursus autem ingens consolatio est, quod pij in tanta infirmitate tamen norunt certo statuendum esse, quod placeant Deo propter Christum. Deinde quod Deo etiam haec inquinata et imperfecta obedientia placeat, quia sumus inserti Christo, sicut Paulus inquit: Nulla nunc damnatio est his, qui in Christo Ihesu ambulant. Tanta magnitudo misericordiae maxime accendere nos debet ad bene operandum, et ad sustinendas aerumnas omnis generis, quia discimus ex Euangelio, quomodo placeat in tanta infirmitate obedientia nostra.

Caussae hortantes ad bene operandum. NEceßitas, quae duplex (sic!) est. Prior, quia Deus mandauit ut obediamus. Altera, quia non potest existere fides in ijs, qui non agunt poenitentiam, sed laxant frenum cupiditatibus. Tertia, quia fides extinguitur, si non exerceatur in inuocatione, afflictionibus, et bonis operibus. Semper enim operibus debet praeire fides, ut cogitet mens se uelle obedire Deo, et hoc opus placere Deo propter Christum: et roget ut regatur a Deo. Sic Dauid in sua uocatione constituit se uelle obedire Deo, et sentit illa opera uocationis Deo placere, propter promissam misericordiam, et rogat ut Deus uocationem eius gubernet: hoc modo exercenda est fides in omnibus operibus. Quarta, inuitant ad bene operandum et promißiones additae operibus ac praemia. Habent enim bona opera piorum praemia corporalia et spiritualia, ut docet 4. praeceptum: Honora patrem et matrem ut sis longaeuus super terram. Date et dabitur uobis etc. Est autem et in his pro-

mißionibus exercenda fides, cum damus eleemosynam, credamus Deum tamen conseruaturum esse facultates nostras, credamus et petamus augeri dona spiritualia, sicut Augustinus inquit: Dilectio meretur augeri dilectione. Exemplum egregium propositum in historia Sareptanae mulieris, quae iussa ab Helia, primum ipsi dat cibos, quos solos habebat reliquos, et expectabat auxilium a deo, ita Deus auxit illos cibos, postea ornauit eam et alijs donis. Ita et nos exerceamus fidem in inuocatione in omnibus periculis, negocijs, et actionibus, et obediamus Deo, petentes et expectantes ab ipso auxilium. H 1.

Quomodo amittitur Gratia? DIctum est in sanctis manere peccata, sed tamen discrimen tenendum est. Quaedam sunt eiusmodi, ut simul existere fides et gratia poßint. Alia excutiunt fidem et gratiam. Hoc discrimen tradit Paul. Roma. 8. Si secundum carnem uiuetis moriemini: si autem spiritu actiones carnis mortificabitis, uiuetis. Manet enim in sanctis naturalis infirmitas, concupiscentia, et multi uiciosi affectus. Sed quia his non obtemperant sancti, uerum repugnant et agnoscunt sibi condonari hanc infirmitatem propter CHRIstum, haec peccata dicuntur uenialia, hoc est, talia quae sanctis condonantur, et propter quae non ammittunt fidem et spiritum sanctum. Est igitur peccatum ueniale uitiosus affectus, cui non obtemperant pij, sed repugnant, et credunt sibi eam infirmitatem propter Christum condonari. Sed quando non repugnant, uerum obtemperant uiciosis affectibus contra conscientiam, fiunt peccata mortalia, id est, propter quae illi, qui fuerant iusti, amittunt fidem et Spiritum sanctum, et propter quae fiunt rei mortis aeternae, sicut Paulus inquit: Fornicatores, adulteri, homicidae non poßidebunt regnum Dei. Teneamus igitur hoc discrimen, ne simus ingnaui, nec laxemus frenum cupiditatibus, ne amittamus dona Dei, sed meminerimus aßidue tanquam in acie standum esse, ad cauendas insidias Diaboli, et reprimendos uiciosos motus, ad excitandam inuocationem et fidem in tantis uitae periculis, quae et maiora et plura sunt, quam ut intelligi aut prospici à nobis possint. Ideo promissus est Spiritus sanctus, ut nos adiuuet et gubernet. Gubernat autem non ociosos et ignauos, sed repugnantes peccato, sicut Paulus hortatur, ut curemus ne frustra acceperimus gratiam. Etsi autem, ut ante dictum est, concupiscentia et uiciosi motus, quibus repugnant pij, fiunt uenialia peccata, tamen et horum magnitudo agnosci debet. Non enim sunt leues morbi, dubitatio de ira et misericordia Dei, securitas, diffidentia, non ardere dilectione Dei, non ardenter inuocare Deum, fremere aduersus Deum in afflictionibus. Haec uicia non intelligit ratio humana, ideo contemnit peccata uenialia, sed pij sciant non esse extenuanda. Nam concupiscentia cum suis fructibus est re ipsa mortale peccatum, in illis quibus non adest fides, et longe maius malum est, quam ut eius magnitudo à ratione perspici poßit. Ideo pij hos morbos agnoscant, et uere per horrescant, cum cernent quomodo repugnat natura hominis uoluntati Dei, sicut Paulus inquit: infoelix ego homo. Rursus autem erigant se fide, et sibi ignosci credant, et serio repugnent illis morbis. Hoc certamen est uera poenitentia piorum, in qua crescit nouitas spiritualis, et concipiuntur noui et ardentiores motus spirituales, sicut inquit Paulus: Exterior noster homo corrumpitur, sed interior renouatur. Et ad Collo. Induite nouum hominem, qui reno- H 2.

uatur agnitione Dei ad imaginem eius, qui condidit eum. Et ad Corinthios: in eandem imaginem transformamur, a gloria in gloriam.

De Sacramentis.

Quid est Sacramentum? Proprie est caerimonia in Euangelio instituta, cui est addita promißio Euangelij.

Quot sunt? TRia recte numerantur, Baptismus, Absolutio, Coena Domini. Baptismus est immersio in aquam, quae fit cum his uerbis: Ego baptiso te in nomine patris, et filij, et spiritus sancti. Et ad quid fiat Baptismus, haec ipsa uerba significant. Est enim sententia. Ego minister mandato diuino hac caerimonia testor, quod iam ille DEVS recipiat te in gratiam, qui est pater, filius, et Spiritus sanctus, et sic uult agnosci et inuocari, quod propter filium te recipiat et Spiritu sancto te sanctificet, et sit tibi opitulaturus, et inchoaturus nouam et aeternam uitam. Ita in his uerbis comprehensa est promißio, et summa Euangelij, et ueri cultus descriptio, quae discernit nos a Gentibus et Iudaeis, qui non inuocant DEVM per filium mediatorem, neque agnoscunt Spiritum sanctum. Quare haec uerba semper sint nobis in conspectu, semper personet nobis in auribus haec uox Dei paciscentis nobiscum, quod uere uelit nobis esse Deus, uere uelit filij beneficium et spiritum sanctum nobis inpertire, uere curet et exaudiat nos propter hoc factum.
H 3. Ideo Petrus dicit, Baptismum esse pactum bonae conscientiae erga DEVM, id est, sic sentientis de DEO, quod uere nos receperit propter filium, uere nos iam curet et exaudiat.

Quis est effectus Baptismi? PRorsus extinguit usum Baptismi pernitiosa et fanatica opinio plurimorum, quae imaginatur baptismum tantum esse notam profeßionis erga homines. Quare pij debent esse uigilantes, ne haec opinio animos eorum occupet. Statuant autem econtra, Baptismum esse testimonium uoluntatis Dei erga nos, et sic discant uti baptismo erga Deum. Quoties inuocas, cogita Deum testatum esse Baptismo, quod uere te receperit in gratiam, quod uere uelit tibi ignoscere propter filium, uere uelit te exaudire, uere uelit te sanctificare Spiritu sancto. Id testatus est hoc signo, in quo paciscitur nobiscum, se nobis futurum esse Deum, Saluatorem, et opitulatorem. Atque ita Paulus de baptismo loquitur cum uocat lauacrum regenerationis. Quo dicto clare testatur, baptismum non tantum esse notam profeßionis coram hominibus. Sunt igitur effectus Baptismi, remißio peccatorum, et donatio Spiritus sancti, sicut testatur Paulus Ephe. 5. Mundans eam lauacro aquae in uerbo uitae, ut exhiberet eam gloriosam etc. Porro adulti discant exercendam esse fidem recordatione baptismi, quia neceße est ad sacramenta fidem addi. Semper igitur baptismus debet nobis testimonium esse uoluntatis dei erga nos, quo admoniti credamus nos uera a deo receptos esse, uere donatam esse salutem propter Christum, uere sanctificari, ac iuuari a Spiritu sancto.

Suntne infantes baptisandi? REspondeo infantibus baptismum necessarium esse, quia mandatum Christi est uniuersale, Ioannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest ingredi in regnum Dei. Ergo etiam infantibus opus est baptismo, ut saluentur. Haec ratio

ducta ex uniuersali sententia satis facit pijs, et tenenda est aduersus fanaticos homines, qui improbant baptismum infantium. Sunt et plura argumenta utilia conscientijs.

Nemo saluatur extra Ecclesiam,

Infantes aliqui sunt saluandi,

Ergo necesse est eos insertos esse Ecclesiae, et applicari eis primum H 4. sacramentum.

Maior est manifesta, quia ubi non est uerbum Dei aut sacramentum, ibi non datur Spiritus sanctus, quia datur per uerbum et sacramenta.

Minor etiam manifesta est, quia Christus clare pronunciat de infantibus in populo Dei: Non est uoluntas patris, ut pereat unus de paruulis istis. Cum igitur testetur infantes illos saluos fieri, qui sunt in populo Dei, non alios extra Ecclesiam, sequitur necessario inserendos esse Ecclesiae. Confirmat eandem Minorem et alia sententia Christi, uidelicet, Sinite paruulos uenire ad me. Talium est enim regnum coelorum. Et loquitur de infantibus in populo Dei. Ergo testatur aliquos infantes saluos fieri, et quidem illos qui sunt inserti Ecclesiae.

Tertium. Non est remißio peccatorum sine ministerio uerbi et sacramentorum,

Infantes habent opus remißione peccatorum,

Ergo infantibus applicandum est ministerium sacramentorum.

Maiorem confirmat haec sententia, Ioannis uigesimo: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis etc. Minorem confirmat Paulus Roman. 5. et Ephesi. 2. ubi testatur infantes secum afferre peccatum originis, hoc est, reatum et corruptionem naturae.

Quartum argumentum. Promißio Euangelij pertinet ad infantes,

Ergo et sacramentum, quod est testimonium promißionis et signum quod significat applicari promißionem,

Consequentia ualet, quia ad quem pertinet promißio, quae est principale, ad eundem pertinet signum quod est nota promißionis. Antecedens manifestum est, quia infantes non nisi propter Christum saluantur. Et ipse inquit: Sinite paruulos uenire ad me.

Quintum. Circumcisio in ueteri testamento erat necessaria infantibus, ut significaret ad eos pertinere promißionem gratiae, uidelicet: Ero DEVS eorum, et ut insererentur populo dei.

Ergo baptismus in nouo testamento est necessarius infantibus.

Valet consequentia, quia significatio conuenit, quod attinet ad promißionem gratiae. Et Deus uult esse efficax per Verbum et sacramentum.

Quid significat Baptismus? SAcramenta principaliter sunt H 5. signa promissionum diuinarum. Quare praecipue significat baptismus promißionem Euangelij, quod propter Christum donetur nobis remißio peccatorum, et Spiritus sanctus. Itaque mersio significat ablui peccata, et mergi in mortem Christi, qua peccatum deletum est, et promißa noua et aeterna uita. Postea accedunt aliae significationes quae ad mores nostros pertinent. Mersio significat mergi nos in mortem et afflictiones, ut abolita carne immunda, prorsus deleatur peccatum. Sic ergo baptismum intueamur in omni uita, ut nos primum admoneat de uoluntate dei

erga nos, quod uere nos receperit et uelit delere peccatum. Haec fides exuscitat inuocationem. Deinde admoneat nos mersio de obedientia, quod ad afflictiones uocati simus.

De Poenitentia.

VOcabulum poenitentiae in Ecclesia usurpatur pro conuersione ad pietatem, et nos usitatum uerbum retinemus ut facilius agnosci locus doctrinae poßit. Sunt autem partes poenitentiae duae Contritio et fides. Contritio significat terrores conscientiae, agnoscentis peccatum et iram dei, ac dolentis propter peccata. Fiunt autem hi terrores cum euangelium arguit peccata, quam ad rem utitur ministerio legis. Ac neceße est existere terrores, sicut dicit Ioel: Scindite corda uestra. Et Esaias: ubi habitabit dominus? In spiritu contrito etc. Et Esaiae 1. Desinite peruerse agere. Et Ezechielis 18. Cum auerterit se impius ab impietate sua etc. Nec tamen meretur contritio remißionem peccatorum, Imo nisi fides accederet, contritio et terrores adferrent desperationem et aeternam mortem. Neceße est igitur et de altera parte ecclesias doceri, ut accedat consolatio. Quare proponendum est euangelium, in quo promittitur remißio peccatorum propter Christum, quae uere ita donatur, cum fide statuimus nobis non propter dignitatem nostram, aut opera aut uirtutes, sed propter Christum, qui pro nobis factus est uictima, gratis remitti peccata, suntque docendae ecclesiae ne aliud querant, praeter hanc fidem, ut mereantur remißionem peccatorum. Conscientia enim solet alias consolationes praeter fidem quaerere. Quare non sine certamine magno re-
H 6. uocatur ad fidem. Discamus igitur huius fidei exercitia, sciamus eam esse praecipuum cultum dei et in omni inuocatione exercendam. Quoties incipimus inuocare, haec fides preluceat, credamus nobis ignosci, nos reputare iustos, nos exaudiri propter pontificem Christum. Ita in omni inuocatione haec fides qua credimus nobis remitti peccata, exercenda est, et haec est, proprius cultus piorum. Habeamus autem in conspectu quaedam firma et illustria testimonia de hac fide et de remißione peccatorum, ut magis confirmari mentes, et excitari ad fidem et inuocationem poßint, Actor. 10. Huic omnes prophetae testimonium perhibent, remißionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum:

Sciendum est et illud cum hac fide nos sustentamus, dari spiritum sanctum per uerbum, iuxta illud Pau. ad Galatas, ut promißionem spiritus accipiamus per fidem. Nam spiritus sanctus est efficax in consolatione per uerbum Euangelij. Quare cum nos Euangelij et absolutionis cogitatione erigimus, datur spiritus sanctus. Postea sequi etiam debet noua obedientia, sicut scriptum est: Debitores sumus ne secundum carnem uiuamus. Si enim secundum carnem uixeritis, moriemini. Et ad Corinth. Adulteri, homicidae non poßidebunt regnum dei. Cum fide agnouimus misericordiam dei et beneficium Christi, tum corda impellente spiritu sancto subijciunt se deo, et concipiunt bonum propositum, ut uulgo dicitur, id est, incipiunt obedire deo iuxta eius uerbum, et repugnare malis cupiditatibus ne contra conscientiam faciant. Hoc bonum propositum est inchoatio nouae obedientiae complectens bonos motus omnium uirtutum, timorem, dilectionem, pacientiam, inuocationem, officia dilectionis, castitatem, ueritatem. Nec sine fide fit bonum propositum. Nam con-

tritio sine fide est terror qui parit indignationem aduersus deum, et desperationem, non parit dilectionem dei, et inuocationem. Sed postquam accedit fides, deinde contritio, fit timor filialis, et bonum opus ac sacrificium, sicut inquit psalmus. Sacrificium deo spiritus contribulatus, cor contritum et humilitatum deus non despicies: Hinc intelligi potest semper ueram poenitentiam parere bona opera, ut alter latro crucifixus cum Christo, habet contritionem agnosci enim suum peccatum, habet et fidem, cum agnoscit Christum esse saluatorem. Nec enim erat obscura Christi cognitio, quae tali tempore praedicat eum esse saluatorem, ac neceße est in animo eius accessum fuisse excellens lumen. Audit etiam absolutionem et euangelium, ut fides eius confirmetur. Haec ipsa conuersio, est inchoatio nouae obedientiae, dilectionis et boni propositi, quae sunt bona opera. Accedunt et externa opera maxime gloriosa, inuocatio, et confeßio de Christo, quae contra blasphemias defendit gloriam eius. Item confeßio peccati. H 7 10

De Absolutione. PRiuata absolutio est illustre testimonium, ostendens in Euangelio institutum esse ministerium annunciandi remißionem peccatorum multis aut singulis, iuxta illud, Quorum remiseritis peccatum etc. Applicat igitur priuata absolutio singulis Euangelium, et testatur promißionem ad singulos pertinere, sicut caetera sacramenta sunt applicationes, quae testantur ad singulos pertinere euangelij promißionem. Quare priuata absolutione utendum est. Semper autem meminerimus addendam esse fidem, quae uere credat uoci euangelij, quae nobis applicatur, et annunciat remißionem peccatorum propter Christum, et cum obstrepunt cogitationes illae humanam remißionem irritam aut incertam eße, cum solius Dei sit remittere peccata, reuocanda est mens ab his cogitationibus ad euangelium. Non enim remittit homo, sed deus qui suam uoluntatem in Euangelio proposuit et instituit ministerium, ut promißio ipsius nobis annuncietur etc. Et mandauit promißioni credi. Sic per ministerium in baptismo remittuntur peccata.

De Confessione. CONfeßio quae fit deo, est ipsa contritio cum fide petente remißionem peccatorum. De hac confeßiono loquitur psalmus, Dixi confitebor aduersum me iniusticiam meam domino, et tu remittis impietatem peccati mei id est cum perterrefactus agnosco me esse reum, nec confido mea iusticia, sed confugio ad promissam misericordiam, uere impetro remißionem. Et hic uersiculus Psalmi proponit illustre exemplum conuersionis et uerae confeßionis. Sed alia confeßio est enumeratio delictorum, quae fit sacerdoti. Haec enumeratio non est necessaria, quia nec praecipitur a Christo, nec est poßibilis, iuxta illud. Delicta quis intelligit? et tamen cum absolutio petenda sit, ministri adeundi sunt, et ostendendum nos agnoscere iram dei aduersus nostra peccata, et petere ut uocem Euangelij nobis impertiant, et testari nos deinceps bonos fructus poenitentiae facturos esse. Sic de confeßione scriptum est Matth. 3. Confitentes peccata sua. Et Lucae 17. describitur quid testari debeamus, cum ait, si conuersus fuerit ad te dicens: poenitet me, dimitte illum. Nam contemnentibus iram dei, qui perseuerant in flagitijs contra conscientiam, non est impertienda absolutio. H 8. 40

De Satisfactione. COnsuetudo satis factionum improbanda est, et reijcienda doctrina de satisfactionibus. Cauendum est enim omni

studio, ne obruatur doctrina de gratuita acceptatione et de fide. Luceat haec sententia in Ecclesiis, quod gratis propter Christum donetur remißio culpae et poenae aeternae, quod Christus sit satisfactio et uictima pro peccatis nostris, quod nulla nostra opera sint satisfactiones pro peccatis nostris.

Hanc doctrinam ualde obscurauit doctrina de satisfactionibus in Ecclesia. Ideo necesse est eam aboleri, et reijci doctrinam de satisfactionibus. Sed hic monendi sunt rudes, non reijci ciuiles satisfactiones, ut furti restitutionem, quae uere pertinent ad contritionem. Sed reijciuntur satisfactiones, quas ipsi uocant opera indebita. Item quod operibus tribuunt compensationem pro aeterna morte, et obruunt doctrinam de beneficio Christi. Quales autem fuerint mores satisfactionis publicae quondam, et quales postea ritus et opiniones secutae sint, longius est quam ut ad Catechesin pertineat. Caeterum illud sciant pij, Deum saepe punire peccata ingentibus poenis temporalibus, et has rursus mitigare, aut prorsus tollere propter totam poenitentiam. Sicut Dauid propter adulterium e regno expulsus est, sed Deus agenti poenitentiam, mitigauit poenam, eumque restituit. Discernenda est igitur remißio aeternae poenae, a remißione praesentium et corporalium poenarum. Semper in remißione culpae simul fit remißio poenae aeternae propter Christum, sed quia Deus in hac uita nos subiecit afflictionibus, non semper tolluntur poenae corporales. Imo interdum etiam post poenitentiam irrogantur, exempli causa, et ut pij exerceantur, sicut inquit Petrus: Iudicium a domo Dei incipit. Vt Dauid post poenitentiam regno expulsus est, sed
I 1. tamen propter conuersionem mitigatur poena. Saepe punit Deus sontes ante poenitentiam, ut reuocet eos, ut Manasses in carcere resipuit. 2. Paralip. 22. Tales afflictiones non sunt compensationes, aut satisfactiones, sed poenae, quibus Deus aut reuocat, aut exercet homines. Caeterum promisit Deus mitigationem poenarum corporalium agentibus poenitentiam, ut Esaiae 1. Si fuerint peccata uestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Si uolueritis et audieritis me, bona terrae comedetis. Et Esaiae 33. Panis ei datus est, Regem in decore suo uidebunt. Et Zachariae 1. Conuertimini ad me et ego conuertar ad uos.

De Coena Domini.

DIligenter admonendi sunt pij, ut discant sacramenta a Christo instituta, non esse tantum notas profeßionis erga homines, sicut toga discernebat Romanos a Graecis. aut forma uestis discernit monachos: nec esse tantum symbola morum, ut nunc multi lectis gentium historijs, quia uident in foederibus faciendis fuisse morem, testificandae beneuolentiae mutuae caussa, simul conuiuari, cogitant hanc coenam Christi etiam tale conuiuium esse institutum ad significandam mutuam beneuolentiam: Sed hic nequaquam principalis finis est. Nam sacramenta in Euangelio instituta sunt signa gratiae, id est, sunt principaliter testimonia uoluntatis diuinae erga nos. Sicut circumcisio erat testimonium posteris Abrahae, uere eos esse populum Dei, et admoniti hoc signo debebant credere, se uere propter promißionem habere Deum propicium. Hic fuit principalis usus circumcisionis, ut docet Paulus Rom. 4. cum ait. Circumcisionem et sigillum iusticiae fidei, id est, testimonium quo

fides magis confirmatur: nam accepto signo statuimus ad nos pertinere promißionem. Sic et de coena domini sentiamus, esse eam sacramentum, id est, testimonium additum Euangelio, ut nos admoneat uere ad nos pertinere promißionem Euangelij et beneficia Christi. Sciant igitur pij, utendum esse integro sacramento sicut Christus instituit, et cum sumunt corpus et sanguinem Domini, Christum adesse et in eis efficacem esse. Cum autem quaeritur ad quid prosit manducare, recte respondetur prodesse ad confirmandam fidem, quia est testimonium, quo admoniti statuere debemus, uere ad nos pertinere beneficia Christi. Exhibet tibi Christus corpus suum, ut donet tibi sua beneficia, ut testetur te esse membrum pro quo passus est, quod uelit seruare, in quo uelit esse efficax contra I 2. diabolum. Exhibet sanguinem ut scias te sanguine ipsius ablutum esse. Prodest igitur manducare agentibus poenitentiam, et fide intuentibus in mortem et resurrectionem Christi, et credentibus propter hunc mediatorem, Deum uere propitium esse, uere nobis ignoscere, nos exaudire, et inuocantibus hac fide Deum et Dominum nostrum Iesum Christum, et pro tanto beneficio gratias agentibus. Haec concurrere in usu necesse est. Nec prodest caerimonia sine poenitentia et sine fide.

Quid de Missa sentiendum est? SAcramenta extra usum a Christo institutum non sunt sacramenta, ut si quis aquam baptismi circumferret, etiamsi uerba adderet, theatrico more, nequaquam esset Baptismus, et is cultus esset impius, ita cum ex coena domini fit oblatio, item cum applicatur pro uiuis et mortuis, nequanquam est sacramentum a Christo institutum. Cum autem Sacrificuli in missa offerant panem et uinum sine ullo mandato Dei, et applicent pro uiuis et mortuis, fugiendae sunt tales missae tanquam idolatricae. Nec opus ipsum potest alijs mereri remißionem peccatorum, quia oportet singulos accipere remißionem peccatorum gratis propria fide quae nititur Christo, non ullius humani operis merito. Pugnat igitur applicatio pro alijs, cum doctrina de fide. Denique non magis est sacramentum in missa papistica, quam Turcia aut Iudaica circumcißio, est Sacramentum. Dixit autem coelestis uox: Fugite idolatriam.

τέλος.

---

3. Der Katechismus des Sebastian Fröschel von 1559.

Catechiſmus, wie der in der Kirchen zu Witteberg nu viel jar, auch bey leben D. Martini Lutheri ist gepredigt worden. Durch M. Sebastianum Fröschel. Witteberg 1559. A 1. 35

Allen Erbaren, Tugentsamen, Christliebenden Hausvatern vnd Hausmüttern in der löblichen Churfürstlichen Stadt Amberg, seinen lieben Brüdern vnd Schwestern, Wündscht M. Sebastianus Fröschel von Amberg, Diener des heiligen Euangelij zu Witteberg, Gottes gnad, fried vnd segen durch seinen eingebornen Son Jhesum Christum, vnsern einigen Heiland vnd Seligmacher.

NAch dem ich durch GOTtes gnaden nu 37. Jar im Predigampt des heiligen A 2. Euangelij allhie vnter vnd neben den in Gott seligen Vatern D. Martino Luthero vnd

D. Johanne Bugenhagen Pomern, Pfarherrn dieser Kirchen zu Witteberg, nach meinem geringen vermögen gedienet, vnd durch gedachte Herrn anfenglich also verordnet worden ist, das alle viertel Jar die fünff Heubtstück der Kinderlere, die man den Catechismum nennet, in dieser Kirchen auffs kürtzt vnd einfeltigst dem jungen vnd Gemeinem Volck ausgeleget vnd in zweien Wochen vnd also in acht Predigten vollendet werde (wie denn solche Summa der Christlichen Lere oder Catechismus alle Sontag sonst in der Früepredigt nach der lenge gehandelt vnd mit vleis getrieben wird), habe ich noch bey leben beider vorgedachter meiner lieben Vater vnd Preceptorn mir selb aus D. Martini vnd Herrn Philippi Melanthons schrifften vnd Lectionen eine gantz einfeltige vnd kurtze Auslegung der fünff Heuptstück der Christlichen lere zusamen getragen vnd verfasset, welche ich, wenn die ordnung der Predig des
A 3. Catechismi an mich komen ist, nu vber 15. Jar gebraucht habe, damit ich stets bey einer gewissen form vnd weis bliebe, welche das junge Volck fassen vnd behalten köndte, Wie denn solchs zu fruchtbarer vnterrichtung der einfeltigen vnd jungen Leute D. Martinus Luther selbs fur hochnötig geacht und offt gesagt hat, das dieses den vngelerten Leien eine grosse verhinderung sey, so man den Catechismum ein weil vff diese weis, ein weil vff ein andere handel vnd also das gemeine vngelirnige Volck mit solcher vngleicheit nur jrr vnd zu lernen vnlustig mache.

DA ich nu vff nachgeschriebene weise den Catechismum ein mal, zwier gepredigt, hat dieselbe meinem lieben Pastori D. Bugenhagen Pomern seligen so wol gefallen, das er mir befahl, bey derselben zu bleiben, auch andere meine Mitdiener des heiligen Euangelij eben dieselbe weis zugebrauchen vermanet.

ALs aber solchs geschehen, bin ich von vielen ersucht, jnen denselben Catechismum abzuschreiben zuuergünnen, welchs ich gern gethan. Nach mals aber auch von andern gebeten, denselben drücken zu lassen, zu welchem ich mich lang nicht
A 4. hab bereden lassen wöllen, in ansehung, das andere viel auslegung der fünff stück im Catechismo, weit ördentlicher vnd wolgeschickter gestelt, verhanden sein, die mit grösserm nutz mögen gelesen werden denn dieses geringe Büchlin.

ENdlich aber hab ich mich fürnemlich damit bewegen lassen darein zu willigen, das diese geringe vnd kindische auslegung des Catechismi gedrückt würde, nach dem ich erfaren, das etliche mifsgünner aus gefasstem gifftigen neid vnd hafs wider diese arme Kirchen vnd Schul dürffen öffentlich fürgeben, als sey die reine Lere des Euangelij allhie verfelscht vnd werde nicht mehr gepredigt wie zur zeit Lutheri seligen.

Damit nu jederman kund vnd offenbar werde, was wir auch vnsere Kindlin allhie leren, hab ich in Gottes namen drein gewilligt, das diese kinderlere im druck ausgieng, wie ich dieselbe auch bey leben des Ernwirdigen vnd in Gott seligen Doctoris Martini Lutheri allhie viel Jar gepredigt habe, vnd wil gern verstendige Gottfürchtige Leute drüber richten vnd erkennen lassen, ob diese lere falsch oder der heiligen schrifft vnd Augsburgischen Confession zuwider vnd vngemes sey.

DEnselben Catechismum aber hab ich euch, meinen lieben Brüdern vnd Schwestern,
A 5. als Mitbürgern vnd Landsleuten wöllen zuschicken, Erstlich derhalben, das jr daraus erkennen möcht, wie vnbillich wir von den vnrhuigen vnd ehrgeitzigen Leuten beschüldiget werden, vnd ein mitleiden mit vns habet, das vns für vnser wolgemeinte grosse langwirige arbeit in Pflantzung reiner Göttlicher Lere solcher vndanck widerferet, vnd Gott neben vnd mit vns teglich anruffet, das er sein heiliges Wort rein vnd lauter in Teudschland erhalten vnd weiter ausbreiten vnd alle hoffertigen Geister, die durch vnnötig gezenck oder gesuchte subtilitet die einfeltigen Christen jrre zu machen keinen schew tragen, damit sie nur jnen einen Namen vnd ansehen machen, mit gnaden zur Busse heimsuchen vnd bekeren oder aber, da keine vermanung zur

Busse bey jnen stat fünde, mit ernst jrem mutwilligen fürhaben wehren vnd stewren wölle.

ZVm andern vbersende ich euch diesen Catechismum auch der vrsach halben, das ich euch mit diesem geringen Geschenck erinnere vnd anzeige, das ich ewer in meinem Gebet teglich ingedenck bin vnd Christliche brüderliche sorge für euch trage vnd Gott von hertzen anruffe, das er euch in erkandter warheit bis an ewer ende bestendig erhalte vnd die reine lere des Euangelij in ewerer Kirchen beware vnd vff A 6. ewere Kinder vnd Nachkomen erben lasse.

DAzu aber wil euch als Christlichen Hausuetern vnd Hausmüttern gebüren, das jr ewre Kindlin vnd Gesinde in ewern Heusern vleissig zu Gottes wort haltet vnd vffziehet, Wie auch der heilig Apostel Paulus vermanet die Gemein zu Epheso am 6. Capitel, da er spricht:

Ir Veter, reitzet ewre Kinder nicht zu zorn, Sondern ziehet sie auff in der zucht vnd vermanung zu dem HErren, In welchem Spruch er den Hausvatern zwey stück befihlet jren Kindern zuuerschaffen, nemlich LERE vnd ZVCHT.

Das erste stück ist, das sie jre kinder die summam Christlicher lere, fein einfeltig, deutlich vnd kurtz verfasset, fursprechen, furlesen, erkleren vnd wider von jnen erfordern vnd sie nachsprechen lassen; das heisset er vermanung zu dem HERRN.

Dazu gehört auch, das man die Kinder zur Schule halte, lesen vnd schreiben vnd nötige sprachen lernen lasse.

DAs ander stück nennet Paulus ZVcht, welchs erfordert, das man neben der Lere die Kindlin auch fein ziehe vnd gewehne zu guten ordenlichen vbungen mit gebet vnd Christlichen Gesengen, zur liebe vnd vleissiger besuchung des Predigampts, zu A 7. messigkeit in essen vnd trincken, zu ehrlicher ertreglicher arbeit, zu eingezogenen, sittigen vnd lieblichen geberden, zu warheit in reden vnd zu andern tugenden.

dann Christus spricht außtrücklich: Wer da glaubet vnd getauffet wird, der soll selig werden. Vnd ob schon noch vbrige sünde in Menschlicher natur oder in dem verderbten fleisch bleiben, so soll doch der schade dem Menschen nit zugerechnet werden, sondern Gott will jn bedecken mit der vnschuld seines Sohns, dieselbigen vns auß gnaden schencken vnd will auch für die sünd lauter gerechtigkeit zurechnen. Dann wir sollen nicht gedencken, wenn wir mit wasser abgewaschen werden, das gar kein sünd oder vnreinigkeit mehr in vns bleibe, sondern es solle also verstanden werden, daß vns der vnflat der sünden verziehen wird vnd vns die sünde nicht mehr verdammen noch ins ewige verdamnuß bringen kan. Item, daß wir nicht mehr vnter dem zorn Gottes sind wie vor der Tauff, sondern vnter der gnaden, Dann Gott helt vns nit anderst, dann als weren wir durchauß vnschuldig, heilig vnd rein, gleich wie der Son Gottes durchauß rein ist, Dann in seinem mund ist nie kein betrug erfunden worden. Darum sagt Augustinus: Peccatum tollitur, non vt non sit, sed vt non imputetur. Also will vns Gott für fromb, gerecht vnd heilig halten vnd in allen gnaden annemen; ob wol die sünde vnd vnreinigkeit, die vns angeboren ist, noch stets inn vns bleibet, so soll sie vns doch nicht schaden oder verdammen, Dann Paulus spricht: Es T 1. ist nichts verdamlichs an denen, die in JEsu Christo sein; Vnd wer will verdammen? hie ist Christus, der gestorben vnd aufferstanden ist. Denn Gott ist durch dz einig opffer Jesu Christi versönet vnd hat sich vmb desselbigen willen also mit vns verbunden, daß er als vnser Vatter die vberbleibenden sündliche art nicht achten vnd gleichsam nicht sehen, vil weniger vns derhalben verdammen, sonder die verheissene Kindschafft vnd erbschafft vns fest halten vnd mittheilen will.

Auff dise weise werden die sünden in der Tauff abgewaschen vnd wir dauon gereiniget, daß die schuld vnd verdamnuß auß gnaden durch das Blut JEsu Christi hinweg genommen wird, Dann ob wol der schaden noch bleibet, so will jn doch Gott mit dem Rock der gerechtigkeit seines Sohns zudecken, daß vns kein sünd mehr an der gnaden Gottes, an der vergebung der Sünden vnd an dem ewigen leben hindern soll. Das wircket die Tauffe, daß wir erstlich dadurch zu Gott gebracht vnnd glidmaß der Christlichen Kirchen werden vnnd zur gemeinschafft aller Heiligen kommen vnd alle Himlische güter, die Gott seiner Kirchen verheissen, als ein gnedige vergebung der Sünden, ein fröliche aufferstehung des fleisches vnd endlich ein ewiges leben, zu hoffen vnd zu gewarten haben.

Zum vierdten Ist auch von nöthen, daß man wisse, was die Tauffe bedeute vnnd wie wir vns dieselben nutz machen sollen, so lang wir auff Erden leben. Dann es ist nicht von nöten, daß man einen, so offt er fellet, allzeit wider tauffe, Dann da ist wider die Sünd ein ander Sacrament darzu geordnet. Es ist gnugsam, einmal getauffet sein, aber der nutz der Tauff soll durch das gantze leben gehen vnd bleiben. Die bedeutung aber der Tauff ist dreyerley. Erstlich solt jhr sehen, ob man junge oder alte tauffet. Dann mit den Alten gehet es also zu, daß man sie nicht also begeusset mit wasser wie die Kindlein, sondern sie müssen T 2. sich gantz eintauchen. Dann also hat man vor zeiten, wie die Historien bezeugen, betagte leute getauffet, daß sie sich haben müssen drey mal

eintauchen lassen. Dieweil aber solchs mit den jungen Kindlein gefehrlich ist, darumb tauffen wir vnsere Kinder, daß wir sie drey mal mit Wasser begiessen. Durch das eintauchen der Alten werden wir erinnert, daß wir alle von natur Kinder des zorns vnd des ewigen todts, der Hellen vnd verdamniß schuldig vnd werth sein vnd billich alle solten erseufft werden vnd von wegen der angebornen Sünden vntergehen vnd verderben, nicht anderst dann wie ein Mensch, der in ein Sack gestecket vnd in das Wasser geworffen vnnd darinnen erseufft wird. Hergegen aber wenn man den Menschen wider vbersich kommen vnd aufffaren lest oder herausser zeucht, so bedeutet es gnad vnd leben vnd werden dardurch erinnert, das GOtt auß hertzlicher liebe den Menschen nicht wölle inn dem todt vnd hellischem pful stecken vnd verderben lassen, Sonder das ewig leben schencken vnd selig machen von wegen seines aller liebsten Sohns, weil sich der auch in Todt gesteckt vnd Tauffen hat lassen Vnd alle gerechtigkeit, wie er zu Johanne saget, erfült Vnd sich mit einer Tauffe, darob jm bang worden, biß ers volendet, hat tauffen lassen, Dann wie schwer jm die Tauff worden, ist darbey abzunemen, weil sie jm den blutigen schweiß außgetrieben vnd er mit lauter stimme: Mein Gott, mein Gott, wie hast du mich verlassen, am Creutz geschrien. Darumb er sein leyden vnd sterben vnd das fühlen des vntreglichen zoren Gottes recht ein Tauffe nennet. Dann wir hetten in ewigkeit im todt stecken müssen, wenn der Sone Gottes nicht sich hette in die Tauffe gesteckt vnnd wo er nicht vmb vnser sünde willen gestorben vnnd vmb vnser gerechtigkeit willen von den todten aufferstanden were. Darumb ist das die erste bedeutung des eintauchens
T 3. in die Tauff oder Wasser vnd des herausser ziehens des Menschen auß der Tauffe, daß wir vnser sünd vnd verdamnuß darbey erkennen vnd vns des HErrn Christi trösten vnd frewen vnd jm dancken, daß er sich auch hat tauffen lassen, das ist, daß er durch sein leiden vnd sterben vns mit Gott versönet, vergebung der Sünden, heiligen Geist, ewiges Leben vnd seligkeit erlanget hat.

Zum andern, so bedeut das eintauchen, wenn man den menschen ins wasser tunckt, als wöll man jn erseuffen, daß wir der sünden feind werden, gleich wie Gott derselbigen feind ist, die abthun vnd tödten oder das der alte Adam mit seinen lüsten vnd bösen begirden auch teglich eingetauchet, abgeleget vnd getödtet werde vnd wider herfür komme vnnd aufferstehe ein newer Mensch, der sich befleissiget, GOtt nach seinen Geboten zu gehorsamen vnd in gerechtigkeit vnd heiligkeit zu leben. Denn darumb gibt vns Gott den heiligen Geist, daß wir anfangen, den alten Adam zu tödten, newe Menschen zu werden vnd in einem newen leben zu wandeln.

Zum dritten bedeut auch das eintauchen vnd herauß ziehen, das, wenn wir von Gott sein angenommen worden, haben vergebung der Sünden empfangen, haben auch durch hilff des heiligen Geists, on welchen wir nichts thun können, den alten Adam zu tödten angefangen, das noch ein ander Tauff kommen werde, nemlich das vns Gott werde inn das liebe creutz vnnd anfechtung eintauchen vnd dasselb vns darumb auffleglen, auff das der sündige alte Adam desto mehr getödtet werde. Derwegen, wenn wir in not vnd anfechtung kommen, sollen wir gedultig

sein vnd sagen: Wolan, lieber GOtt, ich sihe, das Gott für hat, mich einmal ein zu tauchen, auff daß ich erkennen lerne meine sünde, vnd er will mich dadurch zur besserung meines lebens treiben, er meinets gut mit mir, ich wils gern leiden vnd mich vnter seine gewaltige hand demütigen, denn es wird doch nicht lang weren. Dann gleich wie man ein Kindlein nicht lang inn dem Bad lesset ligen, sondern, wens schön ab- T 4. gewaschen ist, von stund an herauß thut vnd in schöne, saubere windelein leget, seuget, speiset, wieget vnd wartet sein, daß es zu frieden ist vnd in ein sanfften schlaff kommet, Also will vns Gott auch nicht darumb inns Bad des Creutzes legen, daß wir ewig darinnen bleiben, sonder wenn wir nach seim gefallen inn dem bad der trübsal vnd anfechtung wol tribuliret, probiret vnd gereiniget worden, daß er vns widerumb gnedigklich herauß ziehen vnd ein ewige herrlichkeit, ruhe vnd seligkeit mittheilen wil, wie wir denn in der heiligen schrifft gnugsam zeugnuß vnd Exempel haben, die da sagen, daß alle, die da Gottselig leben wöllen, verfolgung leyden vnnd durch vil trübsal ins reich Gottes eingehen müssen vnd daß diser zeit leiden nit werth sey der zukünfftigen herrlichkeit, die an vns sol offenbaret werden. Darumb erinnert euch bey der Tauffe des heiligen Creutzes vnd im Creutz tröstet euch, daß auff das eintauchen ein herauß ziehen folgen werde, vnnd ob vns schon der Todt auffrisset, daß wir dennoch auß solcher Tauffe gezogen vnnd in die ewige freude vnd das ewige leben kommen werden. Amen.

---

5. Das Examen Ordinandorum des Melanchthon,

vor 1571 in den Schulgebrauch übergegangen.

EXAMEN EORVM QVI AVDIVNTVR ANTE RITVM PVBLICÆ ORDINATIONIS, QVA COMmendatur eis ministerium Euangelii.

Quidnam docebis? Docebo Euangelium Domini nostri Iesu Christi.

Quid interest inter doctrinam Ecclesiae Dei, et alias sectas? OMNES aliae sectae extra ueram Ecclesiam, ut Ethnici, blasphemi Iudaei, Mahometistae, et alii, tantum docent particulam legis de quibusdam externis et ciuilibus officiis, et addunt cultus idolorum, aliae alios. Prorsus autem ignorant filium Dei et Euangelium, id est, promissionem de gratuita remissione peccatorum, et de reconciliatione, et de haereditate uitae aeternae, donandae per fidem in filium mediatorem. At in Ecclesia retinetur integra et incorrupta legis et Euangelii doctrina, et noticia filii Dei, crucifixi pro nobis et resuscitati. Sola autem illa congregatio, in qua agnoscitur filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis et resuscitatus, est Ecclesia, in qua sunt multi uere placentes Deo, et recte inuocantes eum, et electi ad uitam aeternam, iuxta haec dicta, Ioan. 5. Qui non honorat filium, non honorat Patrem,

qui misit eum. 1. Cor. 3. Fundamentum aliud poni non potest, praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Ioan. 3. Qui non credit, iam iudicatus est. Item: Qui credit in filium, habet uitam aeternam. Qui non credit filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Ioan. 14. Nemo ueniet ad Patrem, nisi per filium. Item: Si quis diliget me, sermonem meum seruabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum ueniemus, et mansionem apud eum faciemus. Haec sciri necesse est, contra Thammerum, Latomum Louaniensem, et similes, qui infinitam confusionum faciunt, et fingunt Ecclesiae membra ubique esse, Ethnicos et alios, quorum mores sunt honesti.

DE DEO.

Quid est Deus? DEVS est essentia spiritualis, intelligens, aeterna, alia a creaturis omnibus, uerax, bona, iusta, casta, misericors, benefica, liberrima, immensae sapientiae et potentiae, irascens peccatis, Pater aeternus, qui filium imaginem suam ab aeterno genuit, et filius, imago Patris coaeterna, et Spiritus sanctus procedens a Patre et filio, sicut patefacta est diuinitas, certo uerbo, et testimoniis diuinis, quod Pater aeternus cum Filio et Spiritu sancto condiderit et conseruet, coelum et terram, et omnes creaturas, et assit omnibus creaturis, quo ad conseruationem, et colligat sibi in genere humano Ecclesiam propter filium, et per eum, et sit iudex iustorum et iniustorum.

Quid est Persona? PERSONA est subsistens uiuum, indiuiduum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio. Graece *ὑφιστάμενον*. Essentia uero nominatur, quod reuera est, etiamsi est communicatum. Et teneatur discrimen inter *οὐσίαν* et *ὑφισταμένους*. Sunt autem tres personae diuinitatis, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, *ὁμοούσιοι*, non plures, nec pauciores, quia sic se diuinitas patefecit.

Quomodo discernuntur? PATER AETERNVS est prima persona diuinitatis, non nata, nec aliunde procedens, sed quae ab aeterno genuit filium, imaginem suam, et a qua procedit Spiritus sanctus, et quae cum filio et Spiritu sancto omnes alias res creauit, et earum substantias conseruat.

Quid nominas creare? CREARE est ex nihilo aliud facere, sicut Deus coelum et terram, Angelos, et totam hanc mundi machinam dicendo fecit ex nihilo, non ex aliqua praecedente aeterna materia, ut multi Philosophi cogitauerunt. GIGNERE est alium de sua essentia gignere. FILIVS AETERNVS est secunda persona diuinitatis, quae est substantialis et integra imago aeterni Patris, quam Pater sese intuens et considerans ab aeterno gignit, quae nobis quidem sic manifestatur, quod sit persona per quam Pater dicit decretum, et totum ordinem creationis et reparationis hominum, et mittitur ut patefaciat Euangelium, et assumat humanam naturam, et sit mediator, redemtor, iustificator, et saluator. SPIRITVS SANCTVS est tertia persona diuinitatis, procedens a Patre et Filio, et est substantialis amor et laeticia coaeterna, inter Patrem et filium. Et nobis sic manifestata est, quod mittatur in corda credentium, ut tales motus, amorem et laeticiam acquiescentem in Deo in eis accendat, qualis est ipse, sicut 2. Timoth. 1. expresse scriptum est:

Non dedit nobis Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis Dei, et castificationis.

Quid differunt Nasci et Procedere? NASCI est a potentia cognoscente. Quia genitum est imago gignentis. Vt autem in hominibus potentia cognoscens format imagines, et loquitur: sic filius est aeterni Patris imago, cogitatione genita, et est λόγος ostendens eum in reuelatione Euangelii. Procedere autem est a uoluntate, quia Spiritus sanctus est motor seu agitator.

Quare Filius nominatur λόγος? NON solum quia cogitatione nascitur, sed etiam quia est persona proferens Euangelium ex sinu aeterni Patris, et conseruans ministerium Euangelii, et est efficax in his qui credunt Euangelio, et uoce Euangelii dicens consolationem in cordibus eorum, et uiuificans eos, sicut inquit: Ego uitam aeternam do eis, et ostendens Patrem, et effundens Spiritum sanctum in corda eorum. Etsi enim fit uiuificatio per omnes personas, tamen hoc ordine fit: Filius qui colligit Ecclesiam, immediate uoce Euangelii mouet corda, et monstrat Patrem, et dat Spiritum sanctum. Ideo dicit Athanasius: Quandocunque dicitur in homine esse Spiritus sanctus, est ibi per VERBVM. Considerandum est igitur, Filium dici λόγον, et respectu Patris, et respectu nostri, quia est λόγος, per quem Pater se nobis patefacit. Ideo in Ioanne dicitur: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Et Dominus ipse respondet interrogantibus, quis sit, τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, id est, ego sum uerbum, quod loquor uobis initio, sum illa persona, initio loquens uobiscum, proferens Euangelium ex sinu aeterni Patris. Item: Nemo nouit filium, nisi Pater, et nemo nouit Patrem, nisi Filius, et cui Filius uolet reuelare.

De uocabulo Spiritus. VOCABVLVM Spiritus significat agitationem seu agitatorem, Nam et Spiritus sanctus est persona sic nobis patefacta, quod sit uelut flamma, immediate tales motus accendens in corde, qualis ipse est. Sicut Rom. 14. dicitur: Regnum Dei est iusticia et pax, et gaudium per Spiritum sanctum. Et ad Tim. dicitur: Spiritus roboris, dilectionis, et castificationis. Vt autem haec uocabula aliquanto melius intelligantur, intueamur imaginem Dei in homine, in quo sunt tria haec praecipua: Mens seu substantia animae: deinde cogitatio, quae est imago rerum quae cogitantur: et uerbum et cogitationem sequuntur in uoluntate et corde motus seu agitationes, ut dicitur, Ignoti nulla cupido. Sed cogitationes et agitationes in hominibus, sunt res euanescentes. At a Patre aeterno est filius, qui est substantialis imago, nata cogitatione, et est ὑφιστάμενος, id est, quiddam subsistens, non est quiddam fugax. Cum cogitatione est et agitatio et laeticia, quae etiam est ὑφισταμένη.

Quae persona assumsit humanam naturam? FILIVS, qui est coaeterna imago aeterni Patris, et nominatur λόγος a Ioanne, assumsit humanam naturam in Maria uirgine matre, ut Ioan. 1. dicitur: Et uerbum caro factum est. Talis est autem assumtio, ut huic personae soli, quae est λόγος, haec massa humanae naturae assumta, sit unita unione hypostatica, id est, ut sit unum ὑφιστάμενον λόγος sustentans hanc massam, et ipsa massa naturae humanae. Non enim conuersa est una natura in aliam, sed personae quae est λόγος, unita est massa naturae humanae assumta. Ac ad declarationem prodest considerare quatuor

gradus praesentiae Dei. PRIMVS est praesentia uniuersalis, quae est praesentia conseruationis, qua Deus omnibus creaturis adest, ita ut conseruet eas tantisper, donec uult eas conseruare, de quo gradu dicitur Ieremiae 23. Nonne coelum et terram ego impleo, dicit Dominus. Item: Enter, praesenter, Deus hic et ubique potenter. Iuxta hunc gradum etiam malis adest. Et manifestum est, Deum sic separabiliter rebus adesse, quia destruit naturas quas uult destruere, ut Pharaonem, et maximam partem generis humani in diluuio. SECVNDVS gradus est, quo adest beatis angelis et hominibus, et conseruat non tantum uitam eorum, sed etiam uiuificat eos uita aeterna, et implet eos sua luce et iusticia, et uisibiliter et immediate conspicitur ab eis, et quanquam non discedit ab eis, tamen adest eis tantum societate. TERTIVS gradus est, quo adest in hac uita renatis, ut Dauidi, quo uidelicet non tantum uitam eorum conseruat, sed etiam efficit in eis motus sibi placentes, et tamen non conspicitur uisibiliter, ut in uita aeterna conspicietur, et adest separabiliter. QVARTVS gradus longe alius est, quo sola haec persona λόγος assumit humanam naturam, non solum inseparabiliter, sed etiam tali ratione, ut sit unum ὑφιστάμενον. Et sicut haec persona λόγος aeterna est, ita postea impossibile est, hanc massam λόγῳ insertam non simul manere. Ac sit notissimum dictum Damasceni omnibus: Naturam humanam, quam semel assumsit λόγος, nunquam deserit. ETSI autem exemplum huius unionis nullum est in creaturis, quod prorsus congruat: tamen uetustas, ut aliquo modo declararet unionem personalem, monstrauit hominem. Sicut anima hominis et corpus sunt unum ὑφιστάμενον completum, et corpus dissoluitur, desertum ab anima: Ita λόγος et assumta natura sunt unum ὑφιστάμενον, et redigeretur in nihilum humana natura, si non sic gestaretur et sustentaretur a λόγῳ. De hoc exemplo inquit Iustinus: *Τινὲς μὲν τὴν ἕνωσιν ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες, οὕτως ἐκδεδώκασιν καὶ ἁρμόδιόν γε τὸ παράδειγμα, εἰ μὴ κατὰ πάντα, κατά τι γοῦν.*

De discrimine idiomatum. DISCERNENDAE sunt appellationes, quae significant proprietates naturarum, et appellationes officii. Vt, propria sunt humanae naturae, pati, uulnerari, mori. Propria autem diuinae naturae sunt, esse omnipotentem, esse immortalem. Sed nomina officii sunt, Mediator, Redemtor, Saluator, Sacerdos, Rex, Pastor. Haec nomina officii competunt personae, non tantum humanae naturae. Quanquam autem actiones quaedam sunt in natura humana propriae, ut dolores omnes et agones in passione: tamen missio filii fit ab initio Ecclesiae. Filius perpetuo adest Ecclesiae, patefacit promissionem, colligit et seruat Ecclesiam, et uult illam suam oboedientiam, est intercessor, propitiator et saluator, propter illam futuram oboedientiam, quae est personae, postquam assumsit naturam humanam. Nec missio et oboedientia tollunt aequalitatem potentiae, sicut expresse inquit Cyrillus. HINC modi loquendi considerentur. Verissima est propositio: Natura diuina non uulneratur, non moritur. Et rursus uerissimae sunt propositiones, cum de Christo loquimur: Christus est uulneratus, Deus est uulneratus, Deus est mortuus.

Quae est ratio diuersitatis? RESPONDEO. Propositio in abstracto significat naturam secundum se consideratam, ideo necesse est

dici: Natura diuina non moritur. Propositio in concreto significat personam, seu subsistens seu ὑφιστάμενον, ut, Deus est homo. Christus est mortuus. Deus est uulneratus. Deus est mortuus. Hae propositiones uerae sunt communicatione idiomatum. EST autem communicatio idiomatum, praedicatio, in qua proprietas uni naturae conueniens, tribuitur personae in concreto, quia hae duae naturae, λόγος, et natura assumta, sunt unum ὑφιστάμενον.

Argumentum: Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa. Saluatio hominis est opus ad extra. Ergo non aliter fit per Filium quam per Patrem et Spiritum sanctum. Respondeo: Vera est haec regula: Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, sed seruata cuiusque personae proprietate. Filius et Spiritus sanctus mittuntur. Pater non mittitur. Et aeternus Pater est efficax, sed per Filium et Spiritum sanctum. Filius immediate profert Euangelium ex sinu aeterni patris, et ostendit uoluntatem aeterni Patris, et sanctificatur Ecclesia dato per eum Spiritu sancto. Sic dicitur Ioan. 1. Omnia per ipsum facta sunt. Et 1. Cor. 15. Deo gratia, danti nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Et sic dictum est: Filius agit per se, sed non a se.

Quod est discrimen uerae inuocationis in Ecclesia, et aliarum impiarum inuocationum? Respondeo: Duae sunt praecipuae differentiae, Altera de essentia Dei, altera de uoluntate. Ethnici et alii impii negant hunc esse Deum, qui se patefecit misso filio, aeternum Patrem, filium et Spiritum sanctum. Aberrant igitur Ethnici a uero Deo, et alloquuntur aliud quiddam commentitium, quod non est uerus et patefactus Deus. Ideo scriptum est: Vos nescitis quid inuocetis. Deinde ignorant promissiones et mediatorem. Ideo manent in perpetua dubitatione, et ignorant, an et quare exaudiantur. Inuocatio uero sine fide, et oppressa dubitatione, inanis est, iuxta dictum: Quomodo inuocabunt, si non credunt? Roma. 10. ECCLESIA uero alloquitur uerum Deum, patefactum illustribus testimoniis, et agnoscit eum sicut se patefecit. Scit etiam promissiones, et agnoscit mediatorem, et scit Deum uelle inuocari, et exaudiri fiducia mediatoris, sicut ipse Dominus inquit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Assuefaciamus igitur nos, ut in inuocatione mens cogitet patefactiones Dei, et alloquatur hunc uerum Deum, qui se patefecit misso filio. Et simul tres personas intueatur, et fiducia mediatoris petat gratiam et alia beneficia.

Unter Verweisung auf das Corpus Reformatorum, Vol. 23, 1 ff., woselbst das Examen abgedruckt ist, begnügen wir uns hier damit, von den folgenden Abschnitten nur die Fragen anzugeben: De Lege Morali: Quid est lex moralis — Quomodo intelligenda est abrogatio legis Mosaicae — Quare leges ceremoniales et forenses prorsus omitti possunt — Cum igitur lex moralis non possit deleri, quis est eius usus? De Peccato: Quid est peccatum — Quae sunt diuisiones peccati — Alia diuisio — Vnde sumta est haec distinctio? De Libero Arbitrio: Quomodo docendi sunt homines de libertate voluntatis humanae?

DE IVSTIFICATIONE.

Quid significat uocabulum Iusticia? SEMPER in hac doctrina initio consideretur, et quid vocabula significent, Iusticia, Gratia, Fides, et discernatur iusticia carnis a iusticia fidei. EST autem iusticia

carnis oboedientia externa, iuxta omnia mandata Dei, quam homo etiam in hac imbecillitate naturalibus viribus vtcunque efficere potest. Est autem haec oboedientia gubernatio locomotiuae, id est, externorum gestuum, quae fit cogitatione mentis et voluntatis, ciente aut reprimente organa locomotiuae. Nominatur autem litera, id est, pictura, quasi illita cerebro cogitatione, quia non est lux intuens Deum, nec est incendium et vita in corde, sicut folium fici tegebat externam deformitatem in Adam, non tollebat eam. Quanquam autem haec diligentia rationis in regenda disciplina externa non meretur remissionem peccatorum, nec est iusticia coram Deo, nec est impletio legis, tamen seuerissime praecipit Deus, vt hanc disciplinam praestemus, et in hac mortali vita punit atrocibus poenis atrocem violationem disciplinae, et nisi fiat conuersio ad Deum, punit eam aeternis poenis. SCIAMVS autem quatuor esse caussas, propter quas omnes, etiam non renati, debent praestare disciplinam. PRIMA est, Mandatum Dei, quia omnes creaturae rationales Deo oboedientiam debent. SECVNDA, Necessitas vitandi atroces poenas, iuxta dicta: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Vae qui spolias, quia spoliaberis. Leuit. 18. de incestis: Omnis anima quae fecerit has abominationes, euometur ex terra. Item: Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Sanxit autem has poenas Deus, et exercet, vt haec tristia spectacula commonefaciant nos de discrimine honestorum et turpium, et vt sciamus esse Deum, et esse sapientem, castum, et vindicem scelerum, deinde vt conseruetur societas generis humani. TERTIA caussa est, Necessitas non turbandi alios, quia homo non viuit sibi tantum, sed etiam vt adiuuet communem conuersationem, iuxta dictum: Diligas proximum tuum sicut teipsum. QVARTA, Vt disciplina sit paedagogia in Christum, id est, quia Deus non est efficax in his, qui scientes perseuerant in sceleribus contra conscientiam. DIXI autem hanc iusticiam carnis nequaquam esse integram oboedientiam legi debitam, sed esse fraenum externorum gestuum. Interea tamen in mente caligo est de Deo, plena dubitationum, et corda sunt sine vero timore Dei, sine fiducia, et sine dilectione Dei, et magna incendia sunt malorum affectuum. Ideo discernenda est iusticia carnis, ab integra oboedientia, qualis fuisset in natura integra, et qualis erit, cum Deus erit omnia in omnibus. Illa integra oboedientia seu conformitas cum Deo, nominatur iusticia. Galat. 5. Nos enim spiritu ex fide spem iusticiae expectamus, vbi iusticia de integra nouitate dicitur. Sed interea saepe etiam in renatis nouitas et bona opera renatorum dicuntur iusticia. Quanquam enim nouitas in hac mortali vita non est integra, tamen placet propter mediatorem. vt postea dicetur. Sic Matth. 5. Nisi abundauerit vestra iusticia, plus quam Scribarum et Pharisaeorum. Et Roma. 6. Praebete membra vestra serua iusticiae in sanctificationem. 1. Iohan. 3. Qui facit iusticiam iustus est. Et in Psalmo: Feci iudicium et iusticiam. Hae formae loquendi congruunt ad legem. Ac prudenter discernenda sunt dicta propria Legis, et alia propria Euangelij de reconciliatione propter mediatorem, vt: Iustificati fide pacem habemus. DEFINITIO apud Clementem loquitur de nouitate, et simul complectitur vniuersalem et particularem iusticiam: *Δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία θεοῦ μετὰ ἰσότητος*, id est, Iusticia est communicatio, qua Deus se nobis communicat, et est conseruatio ordinatae aequalitatis. Prior pars loquitur

de prima tabula, et de actionibus diuinis in renatis. Secunda de aequalitate, loquitur de actionibus ordinatis erga proximum. Haec congruunt ad legem, sed dextre intelligenda sunt. Osiander ipsum Deum mouentem nos ad iusta facienda, nominat iusticiam. Hoc loquendi modo etiamsi quis volet vti, tamen prius dicendum est de iusticia imputata propter Filium Dei, qua Deo propter mediatorem credentes placent. Distinguenda est etiam caussa, scilicet, Deus ipse, ab effectibus in nobis, et in infinitum anteferenda est oboedientia filij Dei nouis actionibus, quae fiunt in nobis. POSTQVAM haec legalia recitata sunt, nunc sciamus quia iusticiam legis integram seu integram oboedientiam non habemus, ideo in promissionibus gratiae aliam iusticiam reuelari, scilicet imputatam propter Filium Dei, quae cum fide accipitur, Filius Dei simul est efficax in cordibus credentium, viuificat et donat Spiritum sanctum, vt Roma. 5. dicitur: Per ipsum habemus gratiam, et donum per gratiam. NOMEN Gratiae certissimum est hic intelligi oportere reconciliationem gratuitam propter Filium promissam, Deinde donum, sanctificationem et restitutionem vitae aeternae, quae simul omnia nominat Daniel, iusticiam sempiternam. Verum est autem, sanctificationem et restitutionem vitae aeternae fieri Filio Dei per Euangelium consolante nos, et dante Spiritum sanctum, et postea glorificante Ecclesiam post resuscitationem ex mortuis. Prorsus eodem modo loquitur Ioannes: Lex per Moysen data est, Gratia et veritas per Iesum Christum facta est, id est, Remissio peccatorum et reconciliatio gratuita nobis propter oboedientiam filij donatur, et per eum fit veritas, id est, vera et non euanescentia bona, sed aeterna bona nobis donantur, id est, in hac vita fit incoatio vitae aeternae et conformitatis cum Deo, quae postea consummabitur, quia filius Dei incipit in nobis renouare imaginem Dei, cum suo verbo nos assimilat per Spiritum sanctum, accendentem tales motus, qualis ipse est. Non enim ideo annunciatur remissio, vt maneant peccatum et mors, sed vt reipsa aboleantur, et iusticia et vita aeterna restituantur. CVM igitur de iustificatione peccatoris dicitur, necesse est semper primum cogitare de remissione peccatorum et de reconciliatione, iuxta promissionem. Quia etiamsi haberemus omnes Angelorum virtutes, et non sciremus, nos placere Deo, nullam consolationem haberemus. IDEO iuxta Paulum semper hoc modo definimus Iustificationem: Iustificatio est acceptio remissionis peccatorum et reconciliationis seu acceptationis gratuitae propter filium Dei, quae cum fide accipitur, verissimum est simul filium Dei corda viuificare, dicere consolationem in cordibus per Euangelium et Spiritu sancto accendere tales mortus, qualis est ipse, iuxta dictum: Dabo legem meam in corda eorum. Quia igitur necesse est accipi remissionem peccatorum, et nouitas non est integra in hac vita, Paulus nominat imputationem iusticiae, reconciliationem, qua propter mediatorem recipimur.

Quis est usus nominis Gratiae? GRATIA apud Paulum in hac doctrina significat Ebraea Phrasi misericordiam gratuitam, videlicet remissionem peccatorum et reconciliationem, seu acceptationem gratuitam propter filium Dei, quae cum fide accipitur, simul filius Dei viuificat corda, et per Euangelium dicit consolationem in corde, et accendit Spiritu sancto tales motus, qualis ipse est. Sic nominat Paulus gratiam, et donum per gratiam, vt supra dictum est.

Quis est vsus nominis Fidei? FIDES est assentiri omni verbo Dei nobis tradito, atque ita promissioni gratiae, et est fiducia acquiescens in Deo, propter filium, accedens ad Deum, et inuocans eum, et clamans Abba Pater, quae sentitur in credentibus, et in veris pauoribus affert consolationem et laeticiam, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus. COMPLECTIMVR ergo appellatione fidei omnes articulos simul, et nominatim hunc articulum: Credo remissionem peccatorum, et uitam aeternam, qui sic intelligendus est in vera conuersione: Credo remissionem peccatorum non tantum alijs dari, sed mihi quoque. De hac fide, qua sibi vnusquisque in conuersione et consolatione promissionem applicat, loquitur Paulus Rom. 4. Ideo ex fide gratis, vt sit firma promissio. Promissio autem et caeteros articulos Symboli continet. Haec plana et perspicua sunt in vera consolatione et inuocatione. Ac discrimen conspici necesse est, inter noticiam historiae, qualis est in Diabolis et impijs, et hanc fidem, quae simul et historiam nouit, et est assensus, quo promissionem gratiae amplectimur, et fiducia qua agnoscentes promissionem, acquiescimus, et laetamur in Deo propter Filium. SINT igitur in conspectu haec duo dicta: Daemones credunt et contremiscunt, id est, norunt historiam, et eo furiosius irascuntur, quia certo norunt, Filium Dei iudicaturum esse, et prospiciunt suas poenas, quibus in tota aeternitate cruciabuntur. Promissionem vero gratiae sciunt ad solos homines pertinere, iuxta dictum: Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis etc. Haec noticia in Diabolis in infinitum discernenda est ab hac fide, de qua dicitur: Iustificati fide pacem habemus, quae est assentiri omnibus articulis Symboli et promissioni, et qua credis, tibiipsi remitti peccata, cuius fidei proprietates dulcissime recitantur Ephes. 3. cum inquit, Nos hac fide habere παῤῥησίαν et fiduciam accedendi ad Deum. Saul oppressus dubitatione horribili fremitu fugit Deum, optat se redigi in nihilum, sicut scriptum est Lucae 23. Dicent montibus, cadite super nos. Dauid autem audita consolatione, erigitur fide, accedit ad Deum, et audet inuocare, sicut inquit: Sustinuit anima mea in verbo eius, sperauit anima mea in Domino, a vigilia matutina vsque ad noctem. Et hac fide simul ipse filius Dei λόγος dicit consolationem in corde tuo, et viuificat te, et extrahit te ex inferis, ac ostendit misericordiam Patris voce Euangelij, et dat Spiritum sanctum laetificantem nos. Ideo inquit Paulus Ephes. 3. habitare Christum per fidem in cordibus nostris. Et 1. Iohan. 4. In hoc scimus, quod in eo manemus, et ipse in nobis, quia ex spiritu suo dat nobis. Et Athanasius inquit: Vbicunque dicitur Spiritus sanctus in aliquo esse, ibi est per verbum. DIFFERT igitur fides, de qua dicitur: Iustificati fide pacem habemus, a noticia, qualis est in impijs, obiecto et caussa efficiente. Quia vera fides intuetur promissionem, et accenditur per filium Dei, qui Spiritu sancto cor laetificat, et ad inuocationem exuscitat.

Quomodo accipit homo remissionem peccatorum, et reconciliationem seu iustificationem, et donationem Spiritus sancti et vitae aeternae? RESPONDEO. Homo in conuersione, id est, in veris doloribus et pauoribus accipit remissionem peccatorum, propter mediatorem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, Deum et hominem, gratis, sola fide, non propter propriam

dignitatem, seu propter virtutes proprias, aut propria opera seu merita. Et in his pauoribus semper sit in conspectu discrimen legis et Euangelij, et sciamus aeternum et immutabile mandatum Dei esse, vt credamus nos recipi propter filium, iuxta dictum: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur et viuat. Item: Gratia exuberat supra delictum. Cumque erigimur fide, et accipimus remissionem peccatorum, filius Dei vere est efficax, et voce Euangelij dicit consolationem in cordibus, ac fide simul accipimus imputationem iusticiae seu reconciliationis, et Spiritum sanctum, et efficimur haeredes vitae aeternae, gratis, propter Christum. Haec omnia comprehendit dictum: Iustificati fide pacem habemus. Et Gallat. 3. Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Et Rom. 5. Iustificati sanguine ipsius seruabimur per eum ab ira eius. Huc adiungantur alia testimonia, ac praecipue propositio epist. ad Rom. cap. 3. et confirmatio cap. 4.

CONTRA. I. Argumentum: Vbi multa simul sunt, non est ponenda exclusiua, In conuersione multa simul sunt, vt, contritio, fides, dilectio, bonum propositum, spes, et aliae virtutes, Ergo non est dicendum, Sola fide iustificamur. Respondeo ad minorem: Quanquam multae virtutes simul sunt in conuersione, tamen non sunt causae seu merita iustificationis, id est, remissionis peccatorum et reconciliationis et viuificationis, et donationis vitae aeternae: Sed solius filij Dei oboedientia, est caussa seu meritum iustificationis. Hic est propitiator, vt ad Romanos 3. dicitur. Et Iohannis 1. Sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato.

II. Argumentum: Imposibile est, vllam rem esse iustam sola noticia, Fides est tantum noticia, Ergo non est dicendum, sola fide. Respondeo ad minorem: Fides non significat hic noticiam, qualis est in Diabolis, sed comprehendit noticiam omnium articulorum fidei, et fiduciam in voluntate acquiescentem in Deo propter mediatorem, agnita misericordia in promissione. Quia fides de qua Paulus loquitur, est assensus, quo omni verbo Dei nobis tradito assentimur, ac simul etiam promissioni gratiae, cum quo assensu inseparabiliter coniuncta est fiducia acquiescens in Deo, iuxta promissionem. Sed noticiam praecedere necesse est, quia noticiae sunt apprehensiuae. Et in hoc ipso assensu filius Dei est efficax, dicit voce Euangelij consolationem in corde tuo, ostendit voluntatem Patris, retrahit cor ex inferis, et viuificat te, et dat arrabonem Spiritum sanctum, qui accendit laeticiam et inuocationem in corde, iuxta dicta: Accepistis Spiritum clamantem abba Pater. Item: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiae et precum etc. Quod autem fides sit assentiri promissioni gratiae, manifestum est ex cap. 4. ad Romanos, vbi Paulus correlatiue copulat promissionem et fidem. Ideo ex fide gratis, vt sit firma promissio.

III. Argumentum: Fide sumus iusti, Fides est opus, Ergo operibus sumus iusti. Respondeo ad maiorem: Propositio haec, Fide sumus iusti, intelligitur correlatiue, videlicet per misericordiam sumus iusti propter Filium Dei, et id beneficium oportet fide accipi. Quanquam enim fides est excellens virtus, tamen etiam est imperfecta et languida. Et hoc vult doctrina Ecclesiae, credentes per misericordiam propter Filium Dei accipere remissionem peccatorum et reconciliationem ac placere non

propter propriam dignitatem. Ideo inquit Paulus, Sumus dilecti in dilecto, id est, propter filium. Alij quaerunt alias responsiones, quas hoc loco omitto.

IV. Argumentum: Iusticia est oboedientia secundum omnes virtutes, seu iuxta totam legem, seu conformitas cum Deo, Fides non est omnes virtutes. Ergo non est iusticia. Respondeo: Maior est vera de iusticia legali. Quia vero legis iusticiam (scilicet integram oboedientiam interiorem et exteriorem) non habemus, hanc ipsam ob caussam immensa misericordia patefecit Deus promissionem de gratia, et imputata iusticia propter meritum filij mediatoris. Et simul fit incoatio oboedientiae seu conformitatis cum Deo, iuxta dictum 2. Cor. 3. Transformamur in eandem imaginem, tanquam a Domini spiritu.

V. Argumentum: Deus iustificat, Deus est dilectio, Ergo dilectio iustificat. Respondeo: Concedo totum, si sine ambiguitate argumentum intelligatur. Deus est dilectio, scilicet, qua nos diligit, id est, est essentia vere ac serio diligens homines propter filium. Et haec dilectio, qua Deus nos diligit propter filium, iustificat. Huius propositionis correlatiua est: Fide iustificamur, id est, hac fide, qua agnoscimus et statuimus nos diligi propter filium. Aduersarij vero cogitant, nos iustos esse dilectione, qua homo diligit Deum.

VI. Argumentum: Virtutes non sunt confundendae, cum Paulus discernat: Fides, Spes, Dilectio, tria haec, sed maior inter has dilectio. Fiducia est actio seu actus spei. Ergo fiducia est discernenda a fide. Respondeo ad Maiorem: Verum est virtutes non esse confundendas, sed recte intelligenda sunt discrimina. Nam fides non est tantum noticia, sed est simul assentiri promissioni, in qua offeruntur remissio peccatorum, reconciliatio, donatio Spiritus sancti et vitae aeternae. Et est fiducia acquiescens in Deo propter mediatorem, accedens ad Deum, et accendens inuocationem, et clamans abba pater. Et quia fides in praesentia accipit remissionem peccatorum et reconciliationem, est fiducia praesentis beneficij. Sed spes est certa expectatio vitae aeternae, gratis dandae propter mediatorem, et est expectatio mitigationis poenarum corporalium, iuxta voluntatem Dei. Cum igitur fiducia nominatur actus spei, intelligitur fiducia futurae liberationis, seu futurae mitigationis. Dilectio est oboedientia, quae praelucente fide praestatur Deo, iuxta omnia mandata, sic vt cor laetetur in Deo.

VII. Argumentum: Mala opera damnant. Ergo bona saluant, quia contraria habent contrarios effectus. Respondeo: Contraria, si sint pariter integra, habent contrarios effectus. Sed mala opera sunt integra mala, quod de non renatis manifestum est. Nam etiamsi in Aristide et Scipione sunt magnae virtutes, quia nisi esset aliquorum gubernatorum excellens virtus et sapientia, non posset conseruari humana societas: Tamen hae virtutes non sunt impletio legis, manent in corde tenebrae de Deo et de filio Dei, dubitationes et horrendi fremitus aduersus Deum. Deinde manifestum est, etiam in renatis, quanquam est in eis incoata oboedientia, tamen non esse integram legis impletionem. Ideo dicitur in Psalmo: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et Iob cap. 9. inquit: Vere scio, quod non iustificetur homo coram Deo. Cum igitur non sit integra oboedientia, non valet consequentia: Mala

opera damnant, Ergo bona opera saluant, quia contraria non sunt aequalia. Haec antithesis illustrat beneficium Christi, qui tegit reliquias peccati in renatis, iuxta dictum: Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata, id est, renati placent propter mediatorem fide, non propter propriam dignitatem, quia incoata oboedientia adhuc procul abest a perfectione legis.

VIII. Argumentum: Impossibile est nosse voluntatem Dei erga nos, iuxta dictum: Quis consiliarius eius fuit? Credere quod habeas remissionem peccatorum, est aliquid asseuerare et affirmare de voluntate Dei erga nos, Haec igitur affirmatio est impossibilis. Respondeo: Haec ipsa imaginatio Academica seu Pyrrhonia omnium hominum mentes turbat. Sed maiorem constantissime negari oportet de voluntate reuelata. Ac primum de lege manifestissimum est, sciri voluntatem Dei in lege reuelatam, iuxta dicta: Nolite errare, scortatores, adulteri, homicidae non possidebunt regnum Dei. Lex enim ideo patefacta est in creatione, et deinde saepe repetita, vt sciatur quod sit Deus, et qualis sit, et quod velit nos esse conformis suae sapientiae, quod sit vindex. Et huic noticiae addit testimonia in quotidianis et horribilibus poenis scelerum. Secundo etiam immensa bonitate Deus propter filium et per eum reuelauit voluntatem de remissione peccatorum et reconciliatione in Euangelio, iuxta dictum: Filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Hanc ipsam ob caussam tradita est promissio gratiae, quia ratio naturalis non videt hanc mirandam voluntatem Dei de remissione. Et haec reuelatio de reconciliatione et restitutione humanae naturae per filium, discernit Ecclesiam ab omnibus gentibus. Ideo sciendum est, hanc reuelationem opponendam esse naturali et Academicae dubitationi. SED opponit hoc argumentum humana ratio: Addita est conditio legi: Hoc fac et viues. Cum igitur non satisfiat legi Dei, dubitandum est etc. Respondeo. Et hoc ipsum in reuelatione Euangelij considerandum est, ideo immensa misericordia missum esse filium, vt nos a maledictione legis redimeret, et gratis propter filium donari reconciliationem. Quanquam autem poenitentia necessaria est (siue parua, siue magna) tamen remissio non pendet ex dignitate nostra, sed propter mediatorem et gratuita et certa est. Dauid post lapsum agens poenitentiam, statuit se vere recipi in gratiam audita hac voce: Dominus abstulit peccatum tuum. Eadem est vox Euangelij ad singulos agentes poenitentiam. Et mandatum immutabile est, vt filio Dei credamus: Hunc audite: In hac breui responsione fontes considerentur, patefactio et discrimen legis et Euangelij, discrimen voluntatis reuelatae, et non reuelatae etc.

IX. Argumentum: Prorsus simile argumentum est, quod huc detorquetur ex capite 9. Ecclesiastae non recte enarrato: Nescit homo, an amore vel odio dignus sit. Respondeo: Haec sententia prorsus congruit cum doctrina de fide, quam recitauimus, quia reuocat homines in iudicando a spectaculis humanorum euentuum in hac vita ad verbum. Non iudicet homo de fauore et odio Dei ex secundis aut aduersis rebus in hac vita, vt: Dauid non iudicet se abiectum esse a Deo, etiamsi est expulsus regno. Achab non iudicet se placere Deo, etiamsi est rex potens et victor. Sed Dauid iudicet ex verbo Dei, se placere Deo, quanquam exulem, quia dictum est: Dominus abstulit peccatum tuum. Achab

iudicet se displicere Deo, quanquam est rex potens et gloriosus, quia scriptum est: Maledictus omnis, qui facit idolum, quod est abominatio Deo. PERSPICVVM est igitur, dictum Salomonis prorsus congruere cum nostra sententia, quae iubet de voluntate Dei ex verbo iudicare. Nec difficile est copiose refutare enarrationes Papistarum. Insaniunt enim, si hoc dicunt, non scire homicidas et adulteros, an sint digni odio Dei. Manifeste igitur apparet, ipsorum interpretationem esse tetram corruptelam. SED regula vniuersalis teneatur: De voluntate Dei ex verbo ipsius iudicandum esse. Et verbum Dei vniuersaliter omnes damnat, qui non sunt conuersi ad Deum iuxta dicta 1. Cor. 6. Nolite errare, idolatrae, homicidae, adulteri etc. non sunt haeredes vitae aeternae. Item: Qui non credit in filium, manet ira Dei super eum. Rursus vniuersaliter recipit Deus omnes, qui in conuersione seu poenitentia credunt in filium, iuxta dicta: Viuo ego, dicit Dominus nolo mortem peccatoris sed vt conuertatur et viuat. Item: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Hae regulae summae semper in conspectu sint, quae multis alijs sententijs lucem afferunt.

X. Argumentum: Cum dictum sit: Delicta quis intelligit, Nemo potest omnia sua peccata scire. Ergo possibile est, hominem habere delictum ignotum, propter quod displiceat Deo. Quare non est affirmandum, quod placeat Deo. Respondeo: Nego consequentiam, et ratio est, quia firmissime retinenda est regula: Omnis conuersus ad Deum recte tenens fundamentum, debet credere, se placere Deo etiamsi habet delicta ignorantiae, sicut in omnibus hominibus magna haeret infirmitas. Ac propterea traditur doctrina de remissione propter filium, iuxta dictum: Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Quia in nobis non est integra impletio legis.

XI. Argumentum: Nemo placet Deo, nisi habens nouas virtutes, ortas a Spiritu sancto, Nemo potest affirmare, se habere illas virtutes, quia possunt esse virtutes similes ortae a ratione, Ergo nemo potest affirmare se placere Deo. Respondeo: Nego minorem, quia in vera conuersione seu poenitentia vtrunque debemus affirmare, et quod detur remissio propter mediatorem, et simul viuificemur per filium, dato Spiritu sancto, erecti voce Euangelij. Et quanquam intueri mens fide mediatorem debet, non nouitatem in nobis, tamen simul in veris doloribus sentit hanc consolationem, iuxta haec dicta: Iustificati fide pacem habemus. Item: Clamamus abba pater. Et recte inquit Augustinus: Credens scit se credere, scilicet in doloribus sentiens consolationem. DE hoc argumento non solum aduersarij dimicant, se etiam piae mentes apud sese quaerunt, an Deo placeant, cum sentiant infirmitatem, nec sentiant illustres motus laeticiae in Deo. ET Stenckfeldius turbat pias mentes his clamoribus: Ideo statuas te iustum esse, quia sentis in te Deum habitare, te habere ingentes motus laeticiae in Deo. Sic abducit homines a conspectu mediatoris, et a promissione, ad nouitatem propriam. CONTRA has imaginationes teneatur hic verus ordo: Cum dolores non sunt simulati in poenitentia, corda intueantur non virtutes in nobis, sed mediatorem in verbo ostensum, et cogitatione scriptae promissionis se sustentent, et sciant, se voci Euangelij debere assentiri, et non quaerere alias illumi-

nationes. Hoc cum faciunt, experiuntur consolationem. Estque hoc discrimen inter assensionem Philosophicam et fidem. Sequitur assensio experientiam in Philosophia. Vt medicus expertus zinzibere calefieri ventriculum, postea hoc affirmat. Sed in diuina consolatione prius assentiendum est verbo externo, deinde sequitur sensus consolationis. Haec in veris exercitijs poenitentiae et inuocationis discenda sunt.

XII. Argumentum: Remittite et remittetur vobis. Ergo nostra condonatio meretur remissionem peccatorum. Respondeo: Nego consequentiam, qui fallacia est a non caussa vt caussa. Quia in illo dicto prior pars est praeceptum seu praedicatio poenitentiae. Altera pars est promissio, de qua ex Euangelio sciri necesse est, quod propter mediatorem gratis detur remissio credentibus. Nec valet consequentia: Nostra contritio est necessaria. Ergo est caussa remissionis. Et perspicua est refutatio de hoc dicto. Quia si cogitandum esset, propter nostram condonationem dari remissionem, fieret incerta reconciliatio. Quanquam enim conuersi repugnant odijs tamen aliqua cicatrix seu imbecillitas in nobis manet. HAEC simplex responsio congruit ad multa dicta, in quibus primum concio poenitentiae proponitur, deinde promissio, vt apud Danielem: Libera te a peccatis iusticia et eleemosynis erga pauperes, et erit sanatio delictorum tuorum. Prior pars praecipit emendationem, nec tantum loquitur de eleemosynis, sed de conuersione iuxta omnia praecepta, id est, agnoscas verum Deum, qui se patefecit in Israel, et promisit remissionem propter venturum Dominum etc. Deinde sit et gubernatio tua iusta, non sis crudelis contra captiuam Ecclesiam Dei. Sic intelligatur concio regia de magnis rebus, et de nostra conuersione. Postea promissio consideretur de remissione peccatorum, et de reconciliatione hominis Ethnici, et polluti horribili idolomania. Nec dubium est ab ipso Daniele hanc promissionem copiosius enarratam esse, et regi dictum esse, cur detur promissio, per quem restituatur iusticia et vita aeterna, et promissionem fide accipiendam esse. Eadem responsio est ad concionem Iesaiae 1. Desinite male facere, si peccata vestra sunt vt coccinum, eritis candidi vt nix.

XIII. Argumentum: Maxima virtus maxime iustificat. Dilectio est maxima virtus. Ergo maxime iustificat. Respondeo: Concedo totum argumentum de iusticia legis. Sed quia non habemus integram iusticiam legis, Euangelium concionatur de alia, et docet imputari credenti iusticiam propter mediatorem. Haec est simplex et vera responsio, quae prolixius explicari potest, si quis postulat. Ac sciendum est, longe aliud esse, loqui de collatione virtutum inter sese, aliud de remissione peccatorum, et reconciliatione coram Deo.

XIV. Argumentum: Si vis in vitam ingredi, serua mandata. Ergo et fieri lex potest, et bona opera merentur vitam aeternam. Respondeo breuiter: Intellige, serua mandata, scilicet complectendo Euangelium. Nam Christus finis est legis. Ac semper legalibus dictis necesse est addere vocem Euangelij, quod docet fide reconciliari hominem, et simul incoari oboedientiam, accepto Spiritu sancto, et placere incoatam oboedientiam, propter mediatorem, etiamsi languida et infirma est. Haec *ἐπιείκεια* expressa est, Rom. 8. Idem igitur vult dictum Pauli: Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam. Hinc non sequitur,

legi satisfieri in hac vita, quia vox Euangelij expresse dicit: Sensus carnis non est subditus legi, ac ne potest quidem subdi. Ac non sequitur, Bona opera esse meritum vitae aeternae, quia fides praelucens gratis accipit propter mediatorem remissionem peccatorum, et haereditatem vitae aeternae.

XV. Argumentum: Qui non diligit, manet in morte, Ergo non sola fide sumus iusti. Respondeo: Nego consequentiam, quia est fallacia a non caussa vt caussa. Etsi enim verissimum est, dilectionem esse in conuerso, tamen dilectio non est caussa seu meritum remissionis peccatorum, seu iustificationis, seu reconciliationis. Vt, verissimum est: Qui non mouetur, non viuit, nec tamen sequitur, motum caussam esse vitae, sed vita est immediata caussa motus: Ita fides agnoscens misericordiam Dei propositam propter mediatorem, ostendit bonitatem Dei, qua cognita accenditur dilectio Dei, et cor subijcit se Deo. Haec responsio ad similia dicta congruit. Si omnem fidem habeam, dilectionem autem non habeam, nihil sum. Concedo totum. Quia verum est, oportere in reconciliato fidem et dilectionem esse, sed non sequitur, dilectionem esse caussam seu meritum reconciliationis.

XVI. Argumentum: Naturalia sunt immutabilia. Dubitatio de reconciliatione est naturalis, vt nunc quidem nascimur. Ergo est immutabilis. Respondeo: Concedo esse immutabilem in hac deprauatione, sine voce Euangelij et sine auxilio diuino, sicut Adam non solum in dubitatione mansisset, sed etiam oppressus esset aeterna desperatione, si promissio gratiae non prolata esset ex sinu aeterni patris, et per verbum Deus flexisset cor Spiritu sancto ad assensionem, et sic in illa consolatione filius voce Euangelij primos parentes retraxisset ex morte. Hoc exemplum intueamur, quod ostendit quomodo fiat haec consolatio et liberatio a dubitatione, et docet promissionem Euangelij non esse natura notam, et discernendam esse a lege et ab alijs naturalibus noticijs.

XVII. Argumentum: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Ergo propter dilectionem fit remissio. Respondeo: Duplex est Absolutio. Altera priuata conscientiae luctantis cum ira Dei. In hac absolutione necesse est intelligi quod fide accipiatur remissio, non propter nostras virtutes. Ideo et hic inquit Dominus: Fides tua saluam te fecit. Nec nititur fides dilectione nostra, sed tantum misericordia promissa propter mediatorem. Nec existere dilectio potest, nisi sit apprehensa remissio. Huc pertinet dictum: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, saluos fieri per nomen eius omnes qui credunt in eum. ALTERA est absolutio publica coram Ecclesia. In hac conspici necesse est ab alijs testimonia conuersionis, vt hic Christus Pharisaeo ostendit, cur eam recipiat, quia extent testimonia conuersionis. Si cui haec solutio non placet, vtatur altera: Vsitatae sunt Synecdochae, Remittuntur ei multa, quia conuersa est. Et tamen synecdoche explicanda. Cum multae sint partes conuersionis, contritio, fides, dilectio, spes, bonum propositum, tamen sciendum est, dari remissionem, non propter dignitatem harum virtutum, sed propter mediatorem. Haec declaratio sumitur ex Paulo dimicante de particula gratis fide propter mediatorem.

XVIII. Argumentum: Vita aeterna nominatur merces. Ergo est debita pro operibus. Respondeo breuissime. Phrasis nota est, mer-

cedem dici non tantum compensationem debitam, sed fructum qui sequitur. Deinde verum est, vitam aeternam etiamsi propter aliud datur, tamen etiam esse mercedem, quia compensat benefacta, vt patrimonium est merces officiorum filij, etiamsi accipitur propter aliam caussam. CONSIDERANDVM et hoc est. Saepe vtuntur Prophetae phrasi legis, vbi tamen interpretatio ex Euangelio sumenda est. Vt, Reddit vnicuique secundum opera sua, vbi tota conuersio intelligitur, et tamen sciendum est, fide primum gratis reconciliationem accipi, postea placere Deo fidem et incoatam oboedientiam. Et pias mentes semper sonare decet dictum Iacob: Minor sum cunctis miserationibus tuis.

XIX. Argumentum: Iacobi 2. Videtis igitur, quod ex operibus iustificatus homo, non fide tantum. Respondeo: Manifestum est in Iacobo fide tantum intelligi noticiam historiae, de qua noticia dicit: Daemones credunt et contremiscunt. Fatemur autem, neminem esse iustum sola illa noticia, sed Paulus loquitur de fide, quae est agnitio et fiducia misericordiae quae pacem affert cordibus, vt inquit: Iustificati fide pacem habemus. Et discrimen in vera conuersione intelligitur, in qua fides vincit veros pauores, et est motus Spiritus sancti, quo corda viuificantur, et accenditur vera inuocatio, qua clamamus, Abba pater, vt dicitur in Zacharia: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiae et precum. Non igitur pugnat Iacobus cum Paulo, sed de alia re loquitur. DEINDE cum ait: Ex operibus iustificamur, phrasis intelligenda est. Non enim hic iustificari, est reconciliari, sed postea habentes bona opera iustificantur, id est, approbantur, habentes iusticiam operum, quae in reconciliatis iam placent Deo.

XX. Argumentum: Iustificare est ex iniusto iustum facere, Iustus est habens iusticiam, id est, oboedientiam integram, seu conformitatem cum Deo, Ergo non sola fide iustificamur. Respondeo ad Maiorem: Iustificare iuxta doctrinam Euangelij primum est ex reo non reum facere. Nam hoc agitur in veris doloribus, quaeritur remissio peccatorum et reconciliatio. De hac re dimicat conscientia. Ideo Actor. 10. dicitur: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes, qui credunt in eum. Sic clamat Propheta: Saluum me fac propter misericordiam tuam. Etsi autem verum est, in hac consolatione, cum fide eriguntur corda, et retrahuntur ex inferis, simul dato Spiritu sancto incoari oboedientiam, et habitare Deum in corde renato: tamen semper haec consolatio praeluceat, quod credens placeat propter mediatorem. Ideo iustificare primum hic significat ex reo non reum facere, et hanc relationem in uerbo iustificare comprehendit Paulus, cum inquit: Iustificati fide pacem habemus. Et nititur fides oboedientia Christi, non propria nouitate. In infinitum enim anteferenda est Christi oboedientia nostrae nouitati, sicut Paulus inquit: Iustificati sanguine ipsius.

Quare necesse est retineri exclusiuam, Sola fide, seu Gratis? PROPTER quatuor caussas. PRIMVM, ut tribuatur honos debitus filio Dei, quod haec sola hostia sit precium pro nobis, iuxta dictum: Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi. SECVNDO, ut conscientiae habeant firmam consolationem, iuxta dictum Rom. 4. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Si enim penderet remissio ex

dignitate nostrorum operum, semper esset incerta, et opprimerentur perterrefactae mentes desperatione. TERTIA caussa est, ut conspiciatur discrimen legis et Euangelii, quia particula gratis fide propter mediatorem, praecipue discernit legem et Euangelium. QVARTA, ut inuocatio fieri possit, quae impeditur conspectu nostrae infirmitatis. Ideo accedendum est ad Deum fiducia solius mediatoris, iuxta dictum: Per hunc habemus accessum. Item Ephes. 3. In hoc habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem eius etc.

Darauf folgen diese Abschnitte: De bonis operibus: Quae opera docenda et facienda sunt — Quomodo placent bona opera Deo — Manent ne peccata in sanctis in hac uita — Quae peccata non sunt in sanctis? id est, propter quae illi qui fuerunt renati, amittunt gratiam et Spiritum sanctum, et rursus fiunt rei aeternae poenae? De Peccato Blasphemiae: Differuntne peccatum contra conscientiam, et blasphemia? — Quomodo differt doctrina de iustificatione in Ecclesiis nostris, a Papistica doctrina?

DE ECCLESIA.

Quid est Ecclesia? ECCLESIA uisibilis in hac uita, est coetus uisibilis amplectentium incorruptam Euangelii doctrinam, et recte utentium Sacramentis, in quo coetu filius Dei efficax est, et uoce Euangelii et Spiritu sancto multos regenerat ad uitam aeternam. Sunt tamen in eo coetu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes.

Contra. Articuli fidei non sunt uisibiles, Ecclesiam esse est articulus fidei, Ergo Ecclesia non est uisibilis. Respondeo ad maiorem: Concedo articulos fidei, scilicet propositiones, non esse uisibiles, seu ut est usitata phrasis, Complexum non est uisibile, tamen subiecta in multis propositionibus uisibilia esse necesse est. Vt, cum dico: Sol est creatura Dei, Nos sumus resurrecturi, propositiones fide accipiuntur, sed tamen subiecta sunt uisibilia. SIC cum dicitur: Ecclesia est populus Dei, in quo Deus uere colligit coetum, cui dat remissionem peccatorum et iusticiam, ac salutem aeternam. Haec propositio est articulus fidei, et subiectum, id est, homines amplectentes Euangelium, sensu agnoscuntur, cum certa signa incurrant in oculos et aures, quae discernunt eos ab aliis hominibus. NON igitur de Ecclesia loquimur, ut de Idea Platonica, sed monstramus Ecclesiam, iuxta dicta: Dic Ecclesiae. Hic necesse est intelligi uisibilem Ecclesiam. Item: In omnem terram exiuit sonus eorum etc.

Quae sunt signa Ecclesiae propria? SIGNA non fallacia simul haec tria sunt. I. CONSENSVS in doctrina Euangelii incorrupta, scilicet in fundamento. II. LEGITIMVS usus Sacramentorum. III. OBOEDIENTIA ministerio debita iuxta Euangelium.

An necesse est, singulos homines saluandos, fieri ciues uerae Ecclesiae? Respondeo: Prorsus necesse est, singulos saluandos iunctos esse cum uera Ecclesia, fide, confessione, inuocatione Dei, et uoluntate seruandae Ecclesiae, seu coniunctionis in Ecclesia, iuxta dictum: 1. Cor. 1. Non sint inter uos schismata. Ebraeos 10. Non deferentes congregationem uestram. Galatas 1. Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Psalmo 26. Vnum petii a Domino, hoc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus uitae meae. Psalmo 83. Beati qui habitant in domo tua Domine. Psalmo 91. Plan-

tati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri, florebunt etc. Romanos 8. Quos uocauit, hos et elegit etc.

Quae res sunt necessariae ad unitatem Ecclesiae? CONSENSVS in fundamento, uidelicet in doctrina Euangelii incorrupta, et in usu Sacramentorum legitimo, et oboedientia debita ministerio, iuxta Euangelium. TESTIMONIA manifesta sunt de doctrina, 1. Cor. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Item Galat. 1. Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. DE Oboedientia, 1. Corinth. 1. Non sint inter uos schismata. Et Ebraeos 1. Non deserentes congregationem uestram. Item: Oboedite his qui praesunt uobis, scilicet in his, quae sunt propria ministerii iuxta Euangelium. SED similitudo rituum, qui sunt ab hominibus instituti, nequaquam necessaria est, ideo contra superstitionem multa testimonia tradita sunt. Romanos 14. Regnum Dei non est esca et potus, sed iusticia, pax et gaudium in Spiritu sancto. Nam qui in his seruit Christo, placet Deo, et approbatus est hominibus. Item Colossenses 2. Nemo uos iudicet in cibo, potu etc.

Quid nominatur sacramentum in Ecclesia? SACRAMENTVM in nouo Testamento, ut Ecclesia loquitur, est ritus diuinitus institutus, additus promissioni in Euangelio traditae, ut sit testimonium et pignus exhibitae et applicatae promissionis gratiae. Ideo uetustas dixit: Sacramentum est signum gratiae.

Quare additi sunt ritus promulgationi promissionis? MVLTAE caussae sunt, sed maxime illustres sunt hae duae. Quia cum Deus colligat Ecclesiam edita promissione de mediatore credunt, uult etiam illustri testimonio uisibili omnibus hominibus ostendere promissionem, et iis applicare qui eam fide amplectuntur, id est, testificari quod promissio ad ipsos pertineat. Nam promissio generalis est. Fides autem et usus Sacramenti applicant eam ad singulos credentes. Ita primum Sacramenta sunt signa uoluntatis Dei erga nos, uidelicet commonefacientia nos de promissione, et applicantia, id est, testificantia quod promissio ad nos pertineat. ALTERA caussa est, quod cum uelit Deus omnes saluandos inseri Ecclesiae, et adiungi ministerio Euangelii, sicut dictum est: Quos elegit, hos et uocauit, tradidit ritus manifeste discernentes Ecclesiam ab omnibus gentibus. Et ut agnosceretur Ecclesia, et ipsi ritus testimonia essent, qui ostenderent, uelle Deum nos esse auditores uocis Euangelii, nec eos, qui non audiunt uocem Euangelii, nec fiunt ciues huius coetus uocatorum, esse electos. Ita uult Deus Ecclesiam conspici oculis, et uisibilem esse, ut cogitemus, ubi sit doctrina ipsius quaerenda. SVNT igitur Sacramenta signa confirmantia fidem erga Deum, quia sunt testimonia applicationis, sicut Paulus nominat Circuncisionem *σφραγίδα δικαιοσύνης*, id est, sigillum iusticiae, quia testabatur, promissionem pertinere ad Abraham. Deinde sunt signa societatis Ecclesiae et confessionis. CONSIDERATIS autem principalibus finibus, postea allegoriae et significationes aliae addi possunt. Vt, Circuncisio fuit in illa arcana parte corporis, ut esset miranda admonitio de uenturo semine. Ac simul multa significabat, uidelicet ex posteris Abrahae uenturum esse salutare semen, de quo antea dictum fuerat: Semen mulieris conteret caput serpentis. Significabat item Cir-

cumcisio, in hac generatione carnali nasci naturam hominum ream, immundam, et praecidendam, hoc est, morti addictam, sed propter promissum semen, iuxta uerbum, Ecclesiam habituram esse nouam et aeternam iusticiam et uitam. SIC Baptismus principaliter significat, nos mergi in sanguinem Christi, et ablui a peccatis. Postea significat etiam, Ecclesiam mergi in afflictiones. COENA Domini significat principaliter, nos esse membra Christi, et inseri eius corpori, et ablui nos ipsius sanguine. Est igitur testimonium et exhibitae promissionis Euangelii, et applicatae ad singulos. Deinde est commonefactio de gratiarum actione. Ideo nominatur *εὐχαριστία*, et sicut Cyprianus optime dicit, est commemoratio dati et accepti. EST item neruus publicae congregationis. Item testimonium mutuae dilectionis et concordiae in eadem Ecclesia, sicut antiquitas foedera fecit societate ceremoniarum et mensae, unde et nomen *σπονδαί*, id est, libationes, pro foederibus usurpabant. Item, uetustas dixit: *τοὺς ἄλας καὶ τὴν τράπεζαν μὴ παραβαίνειν*. Ita in Ecclesia societas huius pulcerrimae communis manducationis intelligatur uinculum esse communis concordiae, quo copulati omnes unum simus in ipso Christo, et non distrahamus Ecclesiam furoribus opinionum, ambitionum et odiorum, sed semper initio principales fines considerentur.

DE BAPTISMO.

Quid est Baptismus? EST instituta a filio Dei mersio in aquam, cum pronuntiatione uerborum: Ego baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, testificans, quia hoc testimonium diuinitus institutum est, eum qui cum hac pronuntiatione uerborum mergitur, reconciliari Deo propter Christum, et sanctificari Spiritu sancto ad uitam aeternam.

Quae est sententia uerborum Baptismi? EGO baptizo te in nomine Patris, Filii, et Spiritus sancti, id est, Ego minister hoc ritu testificor in nomine, id est, mandato diuino, te, qui sic mergeris, recipi a uero Deo in gratiam, qui est aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi, et Filius, et Spiritus sanctus, et recipi te propter Filium, et sanctificari te Spiritu sancto. ET comprehendenda est correlatiua sententia: Ego testificor te recipi in nomen, id est, ad agnitionem et inuocationem ueri Dei, qui est Pater aeternus Domini nostri Iesu Christi, et Filius et Spiritus sanctus, et recipi te propter filium redemptorem Ecclesiae, et sanctificari credentes, Spiritu sancto, quem agnosces et inuocabis, et palam uicissim testaris hoc baptismo, te omnia commentitia numina execrari.

Suntne Infantes baptizandi? Respondeo: Infantes sunt baptizandi. Confirmatio haec est ex Euangelio sumta. Omnes saluandos oportet inseri Ecclesiae in hac uita, iuxta dictum: Quos elegit, hos et uocauit. Vnde regula tradita est: Extra Ecclesiam non est salus. Ad infantes pertinet promissio gratiae et salutis aeternae. Sunt igitur baptizandi et inserendi Ecclesiae. MINOR manifesta est, quia Dominus inquit: Sinite paruulos ad me uenire, quia talium est regnum coelorum. Item: Non est uoluntas Patris mei, ut pereat unus de paruulis istis. Haec dicta manifeste affirmant, ad infantes pertinere promissionem gratiae et uitae aeternae. Et loquuntur de infantibus in Ecclesia. NEC facienda est confusio Ethnicorum et Ecclesiae, quasi etiam inter blasphemos sint

membra Ecclesiae, sed retinendae sunt sententiae: Quos elegit, hos et uocauit. Item: Vbi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Et in Psalmo: Beati qui habitant in domo tua Domine. Item: Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. AD hos igitur infantes pertinet promissio, qui sunt in Ecclesia, hos recipit propter mediatorem, cuius nomen super eos inuoctaum est, et in his Deus efficax est, et sanctificat eos Spiritu suo sancto, pro ipsorum captu, quia haeredes uitae aeternae sanctificari Spiritu sancto necesse est, iuxta dicta: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu etc. Item 1. Cor. 15. Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, scilicet, sine regeneratione. GRATI igitur hoc beneficium Dei agnoscamus, quod uere in Ecclesia recipit infantes, et laetemur in coetu uocatorum electos esse, et sciamus uoluntatem Dei esse, ut quam primum aetas doctrinae capax est, semina Euangelii eis instillentur, iuxta dictum Ephes. 6. Educate pueros in disciplina et doctrina Domini. HIC ad confirmationem adiungantur et testimonia primae Ecclesiae. Origenes expresse inquit in 6. capite ad Romanos: Ecclesia ab Apostolis accepit traditionem, etiam paruulis dare Baptismum. Sciebant enim illi, quibus arcana mysteriorum commendata fuerunt, quod sint in omnibus genuinae sordes peccati, quas per aquam et Spiritum sanctum aboleri oportet. SCIAMVS autem Baptismum non tantum esse foedus infantium cum Deo, sed omnium adultorum, omni tempore, qui etiamsi lapsi sunt, tamen rursus ad Deum conuertuntur. Quia in conuersione homo per fidem uerissime et integre restituitur per mediatorem in possessionem promissionis gratiae, et haereditatis uitae aeternae, iuxta dictum Matth. 18. Remittes septuagies septies. CERTO igitur sciant conuersi, ipsis renouatum esse foedus Baptismi, et ad ipsos pertinere promissionem Baptismo additam: Qui crediderit et baptizatus fuerit, saluus erit, et sicut aliis promissionibus, ita uerbis de Baptismo dictis se uere confirment, sciant se receptos esse ab hoc uero Deo, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, et quidem propter filium mediatorem, et sanctificari se Spiritu sancto ad uitam aeternam. SCIANT rursus Baptismum ipsis stipulationem esse bonae conscientiae erga Deum per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextra Dei, ut scriptum est in epistola Petri. Id est, sciant tunc mutuum foedus esse factum inter Deum et baptizatum. Deus recipit te propter Filium resuscitatum, et per eum, et propter eum delet tua peccata, et sanctificat te ad uitam aeternam. Tu uicissim agnoscis, hunc uere esse Deum, qui se in hoc filio resuscitato patefecit, et hunc uerum Deum inuocas fiducia filii. Ita fit stipulatio bonae conscientiae, et mutua obligatio, Dei et hominis baptizati, quae est rata et efficax propter filium Dei resuscitatum, regnantem, et uerissime colligentem Ecclesiam in genere humano per Euangelium. Eadem stipulatio et mutua obligatio rata est conuersis ad Deum, quia integre restituuntur in possessionem promissionis gratiae, et haereditatis uitae aeternae. RECITATVR uetus dictum: Post naufragium humanae naturae duas tabulas salutis hominibus datas esse, Baptismum, et amissa prima tabula, poenitentiam. Hoc dictum apparet traditum esse contra Nouatianos, qui negabant, lapsos post Baptismum rursus conuerti posse ad Deum. Et necesse fuit refutari Nouatianos, sicut uox filii Dei manifestissima refutatio est, cum inquit:

Septuagies septies remittes. Sed tamen dictum uetus non absurde intelligatur, quia non sic amittitur prima tabula, ut non recuperetur, sed reuera in totam arcam Noae recipiuntur conuersi, id est, in possessionem integram promissionum Ecclesiae propter mediatorem. HIC etiam commonefaciendi sunt homines de omnibus furoribus Anabaptistarum, et tenenda regula: Ex fructibus ipsorum agnoscetis eos, id est, ex manifeste falsis dogmatibus, quae sunt testimonia non fallacia, unde sciri potest, eos fascinatos esse a diabolo. Et sint in conspectu praecipui eorum errores, quos breuiter recitabo.

Errores anabaptistarum. VALDE prodest extare ueras historias certaminum Ecclesiae, ut rectis iudiciis omnium temporum confirmemur, et uideamus, quales furores in impiis sectis significauerint eas a diabolo ortas esse. Etsi autem non est una consentiens Anabaptistica, sed multiplex et monstrosa Chimaera, et alii magis, alii minus tetras opiniones habent: tamen omnium communes sunt furores, inde usque a Carpocrate, Marcione, Pepusianis et Manichaeis. Ac nisi historiae scriptae essent a Iustino, Clemente, et Epiphanio, fide dignissimis, nemo nunc crederet, fuisse tales furores aetatis proximae Apostolis, quales nostra aetas uidit in Monasteriensi tragoedia. Sed sciamus, omnibus temporibus horribiliter diabolos turbare Ecclesiam, et muniamus nos aduersus diabolorum insidias, uera cognitione doctrinae, precatione et iudiciis uerae Ecclesiae, quae manifestos furores hominum fanaticorum refutauit. OMNES fanatici, Carpocrates, Marcion, Pepusiani, Manichaei, damnauerunt politicum ordinem uitae humanae, magistratus, iudicia, distinctionem dominiorum. Et aliqui damnauerunt prorsus coniugia: aliqui contra docuerunt, Vxores debere communes esse, ut Carpocrates. Et horribilia exempla recitantur in historiis. Ita deleuerunt secundam tabulam Decalogi. RATIO autem iudicare potest, nequaquam ex Deo esse, docentes contraria mandatis Decalogi, quae etiam rationi nota sunt. Cum autem similia multa docuerint et doceant Anabaptistae nostra aetate, manifestum est, sectam ipsorum esse furorem diabolicum. Itaque propter haec manifesta signa execrandi et fugiendi sunt, sicut scriptum est: Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit. Item: Si quis dicit blasphemiam contra Spiritum sanctum, non remittetur ei. REFVTATIONES autem horum errorum firmae et perspicuae notae sint omnibus, praesertim recte instituti saepe de eis admoneantur. ERRORES contra primam tabulam sunt magis tetri, sed sunt obscuriores, et magna confusio est opinionum. ALIQVI blasphemias Serueti contra tres personas diuinitatis circumferunt. Multi prorsus nihil dicunt de discrimine personarum, quid sit filius, cur nominetur λόγος et imago aeterni patris, Quid sit Spiritus sanctus. OMNES Anabaptistae fingunt, nullum esse peccatum Originis, et propterea negant, Infantes baptizandos esse. POSTEA de iustificatione alii uelut Monachi fingunt, se iustos esse suis operibus, uidelicet externa disciplina, patientia, toruitate, desertione ciuilis uitae, conturbatione distinctionis dominiorum et simili barbarie. ALII Enthusiastici fingunt, se iustos esse afflatibus diuinis, quos tamen non habent, sed imaginantur, afflatus esse suas speculationes, uel simulata suspiria. Et interdum accedunt diaboli impulsiones, quibus uelut attoniti seu τετυφωμένοι stupefiunt, et edunt inusitatas uoces, sicut Anabaptistae in urbe Monasteriensi in mediis

plateis cadentes, uociferati sunt, se rapi mirandis motibus. HI Enthusiastici seu fanatici deinde addunt hunc perniciosissimum errorem. Affirmant Deum non efficacem esse cogitatione uerbi scripti, ut prorsus abducant homines a uerbo Dei scripto. CVM autem homines abducti sunt a uerbo scripto, praecipue tria ingentia mala sequuntur. I. Amissio certae doctrinae, legis et articulorum fidei. II. Amissio consolationis. III. Extinctio uerae fidei, seu exercitiorum fidei. PRIMVM amittitur doctrina, quia cum mens non regitur uerbo scripto, homines fanatici fingunt opiniones, ut libet, contra legem et articulos fidei, sicut multi fecerunt in adulteriis. SECVNDO, in ueris doloribus non sustentant se scripta promissione, et sic ruunt in desperationem. TERTIO, neque sciunt neque discunt, quid sit fides, quia quaerunt afflatus, non sustentant se cogitatione scripti uerbi, cum dictum sit: Fides ex auditu est, auditus per uerbum Dei. CONSTANTISSIME igitur explodenda sunt deliria Stenckfeldii, et similium, qui abducunt homines a scripto uerbo, et negant Deum efficacem esse cogitatione scripti uerbi. SEMPER autem in conspectu sint firma testimonia. Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti, Romanos 1. Item: Prope est uerbum in ore tuo, et in corde tuo. Item: Fides ex auditu est, auditus per uerbum Dei etc. SCIAMVS autem, filium Dei λόγον adesse cogitationi uerbi scripti, et per hanc immediate efficacem esse, iuxta dictum Ioannis 8. τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Ad Hebraeos 4. Viuus sermo Dei efficacior est gladio, et iudicat cogitationes, et non est abscondita creatura coram eo. Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, et pater meus diliget eum, et ueniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Et Prouerbiorum 8. dicit Sapientia: Fui cum eo artifex, et delectationes meae cum filiis hominum. Antea uero dicit: Clamo in uertice ciuitatis. Ita iungit uerbum uocale, et filium Dei, qui immediate efficax est in ministerio Euangelii. Ideo regnum Christi est immediate ipsum esse efficacem in ministerio Euangelii, et eum colligere et seruare Ecclesiam. QVI igitur abducunt homines a uerbo scripto, simul abducunt ab ipso filio Dei, et sunt hostes regni Christi. Haec diligentissime consideranda sunt, et inuitantur bonae mentes ad amorem et studium lectionis et cogitationis uerbi scripti, et ad uera exercitia fidei, cum cogitabunt, sic, et non aliter, efficacem esse filium Dei, uidelicet cogitatione uerbi scripti. CVM autem inquit Dominus: Ex fructibus ipsorum agnoscetis eos, uult in qualibet secta totum doctrinae corpus considerari. Ac si qua secta defendit insignes errores, manifeste pugnantes cum lege diuina et Euangelio, sciamus eam sectam agitari a diabolis, et fugiendam esse. EST autem horribilis error in secta Anabaptistica, quod tollit discrimen inter peccata, quae haerent in sanctis, non contra conscientiam, et inter lapsus contra conscientiam. Et fingit, ruentes contra conscientiam tamen esse iustos, et retinere Spiritum sanctum. Hic furor Antinomorum late uagatus est, etiam apud alios. Sed manifeste damnatur illustribus testimoniis diuinis. 1. Timoth. 1. Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam. Item 1. Cor. 6. Scortatores, Adulteri, Homicidae etc. non possidebunt regnum Dei. Rom. 8. Si actiones carnis spiritu mortificabitis, uiuetis. Item de Aaron: Dominus uoluit conterere eum.

Darauf folgt ein umfangreicher Abschnitt De Poenitentia: Etsi nomen poenitentia magis congruit ad contritionem, seu pauores et dolores, tamen Ecclesia sic nominat conuersionem ad Deum, quae et dolores et consolationem continet, seu mortificationem et uiuificationem, ut Paulus nominat. Et interdum narrationes Euangelicae sic loquuntur: Gaudium est Angelis de uno peccatore, poenitentiam agente: Nec tamen λογομαχίας mouemus, si quis aliter uult loqui, non pugnamus cum eo. Retinemus bono consilio uocabulum in Ecclesia notissimum, ut res citius intelligatur, et magis perspicua sit refutatio errorum et labyrinthorum, quibus Monachi multis saeculis doctrinam de poenitentia corruperunt. Quid est poenitentia seu conuersio ad Deum — Quot sunt partes poenitentiae — Quid est contritio — Qui sunt praecipui errores Papistarum de contritione — Estne contritio necessaria — Contra — Quid interest inter timorem seruilem, et timorem filialem — Contra — De fide — Quid nominatur noua oboedientia — Quae fuit impia doctrina Nouatianorum de poenitentia — Quomodo numerant Papistae partes poenitentiae — De Contritione — De Confessione — Vnde est Confessio, quae est enumeratio apud administrantes Sacramenta — Estne enumeratio omnium aut aliquorum delictorum necessaria — Contra — De Satisfactionibus — Quid nominant Canonicam Satisfactionem — Estne distincta remissio culpae a remissione poenae aeternae — Estne distincta remissio culpae a remissione poenae temporalis in hac uita? — Argumentum — aliud argumentum.

DE COENA DOMINI.

Quid est Coena domini? EST communicatio corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi, sicut in uerbis Euangelii instituta est, in qua sumtione filius Dei uere et substantialiter adest, et testatur se applicare credentibus sua beneficia, et se assumsisse humanam naturam propter nos, ut nos quoque sibi insertos fide membra sua faciat, et nos ablutos esse sanguine suo. Simul etiam testatur, se uelle in credentibus deinceps esse, et se, cum sit λόγος aeterni Patris, docere uiuificare et regere credentes, sicut inquit Ioannis 15. Manete in me, et ego in uobis: Qui manet in me, et ego in eo, id est, qui fide retinet Euangelium, in eo uere adest filius Dei.

Quis est fructus sumtionis? VSITATE respondetur, quod sumtio fiat ad confirmandam fidem, uidelicet, ut applicentur credenti beneficia Christi, sicut supra dictum est, Sacramenta esse testimonia applicationis, quod necesse est intelligi, non ut Papistae loquuntur, ex opere operato, id est, sine bono motu utentis in adultis, sed cum fide accipiunt. Sic enim et non aliter colligit aeternam Ecclesiam filius Dei, uoce Euangelii, et usu Sacramentorum, sicut dicitur: Fides ex auditu est, auditus per uerbum Dei. Trahit igitur uoce Euangelii, et uult nos assentiri. Eodem modo de Sacramentis dicitur, sicut Augustinus confert uerbum et Sacramenta, cum dicit: Sacramentum esse uerbum uisibile. EST igitur hic primus fructus, hoc testimonio confirmare fidem, et statuere, quod hoc tanquam pignore seu sigillo filius Dei se tibi applicare sua beneficia testetur, sicut et Paulus circuncisionem appellat sigillum iusticiae, id est, testimonium confirmans nos. Postea haec explicatio magis declaretur. Ita fit applicatio beneficiorum, ut credens inseratur Christo, et fiat eius membrum, et testimonium habeat, quod filius Dei assumserit humanam naturam propter NOS, ut nos sibi insertos tanquam surculos seruet, cum totum genus humanum funditus periturum fuisset, nisi ipse massam nostram assumsisset, et nos sibi insereret. Sic igitur prodest sumtio, et fit dulcissima, cum hos fructus cogitamus. I. Primum, cum fides in conuersione intuetur filium Dei, testificantem, se tibi applicare

remissionem: deinde testificantem, sed ideo assumsisse humanam naturam, ut sustentet nos, colligat aeternam Ecclesiam, uiuificet eam, et semper sit in credentibus filius Dei λόγος cum uoce Euangelii, gestet et gubernet eos. II. Secundo accedat gratiarum actio pro filii missione, pro ássumtione humanae naturae, pro ipsius passione, pro redemtione, pro donatione Euangelii, pro uiuificatione, quae fit per ipsum et Spiritum sanctum, pro restitutione uitae aeternae, pro collectione Ecclesiae, denique pro omnibus beneficiis. Vtrunque complectitur Dominus, uidelicet, confirmationem fidei, et gratiarumactionem, cum inquit: Hoc facite in mei recordationem. Quia recordatio non simulata est in uera conuersione petere et credere remissionem propter mediatorem, et hac fide erigi et uiuificari per eum, et deinde uere gratias agere. Ideo uetustas usa est nomine εὐχαριστίας. III. Tertio simul cogitandum est, uerissime Deum uelle hanc sumtionem in publico congressu fieri, ut sit neruus honestae congregationis, quia Deus semper uoluit Ecclesiam esse uisibilem coetum, habere honestos congressus publicos, in quibus sonet uox Euangelii de filio Dei, sicut scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum. NON uult Deus, suam doctrinam similem esse arcanis mysteriis Eleusiniis. Sed uult in toto genere humano exaudiri et agnosci filium. Ideo et ipse miranda potentia seruat et seruabit honestos Ecclesiae congressus, et uult singulos adiuuare horum publicorum congressuum conseruationem, ut ministerium docendi conseruetur. IBI uult Deus communem precationem et gratiarumactionem fieri, ibi uult ostendi confessionem, quod genus doctrinae singuli amplectantur. Ibi uult etiam membra Ecclesiae inter se simul facere officia mutuae dilectionis, et ostendere, se esse unum in Christo, et consentientia unius Christi membra. Sicut Paulus inquit: Vnus est panis, unum corpus multi sumus. Ac semper uetustas foedera confirmauit societate sacrorum: Ideo σπονδαί significant foedera, cum σπονδή proprie sit libatio, a σπίω, quod est a πίνω. HAE tres grauissimae caussae semper in Synaxi cogitandae sunt, quae quidem pias mentes et ad conseruationem publici Ministerii, et ad sumtionem inuitant.

Quid differunt sacramentum et Sacrificium? SEMPER hoc in conspectu sit in Ecclesia, Sacramenta non tantum esse signa professionis externae ut toga discernebat Romanum ab aliis hominibus: sed esse signa uoluntatis Dei erga nos, et quidem in nouo Testamento esse testimonia gratiae addita promissioni, id est, testari quod Deus propter filium credentes recipiat, et applicet eis promissionem. ETSI autem multi tantum iudicant politico more, hos ritus esse signa professionis, instituta ut discernant homines: tamen sciamus, hunc non esse principalem finem Sacramentorum, quanquam hic finis etiam postea accedit, ut, Circuncisio primum significabat promissionem de uenturo semine, et de gratia. Postea etiam erat signum discernens Israëlitas a gentibus. DEINDE Sacramenta etiam a sacrificiis discernenda sunt. Sacramenta sunt ritus diuinitus instituti, in quibus Deus affirmat, se nobis aliquid dare, id est, testatur credentes recipi a se, et eis applicari promissionem, ut de circuncisione dicit: Ego ero Deus eorum. SED sacrificia nominantur opera quaecunque a Deo praecepta, quae nos reddimus Deo, ut ostendamus, nos agnoscere, hunc uere esse Deum, quem sic colimus, et uelle eum coli, sicut docet. Vt, Israëlitarum confessio contra Nabucho-

donosor, et constantia in supplicio est sacrificium, id est, est res quae offertur Deo, qua tribuunt ei debitum honorem, id est, ostendunt, hunc esse Deum, quem sic colunt, et non alios, et uelle eum coli, sicut docet. Sic castitas Ioseph est sacrificium, id est, opus quod Ioseph Deo reddit, et testatur hac oboedientia, se sentire, hunc uere esse Deum, quem sic colit, et uelle eum hac oboedientia coli. EST igitur sacrificium opus a Deo mandatum, factum in agnitione mediatoris et fide, ad hunc finem, ut Deo praestetur honos, id est, ut eo opere testemur, hunc uere esse Deum, et uelle eum sic coli. Hac distinctione considerata, postea facilius intelligi potest disputatio de oblatione, seu de sacrificio. VTILE est et alteram distinctionem considerare. Osiander fecit tres species sacrificiorum. I. *τυπικά*. II. *Ἱλαστικόν*. III. *δίδακτρον*. *Ἱλαστικόν* est unicum Christi sacrificium, quo Christus sese offert aeterno patri, et deriuat in sese iram, et meretur nobis sua oboedientia reconciliationem. *τυπικά* nominat omnia Leuitica. Et in his erant *δίδακτρα*, quatenus inde alebantur Leuitae, et eorum familiae. Sed addo meam distinctionem. Vnicum sacrificium est *ἱλαστικόν*, scilicet, tota Christi oboedientia. Aliorum omnium piorum sacrificia sunt *εὐχαριστικά*. Et haec aut sunt *τυπικά*, aut sunt moralia.

De uocabulis publici ritus coenae Domini. PRIMA appellatio est, Coena Domini, 1. Cor. 11. qua appellatione ritus simplicissime appellatur. II. Postea in Graeca Ecclesia nomen usurpatum est usque ad haec tempora *λειτουργία*, quod significat simpliciter administrationem publici boni, ut si quis dicat, instrui et apparari nauim *λειτουργίαν*. Est enim a *λήϊτον*, id est bellando partum, non a *λιτή*, id est, precatio. Non est igitur sacrificii nomen, sed ministerii, in quo unus multis seruit, exhibens Sacramentum. Notissima est enim appellatio *λειτουργία* de oneribus publicis, ut sciunt omnes mediocriter docti in Graeca lingua. III. Tertia appellatio est *σύναξις*, a congregatione, quia Deus uult publicos esse Ecclesiae congressus honestos, et eos immensa bonitate seruat, et hanc ceremoniam uult esse neruum publicae congregationis. IV. Quarta appellatio *εὐχαριστία* est gratiarumactio, quia uerissimum est, filium Dei in illa coena primum uelle fide accipi beneficia sua. Deinde et gratias agi pro tota redemtione, et collectione Ecclesiae. V. Quinta appellatio est *ἀγάπη*, siue quia olim simul afferebantur ad coenam Domini panes et aliae res distribuendae pauperibus: siue quia iudicabant esse foedus mutuae dilectionis. Quod etsi uerum est, tamen alius est prior et principalis finis, scilicet, testimonium seu pignus esse uoluntatis Dei erga nos. ROMANI usi sunt nomine Missa, nec scitur, an id nomen ab Hebraeis sumtum sit, an uero latinam originem habeat. In Deuteronomio capite 16. legitur uocabulum Missa pro contributione, quia in feriis, ut iam dixi, multa afferebantur distribuenda pauperibus. ALII dicunt Latinum esse Missam pro remissione peccatorum, sicut et Cyprianus utitur uocabulo Remissa pro Remissione, quia ibi annuntiatur remissio peccatorum omnibus conuersis, qui ad coenam Domini admissi sunt. Fuerunt igitur tanquam uerba absolutionis: *λαοῖς ἄφεσις ἔστω*, populis sit remissio, id est, sit uobis remissio, qui accessistis ad communionem. Quod Latini imitati sunt: Ite Missa est, id est, remissio peccatorum uobis certo annuntiata est. In his uocabulis

publice usitatis nullum est, quod oblationem aut sacrificium proprie significet.

Quare necesse est missam Papistarum taxari? QVIA omnis idololatria est taxanda, fugienda et abolenda. Idololatricum est autem, quod dicunt Papistae, Sacrificulos sua oblatione et missa mereri remissionem peccatorum facienti et aliis. Et quidem cumulant errores, cum addunt, eam oblationem mereri ex opere operato, ut ipsi loquuntur. Quae opinio palam Ethnica est. Necesse est igitur Papisticam Missam taxari, uitari et aboleri. MINOR probatur, Quia ad Hebraeos expresse scriptum est: Vnico sacrificio consummauit sanctos. Praeterea nullum opus externum in nouo Testamento placet, ut illi loquuntur, ex opere operato, Quia scriptum est: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et ueritate. Alia ratio: TENENDA est regula: Nihil habet rationem Sacramenti extra usum qui institutus est a Deo. Oblatio non instituta est in uerbis Euangelii, sed sumtio. Igitur non est facienda oblatio.

Contra. Vniuersalis Ecclesia non errat. Graeca et Latina Ecclesia faciunt mentionem oblationis. Ergo est aliqua oblatio. Respondeo. Vetus Ecclesia Graeca loquitur de oblatione gratiarumactionis, non de merito, seu propitiatione pro peccatis, quia expresse dicit: Offerimus pro patribus, Prophetis et Apostolis, uidelicet gratiarumactionem, sicut uerum est, semper in coena Domini haec facienda esse ordine, publice et priuatim. I. Proponendam esse doctrinam de beneficiis Christi, de poenitentia et fide. II. Secundo, Faciendam esse inuocationem. III. Tertio, Sumtionem, qua fides confirmetur in conuersis, qui statuant, uere sibi applicari beneficia mediatoris. Et in eo exercitio fidei sumtio habet rationem Sacramenti, quia accipit beneficia Dei. IV. Quarto accedat gratiarumactio publice et priuatim de toto beneficio redemtionis et collectionis Ecclesiae, et de aliis beneficiis, spiritualibus et corporalibus. Ideo uetustas usa est nomine *εὐχαριστίας*. Sed prius intelligenda est ratio Sacramenti.

Daran schließen sich dann die Abschnitte: De inuocatione, precatione, et gratiarum actione; De causis calamitatum et de locis consolationum; De christiana libertate; De magistratu politico (p. 726–744) und De coniugio (p. 744—765), während die vorausgegangenen, hier verzeichneten und teilweise abgedruckten Abschnitte im Corpus Doctrinae Christianae, Lipsiae 1561, die Seiten 673—726 füllen.

6. Die Wittenberger Catechesis von 1571.

Catechesis continens explicationem simplicem et brevem Decalogi, Symboli Apostolici, Orationis Dominicae, Doctrinae de Poenitentia et de Sacramentis, contextam ex Corpore Doctrinae Christianae — — Wittebergae, Anno M. D. LXXI.

Omnibus piis et doctis viris, gubernantibus studia iuuentutis in scholis puerilibus S. P. D.

NON EST ALIA melior instituendae iuuentutis ratio, quam ordiendo a primis doctrinarum elementis, aetatem teneram his imbutam, paulatim ordine ceu per gradus prouehere ad altiora ac difficiliora: et illa ipsa elementa ita proponere, ut et dictata

reposcantur ab auditoribus, et auditores ipsi ad certas ex praescripto responsionum formulas assuefiant. Nam qui turbato ordine protinus in medias doctrinas irruunt, initijs non perceptis, aut qui ordine inuerso fastigia petunt, fundamentis non substructis, operam perdunt, et in conatibus medijs fathiscentes concidunt.

Inprimis uero ad tuendam conseruandamque doctrinae coelestis puritatem et ad excitanda atque acuenda ingenia, accommodatior institutio nulla est, quam cum ea, quae tradita sunt, quasi fida deposita repetuntur et exiguntur. Exploratis enim auditorum profectibus animaduerti potest, quantum quisque retinuerit, quantum intelligat, ubi haereat, ubi aberret a uero, et errantes admoneri possunt.

Prodest et hoc: unam quandam simplicem et certam sequi doctrinae formam
A 3. ἀνάλογον fidei, et canoni doctrinae Propheticae atque Apostolicae conformem: Imo et certos loquendi modos usurpare, qui nihil habeant ambiguitatis aut obscuritatis, et consentanei sint Scripturae, quod et Paulum meminimus praecipere Timotheo, ut conseruet ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων, id est, Ideam et formam certam. Nam dissimiles, perplexi, ambigui, noui, a canone scripturae et testimonijs orthodoxis, quae graui autoritate recepta et comprobata sunt, discrepantes modi loquendi, inuoluunt et obscurant dogmata, consensum de doctrina dirimunt, erroribus fenestram aperiunt, uoluntates disiungunt, operas et studia distrahunt, et licentiam audaciamque quid uis fingendi in leuibus ac petulantibus ingenijs confirmant. Verissimum est enim non de politicis negocijs tantum, sed multo magis de religionibus, quod apud Thucydidem dicitur: Ἐν τῷ διαλλάττοντι γνώμης διαφοραὶ ἔργων καθίστανται, id est, Dissidentibus opinionibus et uoluntatibus fiunt opera diuersa.

Haec mala ut auerterentur, et consensus de doctrina, quasi per manus ab Apostolis propagatus, ut ad posteros transmitteretur, prima Ecclesia non Episcopis solis et Pastoribus docendi curam commendauit, sed ijsdem adiunxit et κατηχητάς, quorum munus erat erudire nouitios, qui fidem Christianam recens amplexi erant, et ad Ecclesiae societatem sese aggregarant.

A 4. Vt autem ij, qui hoc modo instituebantur, antequam ad Baptismum admitterentur, uocabantur κατηχούμενοι: Sic ipsa docendi ratio, qua summa doctrinae Ecclesiae compendio tradebatur, et uicissitudine quadam interrogationum ac responsionum, auditore ceu κατ' ἦχῶ reddente accepta, exercebatur: nominata fuit κατήχησις, quasi per reciprocum sonum reddita eadem uox doctrinae.

Extat in ipsa scriptura nomen Catecheseos, cum alibi, tum apud Lucam in exordio narrationis Euangelicae, et in Epistola ad Rom. cap. 2. et 1. Cor. 14. et ad Gal. 6.: κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς. Et morem Ecclesiae ueteris aliquoties describit Eusebius, qui et seriem atque successionem eorum, qui praefuerunt Catechumenis in Ecclesia Alexandrina, ordine commemorat. Fit et apud caeteros scriptores Ecclesiasticos crebra uetustissimi huius moris Ecclesiae mentio. Nam et Tertullianus in sermone de poenitentia hortatur Catechumenos, ne differant Baptismum, hac persuasione, quasi securius ante Baptismum peccatis indulgere ipsis liceat: Et Chrysostomi quaedam homilia inscribitur Catechesis ad illuminandos: Cuius exordium etiam tale est, ut ostendat modum ac formam doctrinae ueteris. Sic enim orditur: Prius dictorum apud charitatem uestram fructus a uobis repetiturus aduenio. Scripsit et Augustinus librum de Catechisandis rudibus.

A 5. Hanc ueteris Ecclesiae consuetudinem superstitiosorum rituum cultu et obseruationibus in regno Pontificio sublatam atque deletam, ut Reuerendus Pater ac Praeceptor noster, et sincerioris religionis instaurator Doctor Martinus LVTHERVS reuocaret in Ecclesiam, praecipua Doctrinae Christianae capita, Methodo Catechetica interrogationibus et responsionibus distincta explicauit, quae primae aetati a teneris

priuatim et publice in Ecclesijs, et Scholis harum regionum, magna cura inculcantur, eadem obseruata lege institutionis, ut cogantur auditores quasi sono reflexo imitari et reddere interpretationum uerba.

Qui uero aliquo usque progressi et adultiores sunt, quorum iudicium aetate auctum paulatim maturescit, ijs uberiores et aliquanto altius ex fonte doctrinae sacrae depromptae ac pluribus roboratae testimonijs explicationes proponuntur, methodo tamen non diuersa. Atque id quidem in templis hactenus, quam in Scholis obseruatum est accuratius, quod Paedagogorum alij alias usurpauerint uberioris Catecheticae doctrinae formas, nec ordine nec interrogationum aut responsionum forma, nec loquendi modis congruentes. Quin etiam nonnulli ex dissidijs, quibus flagrant atque concutiuntur Ecclesiae, et ex confusione tetra dogmatum recte [1]) explicatorum, ausi sunt aspergere multa minime conuenientia teneris ingenijs, sicut experimur, cum A 6 profectus discentium exploramus, inter quos non pauci offeruntur Catecheticae doctrinae aut rudes prorsus, aut de interrogatis aliena uel ambigua respondentes. His incommodis ut aliquomodo inueniretur remedium, profuturum esse magnopere existimauimus, si una ederetur certa et simplex forma Catecheseos, quae post initia Catechismi Domini Doctoris Lutheri, in Scholis puerilibus iuuentuti proponi posset. Nam capita in Examine aut Locis Theologicis comprehensa, ac disputata, quae in Ecclesiae doctrina ac certaminibus exercitatum lectorem requirunt, nondum omnia commode et e uestigio pueris eruditis in Catechesi Lutheri tradi possunt.

Quamobrem ex Corpore Doctrinae, in quo nostrae Ecclesiae uere et recte statuunt repeti et explicari perpetuum consensum doctrinae Propheticae et Apostolicae, ac Symbolorum, hanc Epitomen, quantum fieri potuit, excerptam [2]) contexuimus, declarantem atque illustrantem concinnis definitionibus illa, quae in Catechesi Lutheri summatim indicata sunt: Nec tamen aut ad ea penetrantem controuersiarum momenta, quae alibi agitantur, aut nimis procul a praesenti scopo excurrentem. In hac cum utiliter post Lutheri Catechesin et ante Examinis Theologici enarrationem exerceri A 7 posse adolescentes existimemus, edendam [3]) censuimus.

Prolixitatem impedituram operas discentium et rudiorem aetatem remoraturam, quae nec obruenda est copia, nec turbanda uarietate, nec implicanda perplexitate rerum, consulto uitauimus, ne discentibus idem, quod Spartanis Samios legatos audientibus, accidat, ut postrema non intelligant, priorum obliuiscantur: τὰ μὲν πρῶτα λεχθέντα ἐπιλελῆσθαι, τὰ δ' ὕστατα οὐ συνιέναι. Oportet enim eorum, quae tenerae aetati traduntur, modum esse, ut memoria comprehendi et animis infigi possint. Locupletior tractatio alterius loci est et occasionis. Interdum tamen aliqua uberioris declarationis causa addidimus, quae ad altiora atque maiora accessuris uiam quandam praeparant. Sed ea typis exilioribus excudi curauimus, ut ab alijs, quae memoriae mandari necesse est, facilius discerni possent.

Fruantur sane his laboribus quicunque uolent: Sed res ipsas in hoc libello traditas, et loquendi formas, nec nostras nec nouas esse sciant. Ea enim recensuimus, quae nostrae Ecclesiae unanimi consensu, et constantia ac fide religiosa semper hucusque eodem modo sonuerunt. Quare si qui erunt boni et pij, et coniunctionis

[1]) Editio prima: recte alias explicatorum. — Wir übergehen alle Verschiedenheiten rein orthographischer Natur (es steht z. B. einmal Siracides, wo die andern Ausgaben Syracides haben, oder es wechseln adsit und assit miteinander ab, Paul. und Paulus etc.), alle offenbaren Druckfehler oder auch solche Differenzen, daß einmal die 1. Ausgabe Quum hat, wo alle die andern quia darbieten. Die so fehlerhaft gedruckte Ausgabe von 1571 (Rostock Fi 3058) ist nicht weiter berücksichtigt; im 5. Gebot fehlen die Definitionen von aequitas und humanitas völlig.

[2]) Edit. pr.: simplicissime excerptam. [3]) Ed. I.: edendam eam esse censuimus.

Ecclesiarum amantes, hi ut speramus, cum gratiarum actione his fruentur. Quos hortamur, ne recte tradita alienis et commenticijs interpretationibus deprauari aut
A 8. contaminari, neue peregrina assui permittant. Sed haec ut a Praeceptoribus nobis tradita sunt, recte intelligere adolescentes suae fidei commissos assuefaciant, et τὴν καλὴν παρακαταθήκην posteris conseruare integram et illibatam studeant, et Deum toto pectore precentur, ut repurgatae doctrinae lucem nobis incorruptam conseruet, ac reprimat conatus eorum, qui manifestae ueritati maliciose et petulanter, aut ueteratorie et fraudulenter illudunt. Te Fili Dei, Domine Iesu Christe, oramus, ut asseras et uindices gloriam tuam, et de doctrina, quam ex ore ac patefactione tua sonamus, testificeris posteritati, Sanes uulnera Ecclesiae, reprimas Sophistas, Sycophantas, Tyrannos, architectos artificiorum et consiliorum Sinoniorum, Tuearis consensum inter nos de ueritate tua, ut uno spiritu, una fide, uno ore te celebremus in hac uita et in omni aeternitate. Amen.

Witebergae Calendis Ianuarij, inchoantibus annum Christi Seruatoris M. D. LXXI.

Decanus, Senior, et Doctores Theologicae facultatis in Academia Witembergensi.

B 1.

CAPITA CATECHISMI.

Quaestio. Quid vocatur Catechesis, et vnde est appellatio? **Resp.** CATECHESIS est prima institutio, qua rudioribus summa doctrinae Christianae, certa methodo comprehensa traditur. Nomen est ἀπὸ τοῦ κατηχεῖν, quod significat, viua voce erudire, et ab auditoribus doctrinam reposcere.

Qu. Quae sunt praecipua capita Catechismi? Resp. Quinque: Decalogus, Symbolum Apostolicum, Oratio Dominica, Doctrina de Poenitentia, et Absolutione, Doctrina de Sacramentis.

DE DECALOGO.

[Bild.] Qu. Quid continet Decalogus, et vnde habet appellationem? Resp. DECALOGVS continet summam Legis moralis, et nomen habet a numero decem Praeceptorum. Sumpta est autem vox ex 10. capite Deuteronomij, vbi Dominus dicitur scripsisse decem verba, quae locutus erat de medio ignis, in monte Sina.

Qu. Quomodo diuiditur Decalogus? Resp. In duas tabulas: PRIOR tabula docet de cultibus, qui immediate Deo praestandi sunt.
B 2. POSTERIOR Tabula praecipit de officijs erga proximum. Vtriusque Tabulae summam et ordinem Christus complexus est Matthaei 22. Diliges Dominum DEVM — —. Secundum simile[1]) huic — — Lex consistit et Prophetae.

Qu. Quae praecepta pertinent ad primam Tabulam? Resp. Tria priora Praecepta: Quorum PRIMVM concionatur de agnitione DEI in mente, et de motibus seu affectibus in voluntate et corde erga Deum.[2]) SECVNDVM praecipit de illius agnitionis et affectuum profeßione, quae fit sermone. TERTIVM sancit totum ministerium, quo fit propagatio doctrinae coelestis, et cultuum externorum, quos Deus instituit.

Qu. Quae Praecepta referuntur ad secundam Tabulam? Resp. Septem sequentia Praecepta: Quorum hic est ordo. QVARTVM munit societatem communem generis humani, ad quam homo est conditus et gubernatores illius constituit. QVINTVM corpora et vitam singulorum hominum munit. SEXTVM tuetur coniugia. SEPTIMVM domos seu nidos singulorum munit, et res alias vitae necessarias.[3]) OCTAVVM defendit famam cuiusque, et iudicia ordinat, quae sunt nerui et executio iustitiae. NONVM et DECIMVM addunt declarationem, quod Lex Dei

[1]) Ed. I.: simile est huic. [2]) Ed. I.: erga Deum fehlt.
[3]) Ed. I.: ob res ad victum necessarias.

non tantum de externis operibus praecipitat, sed accuset et damnet etiam prauam concupiscentiam.

Qu. Qualis est forma enunciationis in singulis Praeceptis? Resp. Primum Praeceptum partim affirmatiuum, partim negatiuum est. Reliqua praecepta primae et secundae Tabulae sunt negatiua, excepto tertio et quarto Praecepto. Semper autem in negatiuis simul continetur sententia affirmatiua, et e contrario, In affirmatiuis simul continetur sententia negatiua.

Qu. Quae sunt in singulis Praeceptis consideranda? Resp. De omnibus Praeceptis haec quinque cogitanda sunt. I. Quae opera flagitentur. II. Quomodo fieri possint et placeant. III. Quae peccata prohibeantur. IV. Promissiones additae Legi. V. Comminationes. Ex his quaedam ad singula Praecepta pertinent. Aliqua vero ad vniuersam Legem referenda sunt. B 3.

DIC PRIMVM PRAECEPTVM. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te — — coram me.

Qu. Quid continet affirmatiua sententia huius Praecepti? Resp. Haec verba: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Aegypto, confirmant PRIMVM totius Legis authoritatem, monstrato Deo authore, DEINDE ostendunt, quis sit verus Deus, et quomodo agnoscendus sit. Nam appellatio IEHOVAE discernit Deum patefactum in Ecclesia ab omnibus commentitijs numinibus, et mentio eductionis ex Aegypto monet ingentibus miraculis verbum, quod a Deo traditum est Ecclesiae, confirmatum esse.

Qu. Recita definitionem DEI. Resp. DEVS[1]) est essentia spiritualis, intelligens, aeterna, alia a creaturis omnibus, verax, bona, iusta, casta, misericors, benefica, liberrima, immensae sapientiae et potentiae, irascens peccatis, Pater aeternus, qui Filium imaginem suam ab aeterno genuit, et Filius imago Patris coaeterna, et Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio, sicut patefacta est diuinitas, certo verbo et testimonijs diuinis, quod Pater aeternus cum Filio et Spiritu sancto condiderit et conseruet coelum et terram, et omnes creaturas, et adsit omnibus creaturis, quo ad conseruationem, et colligat sibi in genere humano Ecclesiam propter Filium, et per eum, et sit iudex iustorum et iniustorum.

Qu. Qui sunt modi, quibus agnoscitur Deus? Resp. Duo sunt modi. Verbum et Testimonia verbo addita.[2]) VERBI Dei partes sunt principales Lex et Euangelium. TESTIMONIA vero sunt omnia opera Dei, quae ad confirmandum verbum suum Deus omnibus temporibus in genere humano edidit. B 4.

Qu. Suntne diuersa doctrinarum genera Lex et Euangelium? Resp. Diligenter hae duae partes Verbi discernendae sunt, et tamen sciendum est, nunquam a se inuicem haec genera doctrinarum diuellenda esse. Ac vniuersaliter ex Euangelio sumendam esse Legis declarationem. Sic autem Lex et Euangelium differunt.

LEX Dei,[3]) quae nominatur Lex moralis, est sapientia aeterna et immota in Deo, et norma iusticiae in voluntate Dei, discernens bona et mala, quae est patefacta rationali creaturae in creatione, et postea saepe repetita et sancita voce diuina in Ecclesia, ostendens quod sit Deus, et qualis sit, et quod sit iudex, obligans omnes rationales creaturas, vt sint conformes illi normae Dei, et damnans omnes, ac de-

[1]) Ed. IV. am Rande: Definitio Dei arrosa a Vestphalis extat in libello Definitionum Philippi, Corpore doctrinae iuxta Lipsensem editionem in folio pag. 863.

[2]) Verbo addita fehlt in Ed. I.

[3]) Ed. I.: Lex est doctrina aliquo modo naturaliter nota, quae praecipit quales non esse oporteat, requirens integram obedientiam seu conformitatem cum Deo, et damnans ac destruens omnes non conformes. Alle andern Ausgaben von 1571 und 1572 haben aber die obige Definition.

nuncians horribilem destructionem omnibus, qui non congruunt ad illam normam Dei, nisi sit facta reconciliatio propter Mediatorem, iuxta dictum: Maledictus, qui non manet in omnibus, quae scripta sunt in Lege. Item in Psalmo: Non Deus volens peccatum tu es. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem etc.

EVANGELIVM [1]) est praedicatio poenitentiae, et promißio, quam non nouit ratio naturaliter, sed reuelata diuinitus, in qua Deus affirmat se gratis, non propter vlla nostra merita, aut dignitatem nostram, sed propter obedientiam Filij credentibus in Filium certo remittere peccata, et donare eis imputationem iusticiae et reconciliationem, in qua Filius Dei voce Euangelij consolatur et viuificat corda credentium, et liberat eos a morte aeterna, et facit eos templa Dei, dato Spiritu sancto, sanctificante eos et accendente tales motus, qualis est ipse Spiritus sanctus, et donat haereditatem vitae aeternae credentibus, quod propter ipsum gratis habeant remißionem peccatorum, imputationem iusticiae, reconciliationem, et haereditatem vitae aeternae.

Qu. Quae virtutes praecipiuntur in affirmatiua sententia primi Praecepti, iuxta declarationem Euangelij? Resp. Septem sunt maxime in-
B 5. signes et conspicuae virtutes primi Praecepti: 1. Vera noticia Dei. 2. Fides. 3. Dilectio. 4. Spes. 5. Timor Dei. 6. Humilitas. 7. Patientia.

Haec enumeratio rectißime sumitur ex verbis. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis Zelotes. Necesse est enim noticiam monstrantem quis sit verus Deus, omnibus affectibus voluntatis et cordis erga Deum praelucere. Quia ignoti nulla cupido. Hanc veram noticiam comitantur affectus in voluntate et corde. Quia enim initio proponitur dulcis et grata consolatio, non obscurum est postulari fidem, quae et hanc consolationem amplectitur, et omnibus partibus doctrinae a Deo traditae assentitur. Cum autem mens statuit comminationem Legis esse veram, oritur Timor Dei. Et quia cum fide coniuncta est laeticia, orta ex agnitione misericordiae, beneficiorum, et praesentiae Dei, existit in corde dilectio. Postea vt Fidei cognata est Spes: Sic Timori vicinae virtutes sunt, Humilitas et Patientia. Harum virtutum hae sunt descriptiones.

VERA NOTICIA DEI est, Deum sic agnoscere, sicut se patefecit, eundemque a commenticijs numinibus discernere, nec aliud de essentia Dei, aut de voluntate, aut de caeteris articulis fidei asseuerare, quam quod ipse tradidit in scriptis Propheticis et Apostolicis. — FIDES est noticia, qua firmo assensu amplectimur totam doctrinam, a Deo traditam Ecclesiae, et in hac etiam promißionem reconciliationis, quam apprehendentes accipimus remißionem peccatorum fiducia Filij Dei, et hac fiducia acquiescentes accedimus ad Deum, et nos recipi et exaudiri statuimus. — SPES [2]) est expectatio vitae aeternae propter Filium Dei certa, et expectatio auxilij et mitigationis calamitatum in hac vita iuxta consilium Dei. — DILECTIO DEI est subijcere se Deo, et facere mandata eius cum quadam laetitia, quae oritur a fide apprehendente misericordiam Dei propter Filium promissam. — TIMOR FILIALIS est expauescere agnitione irae Dei aduersus peccatum, et simul erigi fiducia misericordiae, ne in pauore deficiamus a Deo. — HVMILITAS est vere timere Deum: et agnoscere propriam infirmitatem, et tamen fide obedire vocationi, et expectare a Deo
B 6. auxilium et liberationem, nec appetere maiora quam pro vocatione, nec suis viribus tribuere euentus salutares, nec despicere alios, per quos Deus etiam vtiliora gerere potest. — PATIENTIA est obedire Deo in tolerandis aduersis, ita vt non faciamus aliquid contra mandata Dei, nec Deo irascamur, sed fide agnoscamus eum nobis propitium esse, et expectemus auxilium, mitigationem, aut liberationem, et hac fide et spe dolorem leniamus.

---

[1]) Ed. I.: Euangelium est ἐπιείκεια legis, id est, praedicatio poenitentiae, inuitans peccatores, ut agnito peccato conuertantur ad Deum, et est promissio, quae non est naturaliter nota, sed ex arcano consilio diuinitatis per Filium prolata, qua Deus remissionem peccatorum, reconciliationem et donationem Sp. scti et uitae aeternae propter obedientiam et mortem filij Mediatoris offert et exhibet omnibus, qui fide promissionem accipiunt. Alle andern Ausgaben von 1571 und 1572 haben aber die obige Definition. — Die 4. Ausgabe hat dazu die Randbemerkung: Definitio euangelij arrosa a Jenensibus Theologis extat in libello Definitionum Philippi, Corpore doctrinae fol. 865. alibi passim.

[2]) Nur in einer Ausgabe von 1571 findet sich die Ordnung fides, dilectio, spes, wie sie nach der vorausgegangenen Aufzählung zu erwarten wäre; schon die 1. Auflage hat die obige Ordnung.

Qu. Quae est negatiua sententia primi Praecepti? Resp. Negatiua sententia seu antithesis comprehensa est his verbis: Non habebis Deos alienos coram me. Sunt autem Dij alieni, non tantum commentitia Ethnicorum numina, sed omnia, quibus praeter verum Deum confidunt corda hominum. Itaque habere Deos alienos est creaturis tribuere ea, quae solius Dei sunt. vt cum rebus creatis confidimus, et in eis praesidia et salutem nostram collocamus, easque Deo anteferimus, id est, plus diligimus et timemus, quam Deum ipsum.

Qu. Quae sunt peccata pugnantia cum primo Praecepto? Resp. Quinque gradus maxime insignium peccatorum constitui possunt, quae horribiliter pugnant cum primo Praecepto. Primus gradus est EPICVRAEVS FVROR contemnens Deum, et Academica dubitatio de Deo. Secundus est IDOLATRIA, Cum aut fingitur aliquid esse Deus, quod non est Deus: Aut cum alligatur Deus ad aliquam rem, cui se non alligauit suo verbo: Aut cum tribuitur creaturae honos soli Deo competens: Aut cum excogitantur opiniones de Deo et cultus sine verbo Dei. Ad hunc gradum referatur et SVPERSTITIO, quae tribuit cuicunque rei aliquam vim sine ordinatione diuina, et sine causis naturalibus. — Tertius gradus est HAERESIS, id est, pertinax asseueratio alicuius dogmatis pugnantis cum fundamento, seu cum perspicuis praeceptis moralibus, aut articulis fidei. — Quartus gradus appellatur MAGIA, quae ad Diabolos transfert fiduciam Deo debitam, et cum ijs ex pacto societates iungit, et opem ab ipsis petit. — Quintus est HYPOCRISIS seu Simulatio pietatis sine timore Dei et fide. Ad hunc gradum pertinent Securitas, Superbia, Fiducia B 7. et admiratio sui, Impatientia, et Desperatio. Quae vitia proprie sunt opposita Timori Dei, et fiduciae auxilij diuini.

DIC II. PRAECEPTVM. Non assumes nomen Domini Dei tui — — uane usurpauerit.

Qu. Quid significat Nomen Dei, et quid est nomen Dei in vanum sumere? Resp. Nomen Dei est, quicquid ex reuelato verbo de Deo praedicatur. Nomen autem Dei in vanum sumere, significat irreuerenter vti nomine Dei, sine honore et veneratione debita.

Qu. Quae sunt virtutes secundi Praecepti? Resp. Quatuor sunt praecipuae virtutes, in quibus consistit uerus usus nominis diuini: Inuocatio Dei, Gratiarum actio, Confessio, et Iurisiurandi religio.

INVOCATIO DEI est virtus, quae a vero Deo patefacto in promißione Euangelij et misso Filio petit bona aeterna et praesentia, et repugnans dubitationi certo statuit, nos exaudiri, et bona impetrare iuxta ipsius promißiones propter Christum Mediatorem. — GRATIARVM ACTIO est testificatio animi, qua agnoscimus et profitemur quod non casu, non humanis praesidijs, sed a Deo seruati ac defensi simus: et quod vere nos respiciat, nobis adsit, et opituletur etiam tum, quando destituimur a causis secundis. — CONFESSIO est vere et constanter coram Deo et hominibus veram Euangelij doctrinam profiteri, neque abijcere eam propter terrores, odia, supplicia, aut alia quaecunque pericula. — IVRAMENTVM est asseueratio de re poßibili et licita, facta cum inuocatione Dei, quem [1]) petimus, vt sit testis dictorum, et puniat fallentem, et nos ipso teste ad poenam obligamus, quasi arguentes eum mendacij, si non puniat fallentem.

Qu. Quomodo cohaeret secundum Praeceptum cum primo? Resp. Prima Lex Decalogi praecipit cultum cordis interiorem. Cum autem cor, ardens luce B 8. et amore Dei, patefaciat motus interiores voce celebrante Deum: mox in secundo Praecepto dicitur de vsu sermonis, vt gubernetur lingua, quae exprimit et reuelat virtutes primi Praecepti.

[1]) Ed. I.: qua.

Qu. An non potest Inuocatio et Gratiarum actio fieri sine recitatione oris? Resp. Potest Inuocatio et Gratiarum actio fieri etiam cogitatione mentis. Sed tamen Deus expressam vocem postulat, tanquam confeßionem, qua Ecclesia priuatim et publice sese ab idolis seiungit: et se quisque erudit: et excitat ad ardorem in inuocatione: et hac tanquam Gorgone pellit Diabolum, qui nulla tela magis reformidat, quam preces piorum, et illam expressam de Deo testificationem.

Qu. Quae peccata pugnant cum secundo Praecepto? Resp. Omnes abusus nominis diuini, vt sunt sermones omnes, quibus peccata contra primum Praeceptum, abdite latentia in corde, in lucem proferuntur, vt verbi causa, Epicuraei, Stoici, et Academici furores, omnes falsae inuocationes, omnes corruptelae verae doctrinae, Magicae incantationes, omnia periuria, omnes blasphemiae. Praeterea neglectio inuocationis, ingratitudo aduersus Deum, Abiectio veritatis in Confessione aut iniustum silentium Denique praetextus gloriae et nominis Dei, quibus teguntur prauae cupiditates, vt multi praetexunt Euangelium priuatae ambitioni, auaritiae, odio et similibus morbis animi.

DIC III. PRAECEPTVM. Memento ut diem Sabbathi sanctifices.

Qu. Quid significat vox Sabbathi? Resp. Sabbathum significat Hebraeis quietem, a verbo שבת quieuit. Et cum eadem dictione congruunt duae priores literae vocis שבע, quae numerum septenarium significat.

Qu. Quot sunt species Sabbathi, quarum fit mentio in Scriptura? Resp. Quinque species Sabbathi sunt, de quibus sacrae literae concionantur.

C 1. Primum est SABBATHVM CREATIONIS: de quo dicitur, Gene. 2. Sex diebus fecit Deus coelum et terram, et requieuit die septimo, non quod postea desierit Deus adesse suo operi, quo ad sustentationem [1]) et conseruationem: Sed quia post hominem conditum cessauit Deus alias res condere. Non enim nouos mundos aut nouas Elementorum et animantium species creare deinceps voluit, vt ostenderet hominem esse extremum et summum opus, quo delectetur, ac in quo velit acquiescere.

Secundum SABBATHVM est PAEDAGOGICVM, videlicet Caeremonia externa ordinata ad diem certum, quo conceditur corporibus quies ab operis seruilibus, Sicut dicitur Deuteron. 5. Non facies in Sabbatho quidquam operis, tu et filius tuus — — sicut et tu.

Tertia species est SPIRITVALE SABBATHVM animae, de quo Lex Dei inprimis praecipit, quod est, deditum esse studio doctrinae coelestis, et quietem agere a peccatis seu malis operibus. De hoc Sabbato commonefactio erat externa quies corporum: Idque significant Leges toties repetitae de Sabbatho, vt in Exod. cap. 31. dicitur: Videte, vt Sabbathum meum custodiatis, quia signum est inter me et vos — —. Custodite Sabbathum. Sanctum est enim vobis, et pactum est sempiternum inter me et filios Israel signumque perpetuum.

Quarta species est admiranda QVIES FILII Dei in passione: De qua Paulus inquit: Exinaniuit se, factus Patri obediens vsque ad mortem crucis. Et Irenaeus lib. 3. dulciſsime inquit: Sicut homo erat, vt tentaretur: Sic et verbum erat, vt glorificaretur, requiescente quidem verbo, vt posset tentari, crucifigi et mori.

Quinta species est SABBATHVM AETERNVM, quod promittitur Ecclesiae resuscitatae ex morte, vt Esaiae vltimo. Erit Sabbathum ex Sabbatho, videlicet, cum Deus erit omnia in omnibus.

Qu. Quid significat verbum sanctificare? Resp. SANCTVM proC 2. prijßime loquendo tribuitur Deo, et rebus diuinis. Opponitur enim ei quod prophanum est. Ideo saepe significat aliquid dicatum Deo seu vsibus diuinis. Ita SANCTIFICARE vsurpatur de actionibus, quibus Deus se nobis communicat, et quibus nos viciſsim ornamus gloriam Dei. Est igitur SANCTIFICARE SABBATHVM, idem quod Deo et rebus diuinis destinare, quod fit docendo et

[1]) Ed. I. u. V. lesen: quod ad sustentationem.

discendo verbum Dei, et exercendis officijs, quibus ornatur et propagatur ministerium Euangelij.

Qu. Quomodo cohaeret tertium Praeceptum cum duobus praecedentibus? Resp. Sicut primum praeceptum de cultu cordis: Secundum de cultu oris praecipit: Ita tertium de cultu caerimoniarum, et reuerentia externa toti ministerio debita docet, et gradus docentium et discentium in Ecclesia constituit.

Qu. Quae sunt officia Docentium in Ecclesia? Resp. MINISTER Euangelij doceat pure et incorrupte Legem et Euangelium, et administret Sacramenta secundum Christi institutionem. Praeterea moribus honestis ornet Doctrinam, sicut prolixe Paulus vitam Episcopi describit ad Titum cap. 1. et 1. Timoth. 3.

Qu. Quae sunt Auditorum Euangelij officia? Resp. AVDITORES diligenter discant Euangelium, et pie vtantur Sacramentis: et libenter intersint publicis coetibus sacris: et agnoscant quantum bonum sit ministerium publicum: et pro hoc orent et Deo gratias agant: Praeterea ornent honesta vita professionem Euangelij, venerentur pios ministros, soluant eis debitas mercedes: Denique et obediant eis iuxta Euangelium.

Qu. Quae sunt peccata pugnantia cum tertio Praecepto? Resp. Pugnant cum tertio Praecepto omnia scandala, quibus corrumpitur doctrina, et prophanantur Sacramenta, et deformatur ministerium et Ecclesia. Item, C 3.
neglectio, contemptus et odium ministerij, videlicet, doctrinae et Sacramentorum, et personarum seruientium Ecclesiae persecutio. Item, ludi prophani, et labores seruiles, quibus impeditur ministerium. Denique helluationes et commessationes diebus festis, quibus turbatur intentio animi, et meditatio rerum diuinarum.

Qu. Cur mutato die septimo Christiani prima die celebrant Sabbathum? Resp. Iudaei mandato Dei celebrarunt Sabbathum die septimo, qui est dies Saturni, vt vulgo nominatur, propter memoriam creationis rerum omnium. Sed Apostoli et horum discipuli, propter memoriam resurrectionis Christi, et vt ostenderent exemplum Christianae libertatis, in abrogandis ceremonijs, pertinentibus ad politiam Mosaicam, elegerunt primam diem, quae vocatur Dominica, seu dies Solis, abolitis simul ritibus sacrificiorum, quae apud Iudaeos vsitata fuerunt.

DIC IV. PRAECEPTVM. Honora patrem tuum — — super terram.

Qu. Quid significat honor? Resp. Verus HONOR est comprobatio rei cuiuscunque tribuens ei praestantiam, et reuerenter se ei subijciens propter diuinum aliquod bonum. Est enim fundamentum honoris, bonum aliquod diuinum in re aut persona aliqua. Gradus vero honoris sunt: PRIMVM: Honesta opinio in mente de persona aut re, quod diuinitus ordinata, et per se bona sit. SECVNDO vera cordis subiectio, et officia externa, quibus ostendimus nos venerari ordinem diuinum.

Qu. Quid complectitur appellatio Patris et Matris? Resp. Parentum appellatione comprehenduntur, PRIMVM ij, a quibus ortum et originem secundum naturam ducimus: DEINDE omnes, qui nobis sunt loco parentum, et in nos imperium ex superiori potestate tenent, vt Praeceptores, C 4.
Magistratus, Patresfamilias, Tutores, Curatores etc. Bonus enim gubernator a bono patre non differt.

Qu. Cur quartum Praeceptum primum locum obtinet in secunda Tabula? Resp. Cum secunda Tabula ordinet societatem humanam: pulcherrimo ordine primum constituuntur gubernatores, et personae atque officia in communi societate apte distribuuntur. Et orditur vox diuina a primo gradu gubernationis, videlicet a parentibus, qui debent esse regula aliorum gubernatorum. Constitutis autem gubernatoribus, qui sunt custodes disciplinae communi societate, postea sequuntur Praecepta, quae arcent singulorum iniurias.

Qu. Quae sunt virtutes pertinentes ad quartum Praeceptum? Resp. Virtutes quarti Praecepti sunt: Pietas parentum et liberorum mutua. Iusticia vniuersalis in gubernatoribus, et in subditis: Iusticia coniugum inter sese: sedulitas.

Qu. Quae sunt officia parentum? Resp. Paulus ad Ephesios 6. insigne praeceptum tradit de officijs parentum: Educate liberos vestros, in doctrina et disciplina Domini. Vult igitur patresfamilias suae familiae praestare non solum nutritionem et defensionem: sed etiam communicationem doctrinae de Deo, et assuefactionem ad exercitia honestae gubernationis vitae et morum.

Qu. Quae sunt officia Gubernatorum? Resp. Magistratus debet esse custos totius Legis, quod ad externam disciplinam attinet. PRIMVM igitur debet sonare vocem Legis moralis in genere humano, et proponere summas et immutabiles Leges prohibentes idola, blasphemias, periuria, iniustas caedes, vagas libidines, furta et fraudes in contractibus et iudicijs. SECVNDO suas quasdam Leges ferre potest, non pugnantes cum iure naturae, quae sint et probabiles et vtiles ad conseruandum statum Reipublicae. TERTIO sit Magistratus executor diuinarum et suarum Legum in puniendis violatoribus. QVARTO defendat obedientes contra iniurias improborum iuxta Pauli dictum: Sit timori malo operi, et honori bono operi.

C 5. Qu. Quae sunt officia Liberorum erga Parentes, et Subditorum erga Magistratus? Resp. Syracides capite tertio inquit: Honora parentes sermone, opere, et patientia. Primum vult liberos agnoscere ordinem diuinum, et reuerenter sentire et loqui de parentibus. Deinde veram cordis subiectionem requirit, quae in externis officijs praestet obedientiam sine contumacia. Postremo postulat ἐπιείκειαν seu aequitatem in tolerandis Parentum infirmitatibus. — Eadem debent subditi et Magistratibus, Primum, vt agnoscant ordinem politicum esse opus Dei, et sciant Magistratus maximorum bonorum custodes esse in genere humano, et personas diligendas esse propter Deum. Deinde vt praestent obedientiam legibus Magistratuum, et non solum precentur pro gubernatoribus, sed etiam stipendia debita non grauatim persoluant. Postremo, vt tolerent quasdam infirmitates gubernatorum: Quia nulla est tam felix gubernatio, in qua non multa errata accidant.

Qu. Quae sunt officia Coniugum inter sese? Resp. Primum est amor mutuus. Alterum est fides Coniugalis. Tertium est societas bonorum et aerumnarum. Quartum est defensio, quam maritus debet vxori.

Qu. Quid a singulis hominibus praestari debet in vocatione? Resp. Cum Deus neminem velit ignauo ocio torpere et singulos in certam vocationem collocet, necessaria est virtus omnibus sedulitas, de qua Paulus inquit: Hoc requiritur in ministro, vt sit fidelis, hoc est, Singuli homines constanter et firmiter debent propter Deum et communem salutem facere labores vocationi propriae conuenientes.

Qu. Quae sunt peccata pugnantia contra quartum Praeceptum? Resp. In parentibus et gubernatoribus Tyrannis et Indulgentia. In liberis et subditis ἀστοργία, Contumacia, Seditio, Seruitus impia. In vocatione cuiusque: Ignauia et Curiositas.

C 6. Qu. Quid significat Longaeuitas, quam Deus promittit obtemperantibus huic Praecepto? Resp. Non tantum referenda est longaeuitas ad aetatis et annorum numerum, seu ad longum spacium vitae, sed ad omne genus prosperitatis, quod ad felicem et tranquillam vitam pertinet, Vt

sunt sanitas, vxor, liberi, familia, commodae functiones, pax, bene constituta Respublica, bonae leges, Oeconomia felix. Denique omnia praesidia salutaria, sine quibus nihil voluptatis aut laetitiae haec vita corporalis habet.

DIC V. PRAECEPTVM. Non occides.

Qu. Quae sunt virtutes quinti Praecepti? Resp. Pertinent ad quintum Praeceptum multae virtutes, Fortitudo, Mansuetudo, Aequitas, Misericordia, Amicitia, Humanitas, Clementia, Zelus, studium Concordiae.

FORTITVDO est propugnatrix iusticiae, videlicet depellens pericula, quae recta ratio iubet depellere, et ita perferens aerumnas, quas recta ratio iubet perferre, ne fracti dolore faciamus contra iustitiam aut alias virtutes. — MANSVETVDO est virtus, quae moderatur iram, et multas iniurias condonat tranquillitati publicae. — AEQVITAS seu ἐπιείκεια est probabilis mitigatio summi iuris in aliqua circumstantia, praesertim in eo casu, de quo non loquitur Lex principaliter. Inter priuatos vero aequitas nominatur etiam lenitas illa, quae versatur in tolerandis aliorum infirmitatibus, et in tegendis erratis, imo etiam in sanandis manifestis delictis ante contumaciam. — MISERICORDIA est affici sensu alienae calamitatis, praesertim iniustae, et opitulari iniuste oppreßis, pro vocatione aut probabili ratione mitigare iustam calamitatem. — AMICITIA est virtus pro vera beneuolentia reddens veram beneuolentiam, et praestans mutua quaedam officia pro modo facultatum liberali pectore virtutis causa. — HVMANITAS est copulatio multarum virtutum secundae Tabulae, videlicet, iusticiae, mansuetudinis, aequitatis, beneficientiae, comitatis, et aliarum, in quibus summa est suauitas ac moderatio. — CLEMENTIA est benefacere bonis, eosque discernere a malis, et moderari poenas illorum, qui sunt sanabiles. — ZELVS est ardens amor iusticiae et aliarum virtutum, et indignatio ardens aduersus omnem turpitudinem et scelera. — STVDIVM CONCORDIAE est iusticia diligenter cauens, ne pugnet de vlla re non valde necessaria, ne Ecclesia distrahatur, aut turbetur inuocatio, et sequantur bella et vastationes. C 7 20

Qu. Quae prohibentur in hoc Praecepto? Resp. Christus Matthaei quinto quatuor gradus recenset pugnantes cum hoc Praecepto. Primus gradus est violentia. Secundus est ira iniusta. Tertius est Gestus ostendens maleuolentiam, Raka. Quartus est contemptus proximi, Fatuus.

Qu. Estne omnis ira peccatum? Item, Estne omnis vindicta prohibita? Resp. Quintum Praeceptum prohibet iracundiam iniustam, quae temere irascitur proximo, et damnat cupiditatem priuatae vindictae. Non autem prohibet iram vocationis, quae irascitur vitijs, nec abolet officium Magistratus, qui exercet vindictam in puniendis delictis congruentem cum mandato Dei, et necessariam ad conseruationem societatis humanae.

DIC VI. PRAECEPTVM. Non moechaberis.

Qu. Quae sunt virtutes sexti Praecepti? Resp. Duae virtutes sunt sexti Praecepti: Castitas et Temperantia. Castitas non tantum in Coniugio, sed etiam in vita coelibe vitat omnes libidines seu contaminationes corporum prohibitas. Temperantia seruat mediocritatem in cibo et potu conuenientem naturae, et non impedientem exercitia inuocationis et aliarum virtutum.

Qu. Quae sunt peccata prohibita in sexto Praecepto? Resp. Non modo adulteria, stupra, incoesti concubitus, sed etiam spurcae et impudicae cogitationes, obscoeni sermones, lasciui gestus, denique omnes illicitae flammae libidinum. Item, ebrietas, crapula, helluationes, intemperantia, Quaerere occasiones et illecebras, quibus accenduntur et fouentur foeda animorum incendia. C 8.

DIC VII. PRAECEPTVM. Non furtum facies.

Qu. Quid nominatur furtum in genere? Resp. Furtum est contrectatio rei alienae, quae fit inuito Domino sine compensatione.

Qu. Quae sunt virtutes huius Praecepti? Resp. Sicut Sextum Praeceptum Coniugia sancit, Ita septimum approbat contractus legitimos, dominia distinguit, proprietatem rerum ordinat, et rectum vsum facultatum praecipit.

Sunt igitur virtutes septimi Praecepti, Iustitia commutatiua, Liberalitas, Parsimonia, Gratitudo.

IVSTICIA COMMVTATIVA est, quae in commutatione rerum seruat aequalitatem, ne altera pars exhauriatur. — LIBERALITAS est virtus, quae communicat facultates et operas non debitas obligatione ciuili, sed naturali, et efficit mediocritatem inter sordes et profusiones. — PARSIMONIA est virtus, quae res proprias custodit et vtiliter collocat, vitat sumptus non necessarios, et tamen vbi ratio iubet, expendit quantum conuenit. — GRATITVDO est virtus mixta. Constat enim partim ex veritate, quae profitetur, quae et quanta beneficia acceperit, partim ex iusticia, quae studet reddere aequalitatem pro facultate suo benefactori.

Qu. Quae peccata prohibentur in septimo Praecepto? Resp. Non tantum manifesta furta et rapinae, fraudes et imposturae in contractibus: sed etiam auaritia, cupiditas iniusti lucri, Item profusiones et sumptus non necessarij. Tenacitas in communicandis bonis. Ingratitudo erga bene meritos.

D 1. **DIC VIII. PRAECEPTVM.** Non loqueris — — proximum tuum.

Qu. Quid nominatur falsum testimonium? Resp. Falsum testimonium est Oratio, qua aliter loquimur, quam habet veritas, et quam nos nouimus et sentimus, Idque in proximi nostri damnum ac perniciem.

Qu. Quas virtutes praecipit Octauum Praeceptum? Resp. Octaui Praecepti virtutes sunt: Veritas, Candor, Docilitas, recta Appetitio gloriae, Modestia. Est et vicina virtus verecundia seu pudor, qui cum omnes homines, tum in primis aetatem puerilem decet.

VERITAS est virtus, quae inclinat voluntatem, vt veras sententias amemus, vera constanter dicamus, et tueamur, et in gestu ac omni vita vitemus simulationes et occultationes. — CANDOR est virtus vicina veritati, quae propter rationem probabilem approbat alienas voluntates, et non habet maleuolentiam, quaedam etiam ambigua flectit in meliorem partem: ac bene quidem sperat, sed tamen vt de rebus mutabilibus cogitans posse mutari voluntates, et posse hominem errare de aliena voluntate, cum non penitus aspiciantur latebrae humani pectoris. — DOCILITAS est virtus, vicina modestiae et veritati, qua frenantur animi, ne sentiant de sese arroganter, ne admiratione propriae sapientiae contemnant aliena iudicia, et conuicti veris sententijs cedant. — GLORIA est testimonium conscientiae recte iudicantis, et approbatio aliorum recte iudicantium de virtute. — MODESTIA est virtus, qua in opinione de nobis et in sermone et gestu, seruamus conuenientiam, videlicet, ne nobis in opinione aut in sermone maiora imbecillitate nostra tribuamus, neue appetamus maiora, neue in gestu discedamus a natura et personarum[1]) ac locorum ordine.

Qu. Quae peccata prohibet? Resp. Pugnant cum octauo Praecepto, Mendacium, Calumnia, Suspicio, Adulatio, Pertinacia in falsis sententijs, Praestigiae sophismatum, in religione, in artibus et iudicijs, Maledicentia, Scurrilitas, Obtrectatio, Leuitas, Violatio pactorum et foederum, Ambitio, Impudentia. D 2.

Qu. Estne omnis occultatio peccatum? Resp. Duplex est occultatio. Alia insidiosa, quae studio nocendi oritur. Alia officiosa, quae est figura sermonis, qua aliquando sancti et sapientes cum magna laude vtuntur, ad tegenda quaedam, quae non necesse est patefieri. Vetustas sic distinxit: Mendacium dixit aliud esse Perniciosum, aliud Officiosum, aliud Jocosum.

DIC IX. PRAECEPTVM. Non concupisces domum proximi tui.

DIC DECIMVM PRAECEPTVM. Nec desiderabis uxorem proximi tui — — non asinum, nec omnia, quae illius sunt.

Qu. Cur adduntur haec duo Praecepta? Resp. Postrema duo Praecepta sunt interpretatio praecedentium mandatorum, et monstrant

[1]) Ed. I.: personae.

discrimen inter leges politicas, et legem Dei. Nam leges politicae sunt qualecunque frenum, quo externa disciplina regitur, et tantum accusant externa delicta atrocia, vt verbi causa, seditiones, caedes, adulteria, furta, mendacia. At lex Dei requirit interiorem mundiciem, et integram conformitatem: et accusat non tantum externa delicta, sed etiam defectus et prauas inclinationes in corde. Ideo Paulus inquit: Non nouissem, quod concupiscentia sit peccatum, nisi Lex dixisset: Non concupisces. Sic et Christus inquit Matth. 6. Qui vidit alterius vxorem ad concupiscendum eam, iam moechatus est in corde suo.

Qu. Quid vocatur concupiscentia in doctrina Ecclesiae? Resp. Concupiscentia, phrasi recepta in Ecclesia, significat horrendam deprauationem et *ἀταξίαν* omnium virium in natura hominis post lapsum. D 3. Vt in mente est caligo, et dubitationes. In voluntate auersio a Deo, esse sine timore, sine fide, et dilectione Dei: In corde contumacia, immundicies, prauae inclinationes, e quibus oriuntur incendia malorum affectuum, inuidentia, iniustae flammae irarum, libidinum, auariciae, mendaciorum.

Qu. Quis vocatur Proximus? Resp. Proximus est quilibet homo, siue bene, siue male meritus sit de nobis, Item, siue peregrinus sit, siue domesticus, vt parabola de Samaritano ostendit.

Qu. Quae sunt promißiones et comminationes additae Decalogo? Resp. Summa promiſsionum et comminationum legalium addita est primo praecepto, Exodi 20. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes — — custodiunt praecepta mea. Sic Leuit. 17. generalis promiſsio traditur: Qui fecerit haec, viuet in eis. Generalis vero comminatio pertinens ad omnia praecepta est, Deut. 27. Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in lege.

Postea speciales tum promißiones, tum comminationes de singulis Praeceptis multae paßim extant, vt 1. Reg. 2. Glorificantes me glorificabo, contemnentes me erunt ignobiles. Ierem. 17. Si Sabbathum sanctificabitis, Reges et Principes intrabunt per has portas. Alioqui succendam ignem in portis, qui non delebitur. — Prouerb. 30. Oculum qui subsannat patrem, effodient corui torrentis. — Gene. 9. Qui fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis eius. — Hebr. 13. Scortatores et adulteros iudicabit Deus. — Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt, Matth. 5. — Luc. 6. Qua mensura mensi fueritis, eadem reddetur vobis. — Prouerb. 22. Qui iniuriam facit pauperi, egebit. — Prouerb. 12. Abominatio Deo sunt labia mendacia.

Qu. An non Lex Mosi est abrogata, iuxta dictum: Lex et Prophetae vsque ad Iohannem? Discernendae sunt partes Legis Mosaicae: Alia est Lex Moralis, cuius summa est comprehensa in Decalogo, Haec non potest aboleri, et manet aeterna et immota obligatio ad obedientiam, in omnibus hominibus. Aliae vero sunt Leges forenses et caerimoniales, quae fuerunt latae, vt durarent ad certum tempus, donec mansura erat politia Mosaica: Quare deleta politia Mosaica hae Leges simul sunt abolitae, et prorsus sunt extinctae, nisi in quantum aliquae ex his habent aliquid morale aut naturale. D 4.

Qu. Quis est ergo vsus Decalogi, cum non poßit aboleri? Resp. Triplex est vsus. Primus est POLITICVS seu PAEDAGOGICVS, videlicet regere disciplinam in omnibus hominibus etiam non renatis et Ethnicis. Secundus vsus est SPIRITVALIS, videlicet accusare omnia peccata in hominibus, interiora et exteriora, et totam deprauationem. Tertius vsus est, in renatis docere, qui CVLTVS placeant Deo.

Qu. Potest ne haec infirma natura hominum satisfacere legi? Resp. Si non fuisset Adam lapsus, fulsisset in tota hominis natura conformitas cum lege Dei. Nunc vero postquam deprauata est natura

hominum per peccatum, nequaquam homo potest satisfacere lege Dei. Ideo Paulus inquit Rom. 3. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Item, Omnes peccauerunt, et carent gloria Dei.

Qu. Estne Disciplina poßibilis? Resp. Nominatur DISCIPLINA gubernatio locomotiuae, id est, externorum gestuum et est obedientia externa, iuxta mandata Dei, ita ne externa membra committant delicta prohibita lege Dei. Estque poſsibilis hominibus etiam non renatis, sed
D 5. non meretur remiſsionem peccatorum, nec est iusticia coram Deo, nec est impletio legis.

Qu. Cur necessaria est Disciplina? Resp. Propter quatuor causas,[1]) PRIMA est: Neceſsitas obtemperandi mandato diuino. SECVNDA: Neceſsitas vitandi poenas atroces. TERTIA: Neceſsitas non turbandi alios. QVARTA: vt disciplina sit paedagogia in Christum.

Qu. Quomodo in renatis inchoantur opera praecepta in lege: et placet ne inchoata obedientia Deo? Resp. PRIMVM fide agnoscendus est Mediator, propter quem persona fit accepta Deo. POSTEA accepto Spiritu sancto inchoatur obedientia congruens cum lege DEI, et haec quanquam imperfecta est, tamen placet Deo in persona reconciliata propter Filium Mediatorem, per fidem.

Qu. Quomodo interpretatur Euangelium comminationes et promißiones legales? Resp. AEternae maledictioni legis Euangelium opponit praedicationem poenitentiae et promißionem vniuersalem et gratuitam de Remißione peccatorum, et de acceptatione coram Deo ad vitam aeternam, propter Filium Dei Mediatorem. II. Sic et comminationes poenarum corporalium legi additae habent exceptionem ex Euangelio de conuersione, qua impetratur aut liberatio aut mitigatio poenarum corporalium. III. Omnes promißiones legales etiamsi additam habent in lege conditionem integrae obedientiae, quae in hac vita a nemine praestari potest: Tamen fiunt ratae et firmae credentibus in filium Mediatorem, iuxta Pauli dictum: In Christo omnes promißiones sunt Amen. IV. Promißiones bonorum corporalium intelligendae sunt cum exceptione crucis et castigationis, et ne bona corporalia rapiantur nostris consilijs sine vocatione.

Qu. Quid est peccatum? Resp. PECCATVM est, quicquid est contra Legem Dei. Vel: PECCATVM est defectus, vel inclinatio,
D 6. vel actio contra Legem Dei, offendens Deum, et commerens iram aeternam, nisi fiat remiſsio propter filium Mediatorem.

Qu. Quae est prima diuisio peccati? Resp. Peccatum aliud nominatur ORIGINALE, aliud ACTVALE.

Qu. Quid est peccatum Originale? Resp. Peccatum ORIGINALE est reatus propter Adae lapsum, et propter priuationem lucis diuinae, et firmae agnitionis Dei in mentibus hominum, et propter contumaciam cordis, quae mala secuta sunt lapsum Adae in natura hominum, et sunt inimicitiae aduersus Deum, et damnata a Deo.

Qu. Quid est peccatum Actuale? Resp. Peccatum ACTVALE est omnis actio pugnans cum Lege, tum in mente, vt dubitationes de Deo, tum in voluntate et corde, vt incendia malorum affectuum, tum in membris externis, vt externae actiones pugnantes cum lege Dei.

---

[1]) Ausg. von 1572 a. R.: Causae, propter quas disciplina praestanda sit, arrosae a Jenensibus extant in Examine Theologico, titulo de Justificatione, Corpore Doctrinae pag. 766. et alibi passim.

Qu. Quae est secunda diuisio Peccati? Resp. Secunda diuisio peccati tantum ad renatos pertinet. Nam in non renatis omnia peccata originalia et actualia sunt mortalia, sed in renatis alia peccata sunt MORTALIA seu REGNANTIA, Alia VENIALIA seu non REGNANTIA. Peccatum MORTALE in renatis est, cum is qui fuerat renatus, assentitur errori in fundamento, aut labitur contra conscientiam, Tunc enim amittit gratiam, Spiritum sanctum et Fidem. Peccatum NON REGNANS quod nominatur VENIALE, est in renatis in hac vita malum originis, et dubitationes, et incendia malorum affectuum, quibus tamen repugnant renati, ne ruant contra conscientiam, et dolent propter has sordes, et credunt se propter Mediatorem Deo placere, tegi has sordes, et gratiam D 7 exuberare supra peccatum.

Qu. REGVLAE duae de Decalogo. Resp. I. Semper prima tabula anteferenda est secundae tabulae. Quia primus est ordo hominis ad Deum conditorem, et gloria Dei anteferenda est omnibus rebus humanis. II. Primum praeceptum includendum est caeteris omnibus. Nam propter Deum praestanda est obedientia in omnibus praeceptis. Et contra. In violatione vniuscuiusque Praecepti inest contemptus Dei in primo Praecepto.

Qu. Cur aßidue meditandus est Decalogus? Resp. Meditatio Decalogi necessaria est propter hos fines praecipuos: I. Vt moneat nos de Deo, quod sit, et qualis sit. II. Vt doceat ad quid condita sit natura humana, et qualis ante lapsum homo fuerit. III. Vt sit norma rectrix vitae. IV. Vt sit speculum peccati. V. Vt quaeramus Mediatorem, qui pro nobis implet legem. VI. Vt petamus in nobis restitui conformitatem cum lege.

DE SYMBOLO APOSTOLICO
SEV DE SECVNDA PARTE CATECHISMI.

Qu. Quid continetur in Symbolo? Resp. SYMBOLVM est SVMMARIA quaedam comprehensio articulorum fidei Christianae, cuius profeſsione, et vero intellectu, distinguitur Ecclesia ab omnibus alijs Sectis, D 8. quae sunt a religione Christiana alienae.

Qu. Vnde est appellatio Symboli? Resp. Symbolum dicitur *ἀπὸ τοῦ συμβάλλειν*. Ac proprie significat signum seu tesseram militarem, quam duces militibus dare solent, vnde ab hostibus discernantur.

Qu. Cur nominatur hoc Symbolum Apostolicum? Resp. Quia vel ab Apostolis compositum, et quasi per manus traditum est Ecclesiae, vt vetustas semper existimauit: vel quia Apostolica doctrina tanquam fundamento firmiſsimo nititur.

Qu. Cur quotidie facienda est recitatio Symboli? Resp. Symbolum Apostolicum propter quinque causas grauißimas quotidie recitandum est.

I. Quia est commonefactio de praecipuis Dei operibus ac beneficijs. II. Quia in hac recitatione, si mens est pia, fit applicatio beneficiorum filij Dei. III. Quia dulcis consolatio est in summis periculis. IV. Quia confeßio est contra Diabolos. V. Quia assuefacit nos, vt cogitemus doctrinae testimonia, videlicet patefactiones Dei, et miracula.

Qu. In quot articulos vsitate distribuitur Symbolum? Resp. In tres. Primus de creatione. Secundus de redemptione. Tertius de sanctificatione. [Bild.]

E 1. **RECITA I. ARTICVLVM.** Credo in Deum: Patrem, Omnipotentem, Creatorem coeli et terrae.

Qu. Cur dicis: CREDO IN DEVM? Resp. Hac forma verborum primum discernitur fides a notitia intuitiua, quae res subiectas oculis contemplatur. Est enim FIDES certitudo non apparentium. DEINDE refutatur dubitatio Academica, quae nullam certam assensionem de Deo retinet. Nam vox credenti πληροφορίαν significat. Tertio, Quia praepositio εἰς θεὸν additur, significatur discrimen inter fidem historicam, et fidem Christianam. Fides historica est tantum nosse historiam. Fides autem Christiana est notitia, et assensio in mente, et fiducia in voluntate et corde. QVARTO, Hac voce CREDO, quam vnusquisque recitat, discernitur fides specialis seu propria a fide generali. Fit enim applicatio ad singulos. QVINTO, Reijciuntur hac verborum forma omnia idola, quae sunt nihil. 1. Corin. 8. et fit testificatio, nos omnem fiduciam collocare in Deum nobis patefactum in ipsius verbo nobis ad credendum proposito. Nam fides habet se correlatiue ad verbum, seu ad promißionem.

Qu. Estne vnus Deus, An vero sunt plures Dij? Resp. VNVS est tantum DEVS, iuxta dictum Deut. 6. Audi Israel, Iehoua Deus noster Iehoua unus est. 1. Corinth. 8. Scimus, quod non sit nisi Deus unus.

Qu. Pertinet ne appellatio Dei tantum ad personam Patris? Resp. DEVS est nomen ESSENTIAE, commune tribus personis: Patri, Filio, et Spiritui sancto. Ideo Ecclesia ordinem articulorum sic cohaerere semper docuit: vt post haec verba: Credo in Deum, vel, vt in Symbolo Niceno dicitur, Credo in vnum Deum: vsurpauerit distinctionem, cui mox enumeratione subijciatur explicatio personarum, vt constet, quis sit ille Deus, in quem credimus, videlicet, Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Ac falsa est interpretatio Fanaticorum, qui per sophisticam fallaciam Compositionis ac Diuisionis hanc vocem (DEVM) ad solum Patrem restringunt, excluso a diuina essentia Filio et Spiritu sancto.

E 2. Qu. Dic testimonium Scripturae, quod tres sint personae Diuinitatis, non plures nec pauciores. Resp. Matth. 3. Pater aeternus sonat hanc vocem, qua discernit personam suam a persona Filij: Hic est Filius meus dilectus, Filius stans in Iordane conspicitur. Spiritus sanctus specie visibili columbae demittitur. Et in institutione Baptismi nostri inquit Christus: Baptizate omnes gentes in NOMINE Patris et Filij, et Spiritus sancti.

Qu. Quomodo discernuntur personae Diuinitatis? Resp. Non tantum appellationes seu nomina differunt, sed realiter ac distinctis proprietatibus discernuntur tria ὑφιστάμενα in vna eademque diuina essentia. PROPRIETATES sunt duplices. Aliae INTERNAE. Aliae EXTERNAE. INTERNAE sunt Gignere, Nasci, Procedere. Nam Pater est persona gignens Filium imaginem suam: Filius est integra et substantialis imago Patris, genita a Patre: Spiritus sanctus est amor et laetitia substantialis et coaeterna inter Patrem et Filium, procedens a Patre et Filio. EXTERNAE PROPRIETATES sunt, quae sumuntur a beneficijs erga Ecclesiam, vt PATER non mittitur. FILIVS mittitur, vt patefaciat Euangelium, et assumat naturam humanam, et sit Mediator, Redemptor, Iustificator, et Saluator, SPIRITVS SANCTVS mittitur in corda credentium, vt tales motus, amorem et laeticiam in eis accendat, qualis est ipse.

Qu. Quae sunt cogitanda de creatione? Resp. Quinque circumstantiae considerandae sunt de creatione. Prima est, quod creatio sit

COMMVNE OPVS, aeterni Patris, Filij, et Spiritus sancti. Vt Psalmo 33. dicitur: Verbo Domini coeli creati sunt, et Spiritu oris eius (non quidem creato, sed creante) omnis exercitus eorum. Secunda,[1]) quod omnes res creatae visibiles et inuisibiles conditae sunt EX NIHILO, vt Ioh. 1. Omnia per ipsum facta E 3. sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. Item, Psal. 33. Ipse dixit et factum est, Ipse mandauit et stetit. Tertia circumstantia est, quod Deus LIBERE et VOLENS, tunc, cum voluit, condidit mundum. Cum quidem ante mundum esset ab aeterno, Sicut Moses inquit: In principio creauit Deus coelum et terram, significans iam tum eum fuisse ab aeterno, cum mundo ortum atque originem dedit. Quarta, quod vere sit PROVIDENTIA Dei. Quia Deus non discessit a suo opere, et adest vniuersae creaturae. Seruat rerum substantias, gubernat motus coelestes, vices tempestatum, foecunditatem terrae, generationem animantium. Denique fouet et sustentat totam naturam, maxime vero Ecclesiam alit et defendit, vt Act. 17. dicitur. In ipso viuimus, mouemur et sumus. Et 1. Timoth. 4. Speramus in Deo viuo, qui est seruator omnium hominum, maxime fidelium. Quinta, quod NON sit ALLIGATVS ad causas secundas. Sed sua omnipotentia et libertate propter salutem Ecclesiae, aut ad puniendos impios, moderetur causas secundas, aut mutet, aut impediat, vt Psal. 114. inquit: Deus noster in coelo, omnia quaecunque voluit, fecit. Et Luc. 1. Omnia apud Deum sunt poßibilia.

Qu. Cur Deus condidit naturam? Resp. Deus condidit hoc pulchrum opificium, vt se patefaceret: vt testimonia de se ostenderet: vt bonitatem suam impertiret multis: vt ex humano genere condito ad suam imaginem colligeret sibi Ecclesiam, cui lucem, sapientiam et laeticiam suam communicaret, et ab ea agnoscerentur, et celebraretur in omni aeternitate.

Qu. Quare Creatio tribuitur Patri, cum sit opus commune Diuinitatis? Resp. PRIMVM ideo hoc fit, quia caeterae personae alias habent notas incurrentes in oculos, per quas agnosci possunt, vt Filius assumpsit naturam humanam, Spiritus sanctus apparet die Pentecostes specie flammarum. Tribuitur ergo creatio Patri, tanquam signum et nota monstrans Patrem. Deinde etsi per Filium omnia facta sunt, et Spiritus sanctus fouet omnes creaturas: tamen vt Pater est fons diuinitatis, sic voluntate Patris omnia extiterunt. Monstratur ergo ordo creationis, qui talis est: Pater vult creationem et totum ordinem rerum: Hanc voluntatem exprimit per verbum, quo dicente res fiunt, et ordine distinguuntur, et Spiritu sancto simul creante, fouentur res.

Adultiores Basilij dictum considerent in libro de Spiritu sancto cap. 18: *προκαταρκτικὴ αἰτία τῶν γενομένων ὁ πατήρ. Δημιουργικὴ ὁ υἱός. Τελειωτικὴ τὸ πνεῦμα.* E 4.

RECITA II. ARTICVLVM. [Bild.] Et in Iesum Christum, Filium eius unicum — — uenturus est iudicare uiuos et mortuos.

Qu. Quae continentur in hoc Articulo? Resp. Duo praecipue: PRIMVM descriptio personae Christi, ALTERVM beneficia seu opera pertinentia ad officium huius redemptoris. Ea vero in triplici sunt discrimine: Alia sunt PRAETERITA: vt Incarnatio, Paßio, Mors, Sepultura, Descensus ad inferos, Resurrectio, Ascensio ad coelos: Alia PRAESENTIA, vt Seßio ad dexteram Patris, Alia FVTVRA, vt Reditus ad vniuersale iudicium.

Qu. In quibus consistit vera agnitio Christi? Resp. In duobus. In agnitione PERSONAE, et in agnitione OFFICII. De vtroque inquit Esaias cap. 53. Noticia serui mei iusti iustificabit multos.

Qu. Quae est persona Christi? Resp. Vna est PERSONA Christi, sed NATVRAE sunt duae: Diuina et Humana. DIVINA *λόγος* nominatur, quae vere ab aeterno persona est distincta a Patre, et tamen

[1]) Ausg. v. 1572 a. R.: Haec circumstantia arrosa a Jenensibus Theologis extat in Examine Theologico, titulo de Deo. Corp. doct. pagina 752. Item in explicatione Symboli Niceni. Tomo operum Philippi 2. fol. 231. et 232 et alibi passim.

E 5. eiusdem essentiae (ὁμοούσιος) cum Patre. Sed HVMANA natura certo tempore assumpta est ex matre Maria virgine.

Qu. Dic testimonium de persona Christi. Resp. In primis notum fit exordium Euangelij Iohannis, quod Euangelista ideo sic scripsit, vt in illustri loco extaret testimonium de hoc articulo. Sic igitur inquit: In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et verbum erat Deus, Hoc erat in principio apud Deum. Et postea: In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, Et verbum caro factum est, Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre.

Qu. Quomodo copulatae sunt naturae duae in Christo? Resp. Ecclesia nominat VNIONEM PERSONALEM, quae non est transmutatio nec confusio naturarum, aut proprietatum inter sese, sed copulatio vere ineffabilis, qua secunda persona diuinitatis massam certam ex genere humano in vtero virginis a Spiritu sancto sanctificatam assumit, et sibi copulat, non solum inseparabiliter, sed etiam secundum hypostasin, videlicet, vt vna in Christo persona sit ac maneat, ipsius nimirum verbi propria, quae humanam naturam assumptam gestet, sustentet ac foueat.[1])

Qu. Quod est officium Christi? Resp. Commodiſsime his quatuor appellationibus exprimitur officium: Christus est Mediator, Redemptor, Iustificator et Saluator.

MEDIATOR est respectu perpetuae interceßionis, qua et initio deprecatus est pro genere humano post lapsum, et se ad poenam sustinendam obligauit, et adhuc pro Ecclesia aßidue interpellat. — REDEMPTOR dicitur respectu satisfactionis, qua λύτρα seu precium aequiualens aeterno Patri pro peccatis generis humani persoluit, et iustitiae Dei satisfecit, et iram placauit, praestita obedientia et poenis in se translatis. — IVSTIFICATOR respectu applicationis sui meriti.[2]) Quia propter ipsius paßionem et mortem iustificamur coram Deo, id est, accipimus remißionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, imputationem iustitiae, et acceptationem ad vitam aeternam.

E 6. Deinde et respectu efficaciae est Iustificator, quia in his, qui sunt reconciliati, simul restituit iustitiam et vitam aeternam, quae etsi in hac vita tantum inchoatur, tamen postea consummabitur in altera vita. — Postremo SALVATOR dicitur respectu mirandae gubernationis ac defensionis Ecclesiae in hac vita. In primis vero respectu finalis liberationis et glorificationis Ecclesiae post resuscitationem ex mortuis.

Qu. Explica pondera vocabulorum, in his verbis: Resp. Et in Iesum Christum Filium eius unicum, Dominum nostrum.

IESVS est nomen proprium huius personae, et significat Saluatorem. Quo nomine etsi in collatione aliorum nominum significatur in primis respectus finalis liberationis seu redemptionis Ecclesiae: Tamen cum seorsim ponitur, omnia beneficia huius personae comprehenduntur. Sic etymologiam exponit Angelus Matth. 1. Vocabis nomen eius Iesum, quia saluum faciet populum suum a peccatis ipsorum.

CHRISTVS est nomen officij, et significat unctum: congruit cum voce Meſsias, et tribuitur huic personae, quia est summus Sacerdos et Rex Ecclesiae.

SVMMVS SACERDOS EST, quia est persona immediate missa a Deo ad patefactionem Euangelij: ad placandam iram Dei suo sacrificio, et ad precandum pro nobis, habens testimonium, quod exaudiatur, per quam et exhibentur bona promissa

---

[1]) Ausg. v. 1572 a. R.: In descriptione unionis personalis uocabulum sustentandi exagitatum a Chemnicio, extat in Examine Theologico, Corpo. doct. pag. 755. Et in utraque Enarratione Symboli Niceni titulo de Filio Dei. Tomo 2. operum Philippi, pag, 200. et 322. et alibi passim.

[2]) Ausg. v. 1572 a. R.: Quomodo Christus sit iustificator noster seu iustitia nostra, arrosum a Chemnicio, extat in Enarratione Epistolae ad Romanos cap. 3. Tom. 4. operum Philippi, pagina 92. Et in Enarratione Symboli Niceni Tomo 2. ope. Philippi, pag. 327. Praecipue uero Tomo 4. oper. Philippi pagina 454.

in nouo Testamento. Haec descriptio sumitur ex officijs Sacerdotis, quae sunt quatuor: Docere, Sacrificare, Orare, Benedicere. — REX vero est, quia colligit sibi Ecclesiam per ministerium Euangelij omnibus mundi temporibus: et liberat eam a peccato et aeterna morte, et sanctificat eam dato Spiritu sancto, vt sit aeterna ipsius haereditas: et mirabiliter eam defendit, et regit in hac vita, vt vere inuocet et agnoscat exaudiri preces, ac celebret Deum, et resuscitat ex morte ad vitam et gloriam aeternam. Haec descriptio sumitur ex definitione regni Christi, et alludit ad officia regum, quae sunt: liberare subditos ex potestate hostium, regere populum certis legibus, et defendere bonos a malorum iniurijs.

FILIVS VNICVS. Haec appellatio describit naturam diuinam Christi. Ideo autem vocatur Filius, quia ab aeterno genitus est de essentia aeterni Patris. Vnicus (idem est quod vnigenitus. Iohan. 1. et 3. et proprius, Rom. 8) discernit Filium Dei ab electis, qui sunt filij Dei adoptione. Vt Iohan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Christus enim natura est filius. Nos gratia. E 7.

DOMINVM NOSTRVM. Monet haec appellatio de applicatione beneficiorum Christi. Est enim Christus Dominus noster.

I. Iure Creationis. Quia per ipsum sumus conditi ad imaginem Dei. — II. Iure Redemptionis. Quia cum nos in peccatis nascamur, propter naturae nostrae corruptionem, quae lapsum Adae secuta est, ipse se dedit precium redemptionis pro nobis, et nos a maledictione Legis, ira Dei, peccato, morte, et regno Diaboli, precioso sanguine suo redemit, vt simus peculium ipsius. — III. Ratione defensionis et glorificationis. Quia exaltatus ad dexteram Patris, perpetuo colligit sibi Ecclesiam, gubernat, defendit, et glorificat in tota aeternitate.

Qu. Quid profitemur in Symbolo de Incarnatione Christi? Resp. Conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria uirgine.

Qu. Cur Mediatorem congruebat Deum et hominem esse? Resp. PRIMA causa est, Quia genus humanum peccauerat, congruebat ordini iusticiae, vt aliquis in genere humano poenam solueret, quae esset precium pro peccatis, Ideo Filius intercessor assumpsit humanam naturam. — SECVNDA causa, Nulla creata potentia sola potuisset sustinere iram Dei, et in tanta magnitudine dolorum, Deo vere tribuere laudem iusticiae. Necesse est autem in poena, quae debet esse placatio, punienti tribui laudem iusticiae. Est ergo Mediator etiam Deus. — TERTIA causa, Peccati infinita malicia est. Vt igitur esset precium infinitae bonitatis et aequiualens, etiam ideo Mediator est. — QVARTA,[1]) Creatura non est viuificatrix. Sed vt Iohan. 1. scriptum est: In ipso erat vita. Ideo hic Redemptor Deus est, vt vincat mortem, et restituat vitam. Nam vt initio in creatione λόγος fuit viuificator: Ita et nunc credentes ei inserti, rursus per eum viuificantur. — QVINTA, Hic Mediator aßidue interpellat pro Ecclesia, et semper et vbique adest Ecclesiae, eamque seruat et protegit. Quae beneficia etsi fiunt a Filio in natura assumpta, et toti personae tribuuntur, tamen sunt actiones diuinae naturae et omnipotentis.[2]) E 8.

Qu. Vbi describitur historia Conceptionis et Natiuitatis Christi? Resp. De Conceptione inquit Angelus ad Mariam Luc. 1. Spiritus sanctus veniet super te, et virtus Altifsimi obumbrabit tibi. Et ad Ioseph: Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Natiuitatis historia describitur Luc. 2. Cum Ioseph et Maria esset in Bethlehem impleti sunt dies eius, ut pareret, et peperit filium suum primogenitum: De quo Angeli annunciant: Ecce, Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit

[1]) Ausg. v. 1572 a. R.: Haec uerba arrosa a Jenensibus, extant expresse in Enarratione Epistolae ad Romanos cap. 3. Tomo operum Philippi 4. pag. 88.

[2]) Ausg. v. 1572 a. R.: Haec clausula de distinctis proprietatibus et actionibus naturarum in Christo, arrosa a Chemnicio et Theologis in ducatu Luneburg. extat in Enarratione Epistolae ad Romanos cap. 3. Tom. operum Philippi 4. pag. 88. Item 327. 354. 576. 571. (die 2. Ausg. von 1572 hat 591) et alibi passim. In primis uerb. in Enarratione Symboli Niceni Tom. 2. operum Philippi 223. 318. 323.

omni populo, Quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus, in ciuitate Dauid, et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis obuolutum, et positum in praesepio.

Qu. Quare de Spiritu sancto conceptus, et ex virgine natus est? Resp. Angelus causam exprimit Luc. 1. Quod ex te nascetur SANCTVM, vocabitur Filius Dei, Ideo enim de Spiritu sancto, sine virili semine, de pura et immaculata virgine natus est Filius Dei, ut sciamus, hominem factum esse sine peccato, quod caeteri homines nati ex carnali propagatione secum in hanc lucem afferunt.

Qu. Cur fit mentio expressa Mariae matris Christi? Resp. Non solum propter certitudinem historiae, sed etiam quia praedictum erat, Meſsiam nasciturum esse ex stirpe Dauid, ex qua Mariam ortam fuisse certum est.

F 1. Qu. Quid profitemur in Symbolo de maxime conspicuo actu humiliationis Filij Dei in paßione? Resp. Passus sub Pontio Pilato, Crucifixus, Mortuus, et Sepultus.

Qu. Quid vocas paßionem? Resp. PASSIO Christi est obedientia admiranda et inenarrabilis, quam Christus Dominus noster sciens, volens, libensque praestitit in tolerandis animae et corporis acerbiſsimis cruciatibus, vt iusticiae diuinae hac vera reuerentia et subiectione aequiualens precium pro peccatis totius generis humani persolueretur, et Pater placatus hoc sacrificio reciperet confugientes ad ipsum fiducia huius mediatoris et victimae, et liberatis a maledictione Legis, a Tyrannide Diaboli, et a morte aeterna gratis donaret, propter Filij meritum et interceſsionem, iusticiam et vitam aeternam.

Qu. Quotuplex est meditatio paßionis Christi? Resp. Triplex. Paedagogica, Spiritualis, Exemplaris seu Paradigmatica.

PAEDAGOGICA MEDITATIO est saepe legere narrationes, quae apud quatuor Euangelistas extant de historia paßionis Christi: Easque conferre cum vaticinijs Prophetarum, vt haec collatio historiae et praedictionum confirmet in animis assensum, quo hunc articulum amplectimur. (Pueris inprimis nota sit prima promißio Gene. 3. Psalmus 22. Esaiae cap. 53. et Danielis cap. 9.) — SPIRITVALIS MEDITATIO est, cogitare causas paßionis Christi, magnitudinem peccati et irae Dei aduersus peccata generis humani: Temperamentum misericordiae et iusticiae in Deo: Amorem filij Dei, et illam inenarrabilem humilitatem filij. Et in tantarum rerum cogitatione exuscitare timorem Dei, et fidem. — EXEMPLARIS MEDITATIO est, imitari humilitatem et
F 2. patientiam Christi, et considerare imagines pingentes statum Ecclesiae, quam Deus vult fieri conformem imaginis Filij sui, Roma. 7.

Qu. Cur fit mentio Pilati? Resp. Pilatus fuit Praeses Iudaeae, sub Imperatore Tyberio. Huius mentio fit in Symbolo propter circumstantiam temporis, quae monet nos de Meſsia exhibito, iuxta vaticinium Patriarchae Iacob: Non auferetur Sceptrum de Iuda, neque Magister de pedibus eius, donec venerit Siloh.

Qu. Quale genus supplicij fuit crucifixio? Resp. Crucifixio fuit supplicium Iudaicum, quam postea a Iudaeis acceptam, vt videtur, vsurparunt Orientales populi, sed aliter Iudaei, aliter gentes hac vsi sunt. Iudaei non solebant viuos homines in crucem tollere: sed lapidatione interfectos, quorum postea cadauera cruci alligabant, non clauis per manus et pedes adactis affigebant. Gentes vero et viuos crucis supplicio afficiebant, et clauis affigebant, non alligabant. Ad haec discrimina administrati supplicij huius inter Iudaeos et Gentes alias acceßisse videtur et fractio crurum in mortuis, cuius meminit historia Euangelica, quod et ipsum apparet fuisse moris Ethnici. Modus igitur crucifixionis, quam Christus pertulit, non fuit Iudaicus, sed externus. Nam illo tempore iudicia capitalia non habebant amplius Iudaei, sicut

ipsi de se proclamant: Non licet nobis interficere quenquam. Quare Christus traditus a Iudaeis Ethnico praesidi, non Iudaico, externo etiam et Ethnico modo crucifixus est, quem tunc ibi gentes in hoc supplicio seruabant, Scribitur autem et hoc, contra blasphemos et idolatras, a Iudaeis crucifixionem vsurpatam, vt hac de causa Christum etiam crucifigi postularent, quem et summus Pontifex blasphemiae damnauerat: et cui alterum quoque crimen laesae dignitatis et quasi maiestatis sacerdotalis intentabant, quod contra templum et iudices Israel locutus esset.

Tales autem tribus tantum festis ijs, quibus populus omnis conueniebat, tollere publice supplicio solebant, ex eo quod scribitur, Deut. 17. Tollendos tales, vt omnis populus audiat etc. Ideo Christi etiam supplicium, vt ad Paschatis tempus fieret, laborarunt. Haec adultioribus prodesse forte poterunt, et vt considerentur, necessaria sunt, Quia ex Iudaeis impijs, incogitantiores aliqui, contra historiam Euangelicam negant Christum viuum crucifixum, sed tanquam blasphemum more gentis Iudaicae lapidatione interfectum. Id quod omnino etiam de Christo fecissent Iudaei, si penes ipsos tunc fuissent supplicia capitalia. Non igitur meminerunt, eo tempore haec ipsis erepta esse, cuius non tantum ex Euangelica historia, sed ipsorum etiam popularium scriptis conuinci possunt. F 3.

Qu. Cur hoc abominabili genere supplicij Deus voluit interfici Filium, vt tolleretur in crucem? Resp. Paulus Galat. 3. causam exponit, inquiens: Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum. Quia scriptum est, Maledictus omnis, qui pendet in ligno. Typus autem crucifixionis Christi fuit serpens aeneus exaltatus in deserto. Num. 21. Iohan. 3.

Qu. Cur mori oportuit Christum? Resp. Rom. 4. inquit Paulus: Christus mortuus est propter peccata nostra. Et Oseae 13. O mors ero mors tua. Vnde versus in Scholis factus est: Mors mortis morti mortem mors morte redemit. Typi mortis Christi fuerunt mactationes victimarum, quae occisae offerebantur in sacrificijs.

Qu. Cur sepultus est Christus? Resp. SEPELIRI Christus voluit, vt certum esset testimonium, quod vere fuerit mortuus et vt vna secum peccata nostra sepeliret: et nostra sepulchra sanctiſsimi corporis sui contactu consecraret.

Qu. Quomodo intelligis Articulum de Descensu Christi ad inferos? Resp. Simpliciter et sine allegoria intelligendus est hic articulus: sicut Paulus ad Ephes. 4. interpretatur, Descendit ad inferiores partes terrae. Fatemur autem hoc articulo destructam esse Tyrannidem Diaboli et inferorum, hoc est, liberatos omnes, qui credunt in Christum, a potentia Diaboli et inferis, vt Oseae 13. Ero pestis tua inferne. Et hanc victoriam certo modo Filius Dei Diabolis ostendit. Nec dubium est Diabolos sensisse suam potentiam ab hoc victore factam esse. Et vere caput serpentis a semine mulieris contritum esse. Est igitur simpliciſsima sententia, Quod Christus ostenderit suam victoriam Diabolis, et eos terruerit. Sed quomodo hoc sit factum, non scrutemur. Cyprianus scribit in Ecclesiae Romanae Symbolo, et in aliquibus Orientis Ecclesijs non fuisse hunc articulum additum. F 4. 40

Qu. Dic testimonium de Resurrectione Christi? Resp. Psalm. 16. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Matt. 12. Sicut Ionas fuit triduum in ventre Ceti: Ita oportet filium hominis tribus diebus ac tribus noctibus esse in corde terrae. Historia resurrectionis describitur ab Euangelistis. De fructu inquit Paulus Rom. 4. Resuscitatus est propter iustitiam nostram. Et 1. Corinth. 15. Si Christus resurrexit, etiam nos resurgemus. Roma. 6. Resurrexit, vt et nos in nouitate vitae ambulemus.

Qu. Quare dicimus in Symbolo, Resurrexit tertia die? Resp. Quia die Parasceues deponitur a cruce et sepelitur, paucis horis ante Sabbati

initium. Iudaei enim diem a vespera inchoant. Toto autem Sabbato quiescit in sepulchro, Et die prima Sabbatorum, quae nobis est dies Dominica, circa auroram resurgit ex mortuis.

Qu. Vbi extat confirmatio Articuli de ascensione Christi ad coelos? Resp. Actorum primo describitur historia ascensionis. Videntibus illis, eleuatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum: Et Actorum 3. Oportet Christum coelo capi,[1]) vsque ad tempora restitutionis omnium.[2]) Intelligatur autem ascensio,[3]) vt sonat litera, et de corpore et de corporali locatione. ASCENSIO fuit visibilis et corporalis, et semper ita scripsit tota antiquitas, Christum corporali locatione in aliquo loco esse, vbicunque vult, et ascensio corporalis facta est sursum.

F 5. Qu. Cur Christus ascendit ad coelos? Resp. PRIMVM vt refutaret somnia Iudaeorum de politico regno Meßiae. SECVNDO, vt pararet nobis aditum ad coelos, quo et nos aliquando traducet, iuxta dictum: Pater, volo vt vbi ego sum, ibi et illi sint. TERTIO, vt hoc velut triumpho testificaretur de victoria aduersus regnum peccati et mortis, Coloss. 3. et Psalm. 68. Pertinet ad fructus ascensionis etiam sequens articulus de seßione ad dexteram Dei.

Qu. Quid est sedere Christum ad dexteram Patris? Resp. Simplicisime intelligatur de exaltatione Christi ad regnum et Sacerdotium, sicut concionatur totus Psalmus 110. Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis etc. Monet enim hic articulus de gloria Christi, superante omnium creaturarum gloriam. Beati angeli et homines etiam in coelo sunt, quia fruuntur luce et conspectu Dei visibili. Sed Christus exaltatus est in illa arcana luce regnans cum Patre, et est caput Ecclesiae, omnia in omnibus perficiens, et quanquam manet discrimen naturarum in Christo, nec confunduntur proprietates: tamen etiam humana natura Christi post glorificationem accepit dona seu ornamenta, seu praerogatiuas, quae superant omnium creaturarum dona.[4])

Qu. Dic Testimonia de reditu Christi ad iudicium vniuersale. Resp. Acto. 1. inquiunt Angeli, Hic Iesus, qui sursum receptus est a vobis in coelum, ita veniet, quemadmodum conspexistis eum euntem in coelum. Et Mat. 25. non solum aduentus Christi, sed etiam processus seu forma iudicij copiose describitur.

Qu. Quae opera efficiet Christus, cum in fine mundi rediturus est? Resp. PRIMVM voce sua resuscitabit omnes homines, quotquot ab initio mundi mortui sunt, et animas ipsorum copulabit denuo cum resuscitatis corporibus. Eos vero, quos viuentes adhuc in terra reperiet, in momento immutatos, vna cum excitatis e morte, in occursum sibi rapiet.

---

[1]) Ausg. von 1572 a. R.: Passiua interpretatio huius dicti extat etiam apud Nazianzenum orat. 2. de filio, et apud Oecumenium pag. 19. et 20.

[2]) Im Texte selber schieben hier beide Ausgaben von 1572 die Worte ein: Vel, vt reuerendi Patris D. Lutheri versio Latina habet: Oportet Christum coelo suscipi, Quod in Graeco est: δν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων. Ne quis suspicetur, certo coeli loco Christum tanquam captiuum aut affixum teneri, vt quo suo verbo se alligauit, aut vbi velit, esse non possit. Um für diese Worte Raum zu schaffen, wird von S. 72—76 der Satz der Ausg. v. 1572 etwas von der vorausgegangenen verschieden, bis er dann von S. 77 ab wieder jede Seite mit demselben Wort beginnt und schließt, wie die vorausgegangene Edition.

[3]) Ausg. v. 1572 a. R.: Haec explicatio arrosa a Sebastiano Boetio, in Salinis Saxonicis, Chemnicio, Selneccero, Jenensib. et Theologis in ducatu Luneburgensi, extat in Commentario Philippi in Epist. ad Coloss. Tom. 4. op. folio 358.

[4]) Ausg. v. 1572 a. R.: Quod articulus de sessione ad dexteram Dei, simul comprehendat glorificationem naturae humanae in Christo, In qua accepit dona superantia omnium Creaturarum dona, arrosum a Theologis in Ducatu Luneburgensi extat in refutatione Schuuenckfeldij Tom. 2. op. Philip. 203 et in enarratione Epist. ad Coloss. Tomo 4. Ope. Phil. 358.

DEINDE visibile et vniuersale iudicium exercebit, in quo bonos discernet a malis, et pronunciabit sententiam super pios et impios. Nam Pater omne iudicium dedit Filio, Ioh. 5. PRAETEREA pios introducet in posseßionem aeternae beatitudinis, F 6 quam in hac vita fide et spe expectarunt. SIMVL etiam impios abijciet cum damnatis spiritibus in aeternos cruciatus, vbi ignis eorum non extinguetur, vermis non morietur, opprobrium non desinet, Esa. vlt. DENIQVE igne purgabit coelum et terram, et nouam mundi formam efficiet, quae erit sancta et munda habitatio omnium beatorum angelorum et hominum. 2. Pet. 3.

RECITA TERTIVM ARTICVLVM. [Bild.] Credo in Spiritum sanctum — — et uitam aeternam.

Qu. Quid continetur in hac parte Symboli? Resp. Confeßio Ecclesiae de Spiritu sancto, de Ecclesia, et de beneficijs Dei praecipuis, ad quae superiores Articuli principaliter referendi sunt.

Qu. Quae sunt discenda de Spiritu sancto? Resp. Persona et beneficia ipsius.

Qu. Proba, quod Spiritus sanctus sit persona seu *ὑφιστάμενον.* Resp. Quod Spiritus sanctus sit persona distincta a Patre et Filio, id confirmat illustris patefactio in baptismo Christi. Ibi enim conspicitur Spiritus sanctus specie columbae alas pandens super Mediatorem. POSTEA in Pentecoste visibiliter apparet Spiritus sanctus specie flammarum. Tertio in formula Baptismi ab ipso Filio Dei tradita iubentur baptizari homines in nomine Patris et Filij et Spiritus sancti. Constat autem Patrem et Filium personas distinctas esse. Quare et nomine Spiritus F 7. sancti, persona distincta significatur, De proceßione Spiritus sancti inquit Christus Iohan. 15. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus veritatis, qui a Patre procedit.

Qu. Quae sunt beneficia Spiritus sancti? Resp. Beneficia ostendit appellatio. Vocatur enim Sanctus non solum, quia ipse sanctus est, sed quia credentes sanctificat, hoc est, lucem in eis accendit ad intelligendam doctrinam, et assensionem confirmat, et efficit motus congruentes Deo, et excitat inuocationem, et laetitiam in Deo acquiescentem: Zach. 12. Vocatur Spiritus gratiae et precum.

Qu. Cur dicimus in Symbolo: Credo in Spiritum sanctum, et non dicimus, Credo in sanctam Ecclesiam? Resp. Soli Deo tribuendus est cultus fidei, iuxta Prophetae dictum: Maledictus, qui ponit carnem brachium suum. Cum ergo testamur nos in Spiritum sanctum credere, agnoscimus et confitemur eum esse verum Deum, Sed omittitur praepositio, cum recitamus professionem de Ecclesia: Quia fides non nititur Ecclesia sed Deo. In Symbolo Constantinopolitano verba hoc modo recitantur: Et in Spiritum sanctum, Dominum, viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas, IN vnam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Sed ibi praepositio IN, non ad verbum credo, sed ad Spiritum sanctum refertur, videlicet, quod is locutus sit per Prophetas, in vnam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Significatur enim vnum eundemque Spiritum omnia egisse in veteri et nouo Testamento: contra eos, qui confinxerunt duos sibi quasi contrarios Spiritus. Significatur etiam Ecclesiam non esse vnius temporis, sed omnium aetatum inde vsque ab initio mundi propter vnum eundemque Spiritum.

Qu. Quid est Ecclesia? Resp. ECCLESIA VISIBILIS in hac vita est coetus visibilis amplectentium Euangelium, et recte vtentium Sacramentis, in quo coetu Filius Dei est efficax et voce Euangelij et F 8. Spiritu sancto multos regenerat ad vitam aeternam, suntque in eo coetu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes.

Qu. Quae sunt signa monstrantia veram Ecclesiam? Resp. Tria sunt. I. CONSENSVS in doctrina Euangelij incorrupta, quod

ad fundamentum attinet. II. LEGITIMVS VSVS Sacramentorum. III. OBEDIENTIA ministerio debita iuxta Euangelium.

Qu. Cur Ecclesia dicitur Sancta? Resp. ECCLESIA vocatur sancta in hac vita per Synecdochen. Quia multa sunt membra sanctificata Spiritu sancto et electa. Fit autem a principali nuncupatio, et membra sanctificata vsitate nominantur viua membra Ecclesiae. Alij non sancti vocantur mortua membra, si tamen de doctrina consentiant.

Qu. Quomodo est Ecclesia sancta, cum in hac vita in omnibus sit peccatum, et sordes multiplices? Resp. VIVA MEMBRA Ecclesiae sunt sancti in hac vita, partim imputatione, partim inchoatione. IMPVTATIONE, quia propter Mediatorem teguntur in eis sordes, et imputatur eis iustitia Christi, quam fide accipiunt. INCHOATIONE vero, quia inchoatur in eis per Spiritum sanctum nouitas Spiritualis, quae consummata erit in altera vita.

Qu. Quid significat vox Catholica? Resp. *Καθολικόν* idem est, quod vniuersale. Ideo autem Ecclesia sic vocatur, quia non est alligata ad personas, loca, et ordinariam succeſsionem Episcoporum, sed est, vbicunque sonat vox Euangelij. Deinde, quia omnibus aetatibus mundi colligitur ex genere humano. Postremo, quia amplectitur totum corpus doctrinae Propheticae et Apostolicae.

Qu. Quid significant haec verba: Credo sanctorum communionem?
G 1. Resp. Haec verba sunt expositio seu interpretatio prioris Articuli. Sunt enim velut descriptio per Appositionem, vt vocant Grammatici, addita, qua declaratur, quid sit Ecclesia. Nempe *ἁγίων κοινωνία*, id est, coetus talis, in quo sancti, hoc est, abluti sanguine Filij Dei (Ephes. 5.) et sanctificati per Spiritum sanctum, quocunque loco et tempore vixerint, societatem seu communionem inter se habent, non modo eiusdem doctrinae, sed etiam omnium beneficiorum spiritualium, cum sint membra vnius corporis, et vnum caput habeant Christum, qui per Spiritum suum in eis est efficax. Ita Iohannes inquit: Quod vidimus et audiuimus, annunciamus vobis, vt et vos societatem habeatis nobiscum, et societas vestra sit cum Patre et Filio eius Iesu Christo. Et Paulus Ephe. 4. Vnum corpus, vnus Spiritus, sicut et vocati estis in vna spe. Apud Cyprianum et Augustinum hic Articulus non habetur, neque ab eis exponitur.

Qu. Explica pondera vocabulorum in Articulo: Credo remißionem peccatorum. Resp. PRIMVM, testificatio est de fide, qua vnusquisque firmiter statuere debet, quod sibi in hac vita credenti certo detur remißio peccatorum, contra dubitationem Pontificiam. DEINDE, cum peccata nominantur plurali numero, confirmatio est dulcißimae consolationis. Quod omne peccatum remittatur, videlicet agenti poenitentiam et fide amplectenti promissionem gratiae, certo ratae [1]) propter Filium Dei. TERTIO, vox remittendi docet non tantum donari culpam, sed etiam poenam aeternam. Nam remittere est liberare a culpa et poena aeterna: et haec relatio praecipue comprehenditur in vocabulo remißionis, videlicet solutio obligationis ad aeternam mortem et damnationem, et debitae ponae condonatio. QVARTO, Quia Symboli recitatio fit quotidie, intelligatur remißio peccatorum de continua remißione, etiam postquam renati sumus, et sciant etiam renati semper in hac vita manere reliquias peccati, quarum remißio a Deo petenda est.

Qu. Differuntne remißio peccatorum et iustificatio? Resp. Non
G 2. differunt. Ideo iustificatio definitur, quod sit remiſsio peccatorum, reconciliatio cum Deo, imputatio iusticiae, et acceptatio ad vitam aeternam.

Qu. Quomodo accipitur Remißio peccatorum seu iustificatio? Resp. Homo in conuersione seu in veris doloribus accipit remiſsionem peccatorum propter Mediatorem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum,

---

[1]) Die erste Ausg. von 1571 und die zweite von 1572 lesen ratam.

Deum et hominem GRATIS, sola fide, non propter propriam dignitatem, seu propter virtutes proprias, aut propria opera seu merita.

Qu. Dic testimonium de hoc Articulo. Resp. Acto. 10. Huic (Christo) omnes Prophetae testimonium dant, remiſsionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Rom. 3. Iustificamur gratis gratia ipsius, per redemptionem, quae facta est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem in sanguine eius, per Fidem.

Qu. Quomodo intelligenda est haec Propositio: Fide sumus iusti, aut: Fide accipimus remißionem peccatorum? Resp. Propositio haec: Fide sumus iusti: intelligitur correlatiue, videlicet, per misericordiam sumus iusti propter Filium Dei. Ideo autem fit mentio fidei, Quia fide oportet accipi beneficium gratuitum. Vsitate sic dicitur: Non propter nostrum credere, sed propter eum, in quem credimus, iustificamur. Item: Vt annulus magni aestimatur propter gemmam, sic Fides iustificat, non quia qualitas est in nobis, sed quia Mediatorem apprehendit.

Qu. Cur retinenda est particula exclusiua Gratis? Item: Sola Fide iustificamur? Resp. Quatuor sunt causae, propter quas necesse est retineri exclusiuam. PRIMA est, vt tribuatur honos debitus Filio Dei, quod haec sola hostia sit precium pro nobis, iuxta dictum: Hic est Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. SECVNDA est, ut conscientiae habeant G 3. firmam consolationem, iuxta dictum Rom. 4. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promiſsio. TERTIA causa est, ut inuocatio fieri poſsit, quae impeditur conspectu nostrae infirmitatis, nisi erigamur fiducia Mediatoris. QVARTA est, ut conspiciatur discrimen Legis et Euangelij: Quia particula gratis, fide, et expressa mentio Mediatoris praecipue discernunt Legem et Euangelium.

Qu. Quid est mortuorum resurrectio? Resp. RESVRRECTIO mortuorum vniuersalis est actio Dei externa, qua Deus pro sua immensa potentia, iuxta liberrimum decretum voluntatis suae, omnium hominum corpora ab hac vicißitudine generationum et corruptionum vindicabit, et rursus cum animis copulabit, vt ad omnem aeternitatem, aut poenas scelerum vna cum Diabolis persoluant, aut communicatione lucis, sapientiae iusticiae, et vitae diuinae fruantur.

Qu. Cur expreße dicitur: Credo resurrectionem CARNIS? Resp. Quia sicut corpus mortificatur propter peccatum, Anima non moritur: Sic corpora quidem resuscitabuntur, Animae vero resurrectione non habent opus, cum maneant superstites, postquam discedunt ex corporibus: Ac in nouiſsimo die rursus copulabuntur cum resuscitatis corporibus.

Cyprianus scribit in aliquot Orientis Ecclesijs articulum de resurrectione δειχτικῶς fuisse pronunciatum: Credo HVIVS carnis resurrectionem. Sicut et Paulus δειχτικῶς loquitur: Oportet corruptibile hoc induere incorruptibilitatem.

Qu. Dic testimonium de hoc Articulo. Resp. Nota sit pueris historia visionis Ezechielis capite 37. Et concio Pauli 1. Corinth. 15. et 1. Theſs. 4. vbi sedes et praecipua confirmatio est huius articuli.

Qu. Quotuplex est Resurrectio? Resp. Iohan. 5. inquit Christus: G 4. Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei et procedent, qui bona fecerunt, ad resurrectionem vitae: Qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij.

Haec asseueratio Filij Dei discernit resurrectionem piorum a resurrectione damnatorum. Quia etsi immortalitas vtrisque communis erit: tamen finis, ad quem vtrique resuscitabuntur, ingens discrimen facit. Nam vita aeterna erit portus, in quo boni acquiescent. Supplicium aeternum erit stipendium peccati regnantis, quod non tegitur vmbraculo Filij Dei.

Qu. Quid nominatur vita aeterna? Resp. VITA AETERNA vocatur status beatorum, post hanc vitam, in qua Deus illos in vniuersum liberatos a peccato, et morte coram perfundet sua luce et laeticia, et in tota aeternitate omnia erit in omnibus.

Huic opponitur mors aeterna, quae est perpetua abiectio omnium damnatorum a Deo, et animae ac corporis cruciatus nunquam finiendi.

Qu. Dic testimonium de hoc Articulo. Resp. Iohan. 3. inquit Baptista: Qui credit in Filium, habet vitam aeternam. Qui non obtemperat Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Iohan. 10. Oues meae vocem meam audiunt, et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis.

Qu. Cur postremo loco recitatur hic Articulus? Resp. Vt doceat, quis sit finis omnium bonorum, seu quod sit summum et ultimum bonum, quod praecipue ab omnibus hominibus expetendum est. DEINDE, vt monstret finalem causam creationis, redemptionis, et sanctificationis nostrae. POSTREMO, vt confirmet nos de immortalitate, quae discrimen facit inter homines et pecudes: et de fine ceu cessatione omnium miseriarum, quibus haec mortalis vita est obnoxia. Non G 5. enim ad hanc vitam mortalem, vt pecudes, nec ad perpetuas miserias nati sumus, sed vt immortalitate et beatitudine aeterna fruamur, cuius nemo erit particeps, nisi in hac vita accensa in eo fuerint initia vitae aeternae.

Qu. Quomodo in hac vita inchoatur in nobis vita aeterna? Resp. VITA AETERNA inchoatur in nobis in hac vita, cum ex verbo patefacto agnoscimus Deum, et acquiescimus in eius misericordia promissa propter Filium, et cum corda sentiunt consolationem Spiritus sancti, qua simul accenditur lux, iustitia et laetitia, quae est gustus vitae aeternae.

DE ORATIONE DOMINICA,
QVAE EST TERTIVM CAPVT CATECHESEOS CHRISTIANAE.

Qu. Quid continet Oratio Dominica? Resp. Continet optimam et perfectissimam formam precandi, praescriptam a Filio Dei Domino nostro Iesu Christo, qua et breuitate admirabili, et ordine sapientissimo complexus est omnes res, quas a Deo petere debemus.

Qu. Quod est discrimen verae inuocationis in Ecclesia, et aliarum impiarum inuocationum? Resp. Duae sunt praecipuae differentiae. Altera de ESSENTIA DEI, Altera de VOLVNTATE. Primum enim Ethnici et alij impij negant hunc esse Deum, qui est aeternus Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Deinde ignorant promissiones et Mediatorem. Ecclesia vero alloquitur verum Deum patefactum illustribus testimonijs, et agnoscit eum sicut se patefecit. Scit etiam promissiones, et agnoscit Mediatorem, et scit Deum velle inuocari et exaudire fiducia Mediatoris: sicut ipse Dominus inquit: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

G 6. Qu. Quae requiruntur ad inuocationem? Resp. In omni inuocatione necessaria est praecipue sex rerum consideratio. I. Cogitandum est, QVID et QVEM DEVM, et vbi patefactum inuoces. Iohan. 4. Nos adoramus quod scimus. — II. Considerandum est preceptum de Inuocatione, vt Psal. 50. Inuoca me in die tribulationis. — III. Singuli cogitent, an vere sint conuersi ad Deum. Nam sine conuersione precatio non est efficax, Iohan. 9. Peccatores Deus non exaudit. — IIII. Cogitandae sunt

promiſsiones de exauditione. Matth. 17. Petite, et dabitur vobis. Luc. 11. Quanto magis Pater vester dabit Spiritum sanctum petentibus? — V. Excitanda est Fides, quae in promiſsionem intuens, certo statuat nos exaudiri propter Mediatorem. — Sexta consideratio est rerum petendarum, ne Oratio inanis *βαττολογία* sit.

Qu. Quod est discrimen in petitione bonorum corporalium et spiritualium? Resp. Cum petimus BENEFICIA SPIRITVALIA, ut remiſsionem peccatorum, reconciliationem, vitam aeternam, gubernationem animae, fides simpliciter, et sine ulla conditione expectet haec bona: Quia Deus nominatim promisit, se haec daturum esse. Cum vero petimus BENEFICIA CORPORALIA, ut victum, defensionem, liberationem in morbo etc. In his fides certo statuat preces nostras placere Deo, et exaudiri, sed cum inuocatione simul adferat voluntatem paratam ad obediendum in afflictione, si Deo ita videatur. Quia Deus vult Ecclesiam in hac vita exerceri cruce et afflictionibus, et tamen seruat eam mirabiliter. Ideo sancti petunt a Deo beneficia corporalia, cum conditione, vt Leprosus Matth. 8. Domine, si vis, potes me mundare. Dauid 2. Reg. 15. Si volet Dominus, reducet me. Si dixerit, non places, praesto sum. Nec affert haec conditio dubitationem: Quia vniuersaliter etiam in corporalium rerum petitione Deus preces exaudit, G 7.
et dat aut liberationem aut mitigationem, aut consolationem interiorem.

Qu. REGVLAE tres de Inuocatione. Resp. 1. In petitione quarumcunque rerum oportet praelucere fidem, quae accipit promiſsionem gratiae. — II. Etiam amiſsis omnibus bonis corporalibus, et cum vita corporis certo amittenda est: Tamen retinenda est promiſsio gratiae et vitae aeternae. — III. Non est praescribendum Deo tempus aut modus liberationis.

Qu. Cur Inuocatio saepe multumque est exercenda? Resp. Primum propter gloriam Dei. II. Propter nostram et Ecclesiae salutem. III. Propter eruditionem et sapientiam spiritualem augendam. IIII. Propter consolationem. V. Vt Diabolis hanc Gorgonem obijciamus. VI. Vt precatio sit confeßio discernens Ecclesiam ab alijs Sectis.

RECITA FORMAM Precationis Dominicae. [Bild.] Pater noster — — et gloria, in secula seculorum, Amen.

Qu. Quis est ordo seu dispositio Orationis Dominicae? Resp. G 8.
Constat Oratio Dominica Exordio, Narratione et Epilogo.

Qu. Quid continet Exordium? Resp. Exordium discernit Deum a commentitijs numinibus, qualia sunt idola Epicuri et Stoicorum. Tribuit enim Deo et voluntatem et facultatem nos exaudiendi.

Qu. Quid continet Narratio? Resp. Narratio petit a Deo GRATIAS, vt Veteres loquuntur, POSITIVAS et PRIVATIVAS, id est, donationem donorum, et liberationem a malis.

Qu. Quae sunt Gratiae positiuae? Resp. Duplices sunt POSITIVAE gratiae, aliae Spirituales, aliae Corporales. SPIRITVALES sunt tres. I. Vera agnitio Dei, id est, Sanctificatio nominis diuini. II. Consolatio et gubernatio Spiritus sancti, quae vocatur regnum Dei. III. Obedientia nostra congruens cum voluntate Dei. — GRATIA POSITIVA CORPORALIS significatur appellatione panis quotidiani.

Qu. Quae sunt Gratiae priuatiuae? Resp. PRIVATIVAE gratiae sunt tres. I. Remiſsio peccatorum. II. Depulsio Tyrannidis, Diaboli et

mundi. Imo et carnis nostrae. III. Liberatio, id est, mitigatio calamitatum in hac vita, et integra liberatio.

Qu. Quid continet Epilogus? Resp. Epilogus recitat impulsiuas et finales causas, propter quas petimus nos exaudiri. Impulsiuae causae sunt, Quia tuum est regnum et potentia. — Finalis causa significatur appellatione Gloriae Dei. — Tandem additur Epiphonema plenum fidei, AMEN, quod significat certo statuendum esse, nos propter Mediatorem exauditos esse.

Qu. Explica pondera verborum in exordio: Pater noster, qui es in H 1. coelis. Resp. PATER hoc loco est essentiae nomen, non tantum vnius Personae. Nam omnis inuocatio vera, quae fit ad Deum, semper intelligatur complecti Patrem, Filium, et Spiritum sanctum. — DEINDE appellatio Patris monet nos de fide et de promifsionibus. — POSTREMO admonet nos de magnitudine amoris Dei erga nos. Sicut enim Pater miseretur filiorum: sic Dominus miseretur timentium se, Psalm. 103.

NOSTER. Hoc pronomen rursus nos monet de fide, qua singuli statuere debent, sibi quoque Deum esse Patrem. Deinde eadem vox est commonefactio de fraterna dilectione: et quod precatio sit commune bonum Ecclesiae.

QVI ES IN COELIS. Haec particula est asseueratio de Omnipotentia Dei. Necesse est enim statuere Deum non modo velle, sed etiam posse nos iuuare, neque vel negligere nos, vel esse alligatum ordini causarum secundarum.

Qu. REGVLAE de interpretatione quatuor priorum petitionum? Resp. I. Quatuor priores petitiones intelligendae sunt relatiue. Quia etsi nomen Dei per se sanctum est, et regnum ipsius, et voluntas perficitur etiam sine nostra precatione: Tamen nostrum est petere, vt nos quoque simus sacerdotes celebrantes Deum, et ciues regni Dei, et ministri facientes grata Deo. Sic etsi bona corporalia etiam impijs suppeditantur, tamen petendum est, vt nos agnoscamus panem quotidianum Dei donum esse. — II. Singulis petitionibus addenda est Antithesis, qua petamus, non solum dari nobis bona spiritualia, sed etiam mala his opposita depelli ac remoueri, vt D. Lutherus dicere solebat: Non possum precari, quin simul oporteat imprecari.[1])

EXPLICA VERBA PRImae Petitionis. Sanctificetur nomen tuum.

NOMEN Dei significat noticiam et celebrationem Dei. SANCTIFICARE significat sacrosanctum habere, summa cum veneratione colere. H 2. Includit autem respectum ad doctrinam seu verbum Dei, quod docet, quomodo et agnosci et coli Deus velit. In pronomine TVVM singularis Emphasis est, Quia monet nos de gloria Dei anteferenda non solum nostrae gloriae, sed omnibus etiam rebus humanis.

Qu. Quae est sententia Primae Petitionis? Resp. Petimus veram Dei agnitionem iuxta verbum, quod ipse nobis tradidit iuxta Christi dictum: Sanctifica eos Pater in veritate. Sermo tuus est veritas. Deinde petimus tolli prophanationem nominis Dei, hoc est, caliginem, non agnoscentem Deum, contemptum Epicureum Dei, corruptelas doctrinae, errores, idolatriam, blasphemias, sectas, scandala.

EXPLICA VERBA SEcundae Petitionis. Adueniat regnum tuum.

REGNVM Dei in hac vita est iustitia, Pax, et gaudium in Spiritu sancto. Ro. 14. ADVENIRE est per continuos progressus augeri: donec tandem in altera vita integra fiat consummatio.

[1]) Die erste Ausg. von 1571 und die zweite von 1572 schieben me ein vor imprecari.

Qu. Quae est sententia Secundae Petitionis? Resp. Petimus effectum verbi Dei, videlicet gubernationem et consolationem Spiritus sancti: et destructionem regni Satanae. Denique consummationem Ecclesiae in vniuersali resurrectione.

EXPLICA TERTIAM Petitionem. Fiat uoluntas — — in terra.

Vetus Latina lingua voluntatem intelligit actionem, seu ipsum velle: Ita hic VOLVNTAS DEI significat ipsum velle Dei, seu hoc quod vult Deus. Collatio addita: SICVT IN COELO, SIC ET IN TERRA: monet nos de exemplo sanctorum Angelorum, qui in coelo et seruiunt Deo magna cum laeticia, et sunt Spiritus casti, humiles, veraces, et con- H 3. 10
formes voluntati seu Legi diuinae.

Qu. Quae est sententia Tertiae Petitionis? Resp. Petimus vt Deus nos flectat ad obedientiam congruentem cum ipsius voluntate: in vocatione: in priuatis moribus, et in aerumnis: Deinde vt impediat omnes actiones publicas et priuatas, repugnantes voluntati diuinae.

Qu. Quomodo fit voluntas Dei? Resp. Voluntas Dei primum fit in singulis vocationibus, quando fideliter administrantur mandata officia, iuxta dictum Pauli: Hoc requiritur in ministro, vt sit fidelis. Deinde fit in vita priuata, cum vnusquisque suos mores regit pie erga Deum, caste erga seipsum, iuste erga alios. Sicut Paulus inquit ad Titum 2. Ambulemus in hoc seculo pie, iuste, et caste. Postremo fit in aerumnis, quando iuxta Petri dictum, humiliamus nos sub potenti manu Dei, vt nos exaltet tempore oportuno.

EXPLICA QVARTAM Petitionem. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Appellatio PANIS significat quidquid ad huius corporalis vitae sustentationem pertinet. Enumeratio repetatur ex Catechiſmo Reuerendi Doctoris Lutheri. Ideo autem Panem nominamus, vt significetur mediocritas inter nimiam opulentiam, et extremam inopiam. — NOSTRVM dicimus, vt moneamur de *αὐταρχείᾳ*, id est, vt contenti simus eo, quod nobis datur, non inhiemus alienis. Quia Deus diſſimiliter distribuit bona corporalia. Neque eadem dat omnibus, neque eodem modo. — Alterum Epitheton QVOTIDIANVS, *ἐπιούσιος*, significat continuum aliquid, quo per dies singulos indigemus, quam diu hic viuimus, ab *ἐπιοῦσα*, quod significat diem crastinam seu postridianam. — Voce HODIE monemur de breuitate vitae humanae, et de Fide acquiescente in praesentibus bonis, et vetante curam prophanam et Ethnicam de futuris incertis.

Qu. Quae est ergo sententia Quartae Petitionis? Resp. Petimus H 4. victum, valetudinem, successum in laboribus, felicem gubernationem,[1]) pacem, foecunditatem terrae, felicitatem coniugij et liberorum, et quaecunque sunt vitae et vocationis nostrae adminicula. Deinde deprecamur ingratitudinem non agnoscentem haec dona Dei, aut abutentem ijs: auariciam, curam prophanam, Tentationes et laqueos Diaboli, in quos incidunt, qui volunt ditescere. Item vt depellantur a nobis fames, pestis, bella, morbi, noxiae tempestates, infelicitas politiae et Oeconomiae.

EXPLICA QVINTAM Petitionem. Remitte nobis — — debitoribus nostris.

[1]) Edit. prima hat bonum regimen.

DEBITA sunt peccata, quibus Deum offendimus, et iram aeternam meremur. Quia vt debita ciuiliter obligant ad solutionem: Ita semper reatus coniunctus est cum peccato, nisi fiat remißio. — Pronomen NOSTRA est vox perpetuae confeſsionis omnium sanctorum agnoscentium se pollutos esse vitijs et peccatis multiplicibus. — Clausula addita: SICVT ET NOS REMITTIMVS, monet nos de dilectione proximi, quae tegit aliorum infirmitates, et multas iniurias condonat publicae tranquillitati, Ecclesiae et Reipublicae.

Qu. Quae est sententia Quintae Petitionis? Resp. Fatemur omnes nos esse reos et pollutos, et petimus remiſsionem peccatorum gratis promissam propter Filium Dei, et monemus nos ipsos de nostra poenitentia, et de mutua condonatione offensionum erga alios.

Qu. Estne nostra remißio causa remißionis diuinae? Resp. Si remißio non esset gratuita, non posset dici remißio, sed potius compensatio. Et si H 5. cogitandum esset propter nostram condonationem dari remißionem, fieret incerta reconciliatio. Quanquam enim conuersi repugnant odijs, tamen aliqua semper cicatrix seu imbecillitas in nobis manet.

EXPLICA SEXTAM Petitionem. Ne nos inducas in tentationem. TENTATIO significat solicitationem aut impulsionem carnis, mundi et Diaboli, ad res quas Deus odit, et quae nobis perniciem aeternam afferunt. — In verbo, INDVCAS, phrasis Hebraea est, significans promiſsionem, Ne inducas, id est, ne sinas nos induci: Potest etiam intelligi secundum regulam: Verba Hebraeorum intelligenda sunt, cum effectu. Non inducas in tentationem, id est, ne ita sinas induci, vt opprimamur tentatione.

Qu. Quae est igitur sententia huius Petitionis? Resp. Precamur, vt Deus non sinat nos euerti opinionibus et affectibus corruptae naturae, aut Diaboli insidijs, aut minis atque illecebris mundi: Sed det nobis victoriam aduersus carnem, Diabolum et mundum, per Dominum nostrum Iesum Christum.

EXPLICA SEPTIMAM Petitionem. Sed libera nos a malo. MALVM intelligatur de malo poenae, id est, de calamitatibus priuatis et publicis, praesentibus et aeternis. — LIBERATIO significat et mitigationem, et filialem liberationem.

Qu. Quae est igitur sententia? Resp. Petimus, vt Deus corripiat nos in iudicio, et non in furore, ne ad nihilum redigamur, vt aerumnis det leuationem, ostendat testimonia suae praesentiae in depellendis periculis, et concedat nobis liberationem in bona hora, seu migrationem ex hac valle lachrymarum in aeterna tabernacula.

Qu. Explica verba Epilogi: Quia tuum est regnum, tua potentia, H 6. tua gloria. Resp. MENTIO REGNI alludit ad officium regis, qui debet tueri, et fouere subditos. — POTENTIA opponitur infirmitati nostrae, et indigentiae, et Deum ad commiserationem exuscitat. — GLORIA significat causam finalem, videlicet quia et nos confeſsione nostra eam celebraturi sumus, et quia Diaboli et hostes Dei blasphemi refutantur cum Deus adest et opitulatur Ecclesiae.

Qu. Quae est sententia Epilogi? Resp. Confirmatio est παθητική mouens atque impellens Deum vt nos exaudiat, sumptis argumentis ab honesto, a facili, et a causa finali. Tu vis nobis dona dare, Quia rex noster es, Nos

populus tuus, Nos infirmi et miseri, Tu potens es. — Gloria nominis tui agitur, ne quando dicant inter Gentes, vbi nunc est Deus ipsorum? Nos vicifsim gratias tibi agemus, et annunciabimus laudem tuam in seculum seculi.

Qu. Cur additur AMEN? Resp. AMEN Hebraea vox est, significans certitudinem alicuius rei. Opponitur autem hoc Epiphonema dubitationi, quae disputat an nostri gemitus exaudiantur. Estque velut obsignatio precum, qua orans testatur se certa fide et spe pendere a Deo, et sine dubitatione expectare bona salutaria, iuxta promißionem, iuramento Christi confirmatam: Amen, Amen, Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

DE POENITENTIA ET ABSOLVTIONE,

quae est Pars Quarta Christianae Catecheseos.

Qu. Quid est Poenitentia? Resp. POENITENTIA significat totam conuersionem ad Deum, quae est expauescere et dolere agnitione irae Dei aduersus peccata nostra, et rursus erigi fide accipiente remifsionem peccatorum fiducia Filij Dei, et in hac fide inchoare nouam obedientiam. H 7.

Qu. Quae sunt partes Poenitentiae? Resp. Tres. CONTRITIO, FIDES, NOVA OBEDIENTIA.[1])

Qu. Quid est Contritio? Resp. Est vere expauescere agnitione irae Dei aduersus peccata nostra, et dolere quod Deum offendimus.

Qu. Quid est Fides? Resp. FIDES est assentiri omni verbo Dei nobis tradito, et in hoc, promifsioni gratiae: et est fiducia promissae misericordiae, qua cor propter Mediatorem et per eum, liberatur ex doloribus inferorum, et accedit ad Deum, et inuocat eum clamans Abba Pater, et hac vera consolatione acquiescit in Deo per Filium, dato Spiritu sancto.

Qu. Quid est noua Obedientia? Resp. NOVA OBEDIENTIA proprijfsime est iuxta Pauli definitionem Militare bonam militiam, retinere fidem et bonam conscientiam.

Qu. Est ne praedicatio poenitentiae sumenda ex Lege vel ex Euangelio? Resp. POENITENTIA ex Lege tantum est dimidium poenitentiae, inquit Lutherus. Quia sine Euangelij declaratione, nec vera, nec integra est poenitentia, quae tantum ex Lege praedicatur.

EVANGELIVM vero recte dicitur praedicatio poenitentiae, videlicet seruata partium distinctione et cuiusque partis proprietate.

Qu. Quid igitur de singulis partibus Poenitentiae docet Lex, quid Euangelium? Resp. In Lege proponitur accusatio omnium peccatorum, videlicet, quae sunt violationes mandatorum Legis. Inde igitur ordiendae sunt Conciones poenitentiae. Sed dolores, qui oriuntur ex Lege, tantum seruilem timorem efficiunt. Quare vt Contritio sit salutaris, et excitetur filialis timor, Legis concionem, quae simpliciter est vox condemnationis et maledictionis, temperari necesse est ex Euangelio, quod proponit spem veniae peccatoribus, et monstrat ideo Deum concludere omnes sub peccatum, vt omnium misereatur. H 8.

De fide Lex nihil dicere potest, ante reuelationem Euangelij, sed haec pars poenitentiae tota est ex Euangelio.[2]) Quia Lex de Mediatore, quo fides tantum nititur,

[1]) Ausg. von 1572 a. R.: Distinctio partium poenitentiae oppugnata a Jenensibus extat in Examine Theologico, Corpor. doctrinae, fol. 793. et alibi passim.

[2]) Ausg. v. 1572 a. R.: Quod incredulitas in Filium Mediatorem arguatur proprie ab Euangelio, arrosum a Jenensibus, extat in Ennarratione Philippi in 16. cap. Iohannis, editione Argentoratensi, pag. 706 et 708.

sine Euangelio nihil docet. Ideo etiam Lex peccatum illud summum, maximum, vltimum, et nulla satisfactione piandum in tota aeternitate, videlicet ignorationem Filij, incredulitatem, contemplum Filij et desperationem, non arguit, sed hoc peccatum ex solo Euangelio patefit et arguitur.

Postremo Lex perpetua norma est nouae obedientiae, etiam in renatis, ostendens, quae opera sint facienda: Sed in Euangelio tantum monstratur, quomodo fieri bona opera poßint in tanta infirmitate naturae nostrae, in tantis Diaboli insidijs, et in tanta periculorum mole, quae vitae et vocationis nostrae cursum impediunt. Deinde quomodo studium inchoatae obedientiae placeat Deo, et quomodo inchoatae virtutes fiant cultus Dei: Cum et in sanctis semper maneant reliquiae peccati, et virtutes omnes in hac vita sint imperfectae et languidae, nec satisfaciant legi postulanti integram conformitatem cum Deo.

Qu. Quid differunt timor seruilis et Filialis? Resp. TIMOR DEI SERVILIS est fuga, et fremitus aduersus Deum sine fide, Talis est contritio in Cain, Saul, Iuda. TIMOR DEI FILIALIS est verus pauor et dolor animi consternati sensu irae DEI et metu poenarum, ad quem accedit Fides, quae inter pauores erigit et consolatur corda, et accedit ad Deum, petit et accipit remiſsionem. Talis est contritio Petri et omnium Sanctorum in tota vita, et haec fit opus Deo placens et cultus Dei: iuxta dictum: Sacrificium est Deo Spiritus contritus.

Qu. Quid est cultus Dei? Resp. CVLTVS DEI est opus mandatum a Deo, factum in Fide, id est, vera agnitione et fiducia Mediatoris, quod refertur ad hunc finem, vt Deo tribuatur honos, id est, vt testemur hunc vere esse Deum, quem sic colimus, et eum sic velle coli.

J 1. Qu. Quid docent Papistae de Poenitentia? Resp. Partes poenitentiae constituunt. Contritionem cordis, Confeßionem oris, Satisfactionem operis. Omittunt igitur fidem, quae est praecipua pars verae poenitentiae, et illis ipsis partibus, quas recensent, addunt horribiles errores, vt explicatur alibi copiosius.

Von des Menschen Elend.

2. Fr. Was ist des Menschen Elend? **A.** Daß er ein armer Sünder ist und durch die Sünde die ewige Verdammnis verdienet hat.

3. Fr. Woher erkennt man die Sünde? **A.** Aus den zehen Geboten Gottes, welche kein Mensch halten kann, weil sie nicht allein einen äußerlichen, sondern auch einen innerlichen, vollkommenen Gehorsam des ganzen Menschen erfordern.

4. Fr. Woher weiß man, daß man wegen der Sünd verdammt sei? **A.** Aus dem Fluch Gottes, der allen Uebertretern der zehen Gebot gedräuet ist.

5. Fr. Woher kommt aber solch Elend, daß wir so arme Sünder sind? **A.** Aus dem Fall und Ungehorsam unser ersten Eltern Adam und Eva im Paradeis.

Von des Menschen Erlösung.

6. Fr. Wie werden wir von solchem Elend wieder erlöset? **A.** Gott hat uns seinen eingebornen Sohn Jesum Christum geschenkt, der unser Erlöser und Seligmacher worden ist.

7. Fr. Ist nur ein Gott? **A.** Ja, es ist ein einiger Gott in dreien unterschiedlichen Personen, nämlich Gott der Vater und der Sohn und der h. Geist, wie uns die Artikel unsers christlichen Glaubens und die h. Taufe lehren.

8. Fr. Wer ist Jesus Christus? **A.** Er ist der eingeborn Sohn Gottes und Mariä, wie in den Artikeln des Glaubens stehet, das ist, er ist wahrer Gott und wahrer Mensch in einer Person.

9. Fr. Warum hat er müssen ein wahrer Mensch sein? **A.** Daß er für uns könnte den Tod leiden.

10. Fr. Warum hat er müssen wahrer Gott sein? **A.** Daß er den Tod könnte überwinden und das ewige Leben wieder geben.

11. Fr. Womit hat er uns erlöset? **A.** Durch sein Leiden, Sterben und Auferstehung.

12. Fr. Wie werden wir aber solcher Erlösung teilhaftig? **A.** Allein durch wahren Glauben.

13. Fr. Was ist wahrer Glaube? **A.** Es ist eine gewisse Zuversicht und herzliches Vertrauen auf die Verheißung Gottes, daß er uns um Christi willen gnädig sei.

14. Fr. Woher können wir solcher Zuversicht gewiß sein? **A.** Aus der Verheißung des Evangelii: „Wer an den Sohn glaubet, der hat das ewige Leben."

15. Fr. Weil wir Christi und unser Erlösung durch den Glauben teilhaftig werden, wozu dienen die Sacramente? **A.** Sie dienen zu Stärkung unsers Glaubens.

Von der Dankbarkeit.

16. Fr. Wie soll ein Christ Gott für solche Erlösung dankbar sein? **A.** Mit einem christlichen Leben und gläubigen Gebet.

17. Fr. Wie lebet man christlich? **A.** Daß man gute Werke tue.

18. Fr. Was sind gute Werke? **A.** Die Gott geboten hat, und aus rechtem Glauben Gott zu Ehren geschehen.

19. Fr. Warum soll man gute Werk tun? **A.** Nicht, daß man könnte dadurch selig werden, sondern daß man sich dankbar gegen Gott erzeige, weil sie von ihm geboten und Zeugnis sind unsers Glaubens.

20. Fr. Wie soll man Gott mit dem Gebet dankbar sein? **A.** Man soll Gott in allen Nöten anrufen und ihn für alle seine Wohltaten preisen.

Hierauf wäre nicht zu widerraten, wenn sonderlich der Catechismus in ein kurz Manual für die Kinder sollte besonders gedruckt werden, daß man die fünf Hauptstück aus dem Gesangbüchlein verordnete und mit dazu drucken ließ. Steht zu bedenken.

33. Georg Walthers Beicht- und Betbüchlein von 1581.

Beicht vnd Bettbůchlein, Darinn schöne vnd kurtze erklerung in Frag vnd antwort auß dem Catechiſmo Lutheri vnd andern Schrifften gezogen . . . durch . . . M. Georgium Walther, Prediger zu Hall in Sachssen. Getruckt zu Franckfurt am Mayn M. D. LXXXI.

Fürneme stück der christlichen Lere, die denen sollen bekannt sein, die Beichten wöllen. C 4.

Wer ist Gott der Herr — Wie viel seind Götter — Wieuil seind Personen der Gottheit — Wer hat Himmel vnd Erden vnd dich selber geschaffen — Wer erhelt solches noch heutiges tages — Ist die Sünde auch von Gott geschaffen — Wo kömpt sie denn her — Was ist die Sünde — Bistu auch ein Sünder — Woher weistu das — Was verdienet man mit der Sünde — So hettestu auch Gottes zorn vnd straffe verdienet — Ist dir denn solches auch leid — Wiltu in solchen deinen Sünden fürsetzlich, wider dein Gewissen, verharren — Wes tröstu dich deiner Sünden halben — Wer ist Christus — Wie so tröstestu dich desselbigen — Womit hat er dich von sünden erlöset — Ist er denn auch für dich gestorben — Was hat denn Christus dir erworben mit seinem Leiden vnd Sterben — Was heist gerechtfertiget oder selig sein — Wie wirstu theilhafftig deß Leidens Christi — Kanstu auß eigenen krefften vnd vermügen gleuben — Welchen Menschen gibet Gott den Glauben (denen, die sich zum Wort vnnd Sacrament halten vnnd darumb jhn anruffen Luce 11. Mar. 9) — Wie bistu solchs deines glaubens gewiß, daß dir Gott vmb Christi willen gnedig sey vnd deine Sünde vergebe (durch die Taufe, das Abendmahl vnd die Absolution) — Was heißt glauben — Wie erlanget man den glauben — So machet dich der Glaube allein gerecht vnd selig, vmbsonst auß gnaden — Das beweise mit einem schönen Spruch — Das beweise auch mit einem schönen Exempel (Schächer am Kreuz) — Helffen vns die Wercke nicht zur seligkeit — Was sindt denn die Werck nütze, so sie nicht selig machen — So bist du schüldig, gute Werck zuthun — Kan auch da ein glaube sein, da man mutwillig in Sünden verharret wider das Gewissen — Welches sind die rechten guten Wercke — Welcher Menschen werck gefallen Gott — Warumb sol man gute werck thun — Was sol vns bewegen zu guten wercken vnd Gottseligem leben?

Vom Catechiſmo.

Fr. Sind die jenigen auch rechte Christen, die nichts wissen noch verstehen vom Catechiſmo? **A.** Nein.

Fr. Sol man solche zum Sacrament lassen? **A.** Nein. D 3.

Fr. Wie viel sind Hauptstücke der Christlichen Lehre Oder vnsers Catechiſmi? **A.** Fünffe.

Fr. Welches ist das erste Hauptstück vnsers Catechiſmi? **A.** Die zehen Gebott.

Fr. Welches ist das ander Hauptstück? **A.** Die Artickel deß Christlichen glaubens.

Fr. Welches ist das dritte Hauptstück? **A.** Das Gebet, das vns Christus selbst gestellet hat, Nemlich vom Vatter vnser.

Fr. Welches ist das vierdte Hauptstück? **A.** Das Sacrament der heiligen Tauffe.

Fr. Welches ist das fünffte Hauptstück? **A.** Das Sacrament deß Leibs vnnd Bluts vnsers Herrn Jhesu Christi.

Vom ersten Stück des Catechiſmi.

Fr. Wie lautet das erste stück vnsers Catechiſmi von den zehen Gebotten? **A.** Das erste gebott: Du solt nicht andere — — neben mir. Das ander: Du solt den Namen Gottes etc. Vollent gar zuerzehlen.

Fr. Was leret das erste Häuptstück von der Christlichen Lehre von den zehen gebotten? **A.** Das wir alle arme Sünder sind vnd was wir thun vnd lassen sollen.

Fr. Wie werden die zehen Gebott getheilet? **A.** In zwo Taffel.

D 5. **Fr.** Welche Gebott stehen in der ersten Taffel? **A.** Das erste, das ander vnd das dritte.

Fr. Welche Gebott stehen in der andern Taffel? **A.** Die andern folgenden sieben Gebott.

Fr. Was lehret die erste Taffel der zehen Gebott? **A.** Wie man sich gegen Gott halten sol.

Fr. Was lehret die ander Taffel der zehen Gebott? **A.** Wie man sich gegen den Menschen halten sol.

Vom ersten gebott Gottes. **Fr.** Wie heisset das erste gebott? **A.** Du solt — — haben.

Fr. Was ist das? **A.** Wir sollen Gott vber alle ding fürchten — — vertrauwen.

Fr. Wie singet die Kirche vom ersten Gebott? **A.** Ich bin allein dein Gott vnd Herr, Kein Götter soltu haben mehr, Du solt mir gantz vertrawen dich, Von hertzen grund lieben mich.

Fr. Was lehret das Erste Gebott? **A.** Wie man sich gegen Gott mit dem hertzen verhalten sol.

Fr. Was verbeut Gott im Ersten gebott, daß wir lassen sollen? **A.** Wir sollen nicht andere Götter haben.

Fr. Was heisset andere Götter haben? **A.** Wenn man etwas von Gold, Silber, Holtz oder Stein für ein Gott helt, anbetet vnd ehret, wie die Iſraeliter das Gülden Kalb vnd die Babylonier den Gülden man. Item, wo man sich vnterstehet, durch gute werck selig zu werden vnd

D 6. sich derselbigen trösten, wie der Phariseer, Luce 18. Oder etwas mehr liebet oder mehr sein vertrauwen vnd trost darauff setzet denn auf Gott den Herren.

Fr. Was gebeut oder erfordert Gott, daß wir thun sollen? **A.** Wir sollen Gott vber alle ding fürchten, Lieben vnd vertrawen.

Fr. Was heisset Gott fürchten? **A.** Für dem jenigen sich hüten, was Gott gebotten hat, damit man jhn nicht erzürne.

Fr. Was heist Gott lieben? **A.** Das jenige thun, daß Gott gebotten hat, damit man jm zu gefallen lebe.

Fr. Was heisset Gott vertrauwen? **A.** Gleuben, daß er vns alles geben werde, was wir bedürffen, vnd vns in keiner noth verlassen.

Fr. Was sol vns bewegen, also nach dem ersten Gebott zuthun? **A.** Die acht stucke, die nach den Beschluß der zehen Gebotten gesetzt sind. Zum andern, daß die Abgöttische Gottes Reich nicht erben werden, wie Paulus sagt 1. Corinth. 6. Zum dritten, das Gott vmb der Abgötterey willen, welche die Iſraeliten mit dem gegossenen Kalbe begangen hatten, drey tausent mann hat lassen erwürgen 2. Mos. 32.

Fr. Warumb stehet hierbey, wir sollen vber alle Ding Gott fürchten? **A.** Daß es nicht vnrecht ist, das man die Menschen fürchtet und liebet, allein, daß man sie nicht so sehr fürchte vnd liebe als Gott.

Fr. Wozu dienet das erste Gebott? **A.** Daß wir mit vnsern hertzen D 6. allein an Gott hangen vnd bey jhm allein die seligkeit, trost vnd hülffe suchen vnd nit bey den Creaturen, vnnd in keiner noth verzagen.

Vom andern Gebott. **Fr.** Wie heisset das ander Gebot? **A.** Du solt den Namen deines Gottes nicht vnnützlich führen. Was ist das? Wir sollen — — dancken.

Fr. Wie singt die Kirche vom andern Gebott? **A.** Du solt nicht führen zu vnehrn Den Namen Gottes, deines Herrn, Du solt nicht preisen recht noch gut, Ohn was Gott selbs red vnd thut, Kyrioleiß (sic!).

Fr. Was leret das ander Gebott? **A.** Wie man sich gegen Gott halten soll mit dem munde.

Fr. Was heisset Gottes Name? **A.** Alles, was Gott gestifft, wirckt vnd thut, Nemlich sein Name, wesen, Ampt, wercke, Leiden, wort vnd Sacrament vnd alle Creaturen, die er geschaffen.

Fr. Was heisset Gottes Namen vnnützlich führen? **A.** Denselbigen zu vnnützen vnd vnnötigen vnd bösen sachen gebrauchen.

Fr. Was verbeut Gott im andern gebott, daß wir lassen sollen? **A.** Das Fluchen, Schweren, Zaubern, ligen vnd triegen.

Fr. Was heisset Fluchen? **A.** Mit Gottes namen, mit Christo, D 7. seiner Marter, Leiden, Wunden, Sacrament vnd seinen wercken dem Nehesten arges wündschen vnd solchs vergeblich führen.

Fr. Was heisset Schweren? **A.** Gott zum gezeugen anruffen, daß wir mit rechten sachen vmbgehen vnd sich seiner straffe vnterwerffen, wo man mit vnwarheit vmbgehe.

Fr. Ist denn alles Schweren verbotten? **A.** Nein, sondern allein das Leichtfertige vnnd Gottlose schweren vnd da man dem Eyde nicht nachkommet, der Göttlich vnd müglich ist.

Fr. Was heisset Zaubern? **A.** Durch deß Teuffels gespenst mit Gottes namen, mit Segnen, Zeichen, Creutzen vnnd sonderlichen worten oder durch andere abergleubische wege sich vnterstehen, etwas außzurichten, oder zu den Zeuberern, warsagern, Christallensehern gehen.

Fr. Was heist liegen in diesem andern Gebott? **A.** Gottes wort felschlich außlegen vnd anziehen, denn von dem liegen für dem Nehesten wirdt im achten Gebott gesagt.

Fr. Was heisset triegen im andern Gebott? **A.** Eusserlich Gottes Namen zum schein füren Vnd doch es nicht im hertzen meynen, denn von dem betriegen deß Nehesten wirdt im siebenden gebott gesagt.

Fr. Was gebeut vnd foddert Gott von vns im andern Gebott, daß wir thun sollen? **A.** Daß wir jn in allen nöten anruffen sollen, beten, loben vnd dancken.

Fr. Was sol vns bewegen, also nach dem andern Gebott zuthun? **A.** Die acht stück, die bey dem Beschluß der zehen Gebott gemeldet D 8. werden. Zum andern, daß Gott sonderlich bey diesem Gebott also saget, das vmb kürtze willen aussen gelassen wirdt, daß Gott der HErr den nicht vngestraffet lassen wil, der seinen Namen mißbrauchet 2. Mos. 20. Zum dritten, daß Gott befohlen hat, den jenigen mit steinen zu todt

zuwerffen, der da geflucht hatte 3. Mos. 23. Zum vierdten, daß die Zeuberer Gottes reich nicht erben sollen Galat. 5.

Vom dritten Gebott. **Fr.** Wie heist das dritte Gebot? **A.** Du solt — — hören vnd lernen.

Fr. Wie singt die Kirche vom dritten Gebot? **A.** Du solt heiligen den Siebenden tag, Daß du vnd dein Hauß ruhen mag; Du solt von deim thun lassen ab, Daß Gott sein werck in dir hab.

Fr. Was leret das dritte Gebott? **A.** Wie man sich gegen Gott halten sol mit eusserlichen Wercken, Ceremonien und Gottesdiensten. D. Luthers Betbüchlin.

Fr. Was wirdt vnter dem wort Feyertag verstanden? **A.** Alle Sontage vnd alle Feste.

Fr. Wie heiliget man den Feyertag? **A.** Wenn man von der E 1. Arbeit sich enthelt vnnd denselbigen mit heiligen Göttlichen Dingen zubringet, als wenn man die predigten höret, Geistliche lieder singet, zum Sacrament gehet, betet, in der Bibel lieset vnd deßgleichen.

Fr. Was gebeut oder erfordert Gott im dritten Gebott, daß wir thun sollen? **A.** Daß wir die Predigten, Gottes wort gerne hören.

Fr. Was verbeut Gott im dritten Gebott, daß wir lassen sollen? **A.** Daß wir die Predigt vnnd Gottes wort nicht verachten noch den Feyertag mit Sünden zubringen sollen.

Fr. Was sol vns bewegen, also nach dem dritten Gebott zuthun? **A.** Die 8 Stücke, die hernacher folgen. Zum 2., daß Gott befohlen hat, den jenigen zu steinigen, der am Feyertage Holtz auffgelesen hatte. Zum dritten, daß es nichts an der nahrung hindert, sondern viel mehr segen bringet, denn Gott den Sabbath geheiliget hat 1. Mos. 2.

Fr. Worzu dienet das dritte Gebott? **A.** Daß die eusserlichen Gottesdienst jhm zu ehren vnd vns zur Seligkeit erhalten werden.

Vom vierdten Gebott. **Fr.** Wie heist das vierdte Gebott? E 2. **A.** Du solt — — auff Erden. Wir sollen Gott — — werdt halten.

Fr. Wie Singet die Kirche vom 4. Gebott? **A.** Du solt ehrn vnd gehorsam sein dem Vatter vnd der Mutter dein vnd wo dein hand zu dienen kan, So wirstu langes leben han.

Fr. Was lehret das Vierdte Gebott? **A.** Wie wir vns halten sollen gegen vnsern Oberherrn, denen wir vnterworffen seind.

Fr. Wer ist zuuerstehen vnter Vatter vnd Mutter? **A.** Vnsere Oberherrn vnd alle, die vber vns zu gebieten haben als Prediger, Regenten, Eltern, Fürmünder, Schulmeister, Herrn vnd Frauwen.

Fr. Was heist Ehren? **A.** Die Eltern vnd Oberherrn lieb vnd wert haben, jhnen dienen vnnd gehorchen, wie Syrach lehret im 2. Capitel.

Fr. Was gebeut oder erfoddert Gott in diesen vierdten gebott, daß wir thun sollen? **A.** Wir sollen vnsere Eltern vnd herrn in Ehren halten, jhnen dienen, gehorchen, sie lieb vnd werd haben.

Fr. Was verbeut Gott im vierdten Gebott, daß wir lassen sollen? **A.** Wir sollen vnsere Eltern vnd Herrn nicht verachten, erzürnen noch betrüben.

Fr. Was sol alle Kinder bewegen, daß sie also Vatter vnnd Mutter Ehren? **A.** Die acht stücke, die nach den Zehen Gebotten

folgen. Zum andern, daß Gott bey diesem vierdten Gebott verheisset, E 3.
daß es jnen wolgehen solle vnd daß sie lange leben sollen auff Erden, das ist, daß er jhnen in dieser Welt seinen Göttlichen segen verleihen wölle. Zum dritten, daß Gott allezeit die vngehorsame Kinder gestrafft hat, als Cain, Heli Kinder vnd Absolon. Zum vierdten, daß die Schrifft meldet, daß die Kinder verfluchet vnd verdampt sind, die jhren Eltern fluchen oder sie schlagen.

Fr. Worzu dienet das vierdte Gebot? **A.** Daß alle Stende in jhrer Ordnung stehen vnd besser erhalten werden.

Vom V. Gebott. **Fr.** Wie heist das fünffte Gebott? **A.** Du solt — — in allen Leibsnöten.

Fr. Wie Singet die Kirche daruon? **A.** Du solt nicht Tödten zorniglich, nicht hassen noch selbst rechen dich, Gedult haben vnd sanfften mut vnd auch dem Feinde thun, das gut.

Fr. Was lehret das fünffte Gebott? **A.** Wie wir vnns gegen deß Nehesten leib vnd leben halten sollen.

Fr. Was heisset Tödten? **A.** Nicht allein tödtlich jhn beschedigen an seinem Leibe, sondern auch mit jhm zürnen vnd zu jm Racha vnd du Narr sagen, das ist, jhn lestern vnnd heßlich geberde gegen jhm führen, wie es Christus erkleret Matth. 6.

Fr. Was verbeut Gott in diesem fünfften Gebott, daß wir lassen E 4.
sollen? **A.** Daß wir vnserm Nehesten an seinem Leibe keinen schaden noch leid thun sollen.

Fr. Was heist dem Nehesten leide thun? **A.** Denselbigen erzürnen vnd betrüben, daß er darüber erbittert, bekümmert vnd also beweget wirdt, daß er darüber in Kranckheit fellt, wie sichs offt zutregt.

Fr. Was gebeut oder foddert Gott in dem fünfften Gebott, daß wir thun sollen? **A.** Wir sollen vnserm Nehesten in allen Leibsnöten helffen.

Fr. Wie geschicht solches? **A.** Wenn man jhm nicht (sic!) zu hülffe kompt, im Wasser, Feuwers nöhten, Kranckheiten mit essen vnnd trincken, warten, labsall vnd dergleichen.

Fr. Was sol vns bewegen, nach dem fünfften Gebott zu leben? **A.** Die 8 Stücke, die nach den Zehen Gebotten folgen. Zum 2., das Gott saget: Wer menschen Blut vergeust — — vergossen werden 1. Mos. 9. Zum 3., daß Paulus leret, daß kein Todschleger Gottes reich erben werde, Gala. 5. Zum 4., daß Christus saget, daß der für Gott ein Todtschleger sey, der mit seinem Nehesten zürnet, vnnd darumb deß gerichts schüldig sey, Matth. 5. Zum 5., daß ein vnbarmhertziges Gericht vber den jenigen ergehen wird, der nicht Barmhertzigkeit gethan hat, Jacob. 2.

Fr. Worzu dienet das fünffte Gebot? **A.** Daß deß Menschen leib E 5 40
vnd leben besser erhalten vnd verwaret werde.

Vom Neundten vnd Zehenden Gebott. **Fr.** Wie heist das Neundte Gebott? **A.** Du solt nicht begeren — — fürderlich vnd dienst- F 2.
lich sein. **Fr.** Wie heist das zehende Gebott? **A.** Du solt nicht begeren — — nicht abspannen, Sondern dieselbigen — — schüldig sind.

Fr. Wie singet die Kirche daruon? **A.** Du solt deines Nehesten Weib vnd Hauß — — wie dir dein hertz selber thut.

Fr. Was leren diese beyde letzte Gebott? **A.** Wie man die vorgehende 8 Gebott verstehen sol, nemlich also, daß sie nicht alleine die

eusserliche grobe sünde, sondern auch die innerlichen bösen lüste vnd begirden verbieten vnnd straffen vnd nicht allein eusserliche, sondern auch innerliche gute wercke im hertzen vnnd gedancken erfoddern.

Fr. Worzu dienet solches zu wissen? **A.** 1. Daß man das siebende Gebott besser verstehe vnnd nicht dencke, daß das grobe stelen allein drinnen verbotten. 2. Daß man erkenne, daß auch die bösen gedancken F 3. vnd begirden sünde seyn vnnd von Gott ernstlich verbotten, daß man den nicht nachhenge vnd dieselbigen für Gott erkenne vnd abebitte. 3. Damit man sich besser für der that hüte.

Fr. Was verbeut das Zehend Gebott? **A.** Daß man nicht begeren sol deß Nehesten oder sein Gesinde vnd dasselbige jhm nicht abspannen.

Fr. Was fodert es? **A.** Das man eines andern Weib vnd Gesind vermanen sol, daß es bleibe vnd thue, was jm zustehet.

Fr. Worzu dienet solches? **A.** Daß wir das 6. Gebot besser verstehen vnnd erkennen, daß auch die vnzüchtige lüste vnnd gedancken verbiete; Item, daß wir vnsern bösen lüsten nicht weiter nachhengen vnd dieselben Gott abebitten, damit wir besser Gottes Gebott halten mögen.

Vom Beschluß der Zehen Gebott. **Fr.** Was sagt nun Gott von diesen Geboten allen? **A.** Er sagt also — — gerne thun nach seinen Gebotten.

Fr. Ist denn Gott zornig? **A.** Ja, das hörestu wol an seinen Worten.

Fr. Sagt doch sonst die Schrifft, daß Gott gütig, gnedig vnd Freundlich sey? **A.** Ja, das mustu verstehen von denen, die seine Gebote halten, vnnd von diesen, die da Busse thun, wo sie gefallen sind, an Christum gleuben vnnd von Sünden abstehn.

Fr. Zürnet denn Gott nicht mit allen Menschen? **A.** Nein, sonderlich [nicht] mit denen, die an Christum gleuben vnnd nach sein Gebotten leben.

---

34. M. Hier. Hahns Christliches Kleinod von 1595 resp. 1596.

Christlich Kleinod. DArinnen Fragen vnd Antwort mit schönen herrlichen Sprůchen aus dem Alten vnd newen Testament von den fůrnembsten Heuptstůcken Christlicher Lehr . . . Vor . . . Christian Wilhelm . . . des . . . Joachim Friederichs, des Primats vnd Ertzstiffts Magdeburgk Postulirten Administratorn, ... geliebten Jůngstem Sohne etc. Verfasset durch S. F. G. verordneten Praeceptorem M. Hieronymum Hahn, Joachimicum.

A 7. **Kurtze nothwendige Fragen vnd Antwort von den fürnembsten Heubtstücken Göttlicher Lehre neben schonen vnd herrlichen Sprüchen Heiliger Schrifft.**

I. Vom hochsten gut in dieser Welt.

Fr. LIeber, sagt mir, welches ist das höchste Gut in dieser Welt? **A.** Gottes Erkendtnüß.

Fr. Warumb? **A.** Darumb, dieweil darauff das ewige leben beruhet vnd stehet.

Fr. Seid jhr des gewiß? **A.** Ja, ich bins gewiß, Denn Christus, Gottes vnd Marien Sohn, welcher die Warheit selber, Ja auch mein Erlöser vnd Seligmacher ist, spricht Johan. 17: Das ist das ewige Leben, das sie dich — — erkennen.

Jerem. 9: So spricht der HERR: Ein Weiser rühme sich nicht — — spricht der HERR.

Im Buch der Weißheit am 15. Capittel: Dich, O Gott, kennen — — Wurtzel des ewigen Lebens.

An die Ephes. 3: Christum lieb haben ist besser denn alles wissen.

Wer Jesum Christum recht erkendt,
Der hat sein zeit wol angewendt.
All kunst vnd witz ist eitel Staub,
Die höchst Weißheit ist: an Christum glaub.
Wer nur dich hat, dein Wort vnd huldt,
Ist besser denn viel Tausend stück Goldt.
Der höchst schatz deines Sohnes Blut,
Gotts geringste gab ist Geld vnd Gut. A 8.
Gottes des Vaters höchstes Gut,
Des Sohnes Gottes thewres Blut,
Des H. Geistes werder Muth,
Das ist vnser höchstes Erbgut.
Ich bin getaufft auff Christi Blut,
Das ist mein Trost vnd höchstes Gut.
Des tröst ich mich in aller noth,
Trotz dem Teuffel, der Sünd vnd Todt.

II. Von GOTT.

Fr. Weil dann auff Gottes Erkendtnüs das ewige leben stehet, so sagt mir, was ist Gott? **A.** Gott ist ein Ewiges, Allmechtiges, Göttliches Wesen in dreyen vnterschiedenen Personen.

Fr. Sind auch mehr Götter als einer? **A.** Nein. Es sind nicht mehr als ein einiger Gott.

Fr. Beweiset mir mit etlichen Sprüchen aus der heiligen Schrifft, das nur ein einiger Gott ist. **A.** Im 5. Buch Mosis am 6. Capitel: Höre, Israel — — einiger Gott.

Esa. 44: Ich bin der erste — — ausser mir ist kein Gott.

Esa. 45: Ich bin der HERR vnd keiner mehr.

1. Corinth. 8: So wissen wir, das kein ander GOtt sey denn der einige.

An die Ephes. am 4.: Es ist ein HErr, ein Glaube — — vnd in euch allen.

1. Timoth. 2: Es ist ein Gott vnd ein Mitler zwischen Gott vnd den Menschen.

Von der Heiligen Dreyfaltigkeit. **Fr.** Wie viel sind Personen in der einigen Gottheit? **A.** Drey. B 1.

Fr. Wie heissen sie? **A.** Die erste heist Gott der Vater: Die ander heist Gott der Sohn, Die dritte heist Gott der H. Geist.

Fr. Woher wolt jrs beweisen, das drey vnterschiedliche Personen sein in dem einigen Göttlichen wesen? **A.** Aus der H. Schrifft.

Im Alten Testament: Im 1. Buch Mosis am 1. Capittel: Im Anfang schuff Gott Himmel — — vnd Gott sprach etc. Item: Gott sprach: Last vns Menschen machen, ein Bild, das vns gleich sey.

Gen. 18: Der Patriarch Abraham sicht 3 Menner vnd betet dieselben als einen an.

Im 4. Buch Mosis am 6. Capittel vnd im 67. Psal.: Der HErr segne vnd behüte dich — — vnd gebe dir friede.

Im 33. Psalm: Der Himmel ist durchs Wort des HERRN — — Geist seines Mundes.

Esaiae am 6. Capittel Wird das wörtlein Heilig dreymal gesetzt: Heilig, Heilig, Heilig ist der HERR Zebaoth.

B 2. Haggei am 2.: Ich bin mit euch, spricht der HErr Zebaoth -- — Fürchtet euch nicht.

Im Newen Testament: Matth. am 3. In der Tauff Christi erschallet eine Stimm vom Himel vnd sprach: Diß ist — — wolgefallen habe. Vnd der Geist Gottes schwebet sichtbarlich vber dem Sohne Gottes in gestalt einer Tauben.

Matth. am letzten: Gehet hin in alle Welt — — vnd des H. Geistes.

Also in der verklerung des Herren Christi auff dem Berg seind eben die 3 Personen des einigen Göttlichen wesens vnterschiedlich erschienen.

Johan. am 14.: Ich wil den Vater bitten — — andern Tröster geben.

Johan. am 15.: Wenn der Tröster kommen wird — — zeugen von mir.

2. Cor. 13.: Die Gnade vnsers HERREn Jesu Christi — — mit euch allen. Amen.

An die Gala. 4: Weil jhr denn Kinder seidt — — Abba, lieber Vater.

B 3. An die Ephes. 2: Durch Christum haben wir den zugang in einem Geist zum Vater.

An die Ephes. 3: Ich beuge meine Knie gegen dem Vater — — durch seinen Geist.

1. Johan. am 5.: Drey sind, die da zeugen im Himmel — — Vnd die drey sind eins.

Fr. Wo gleubet die Christliche Kirch, neben andern Artickeln zur Seligkeit gehörig, das nur ein einiger Gott sey vnd dann drey vnterschiedliche Personen in der Gottheit? **A.** Solches thut sie in jhren drey Heupt Symbolis oder bekendtnissen, welche sie eintrechtiglich brauchet.

[Nun kommt der Wortlaut des Symb. Apost., Nicaenum et Athanasianum.]

Fr. Nach dem ich nun gewiß bin durch zeugnuß der H. Schrifft, das nur ein einiger Gott vnd drey vnterschiedene Personen in demselben Göttlichen wesen sey, so frage ich, wie werden diese Personen vnterschieden? **A.** Erstlich also: Nach wesentlicher eigenschafft, Denn die erste Person, Gott der Vater, zeuget den Sohn von ewigkeit; Die ander Person, Gott der Sohn, wird vom Vater in ewigkeit geboren; Die dritte Person, Gott der H. Geist, gehet aus vom Vater vnd Son in ewigkeit. Darnach zum andern werden sie vnterschieden nach jhrer art Wercke vnd Empter gegen vns: Als: Gott der Vater wird nicht gesandt in die Welt, Sondern er sendet seinen Sohn, das er offenbare das Euangelium, auch Menschliche Natur an sich nehme vnd vnser Mitler vnd Heyland sey, der vns ewig Gerecht vnd Seelig mache. Der Heilige Geist aber wird gesandt in die Hertzen der Gleubigen, in welchen er anzündet ein

Newes Liecht, rechtes erkendtnüß Gottes, Widergebiert, Heyliget, Tröstet vns in allen nöten, Wircket Lieb vnd Frewde vnd Regieret vns, damit wir hie dieses Leben Gottselig vnd Heilig zubringen mögen.

---

35. Der Parvus Catechismus des M. Leonh. Jacobi von 1552.

Paruus Catechismus Reuerendi ac Sancti Patris D. Martini Lutheri, piae ac felicis memoriae castis scholiis illustratus per M. Leonardum Jacobi Northusianum, ecclesiae Calbiensis pastorem . . .
Lipsiae ex officina Valentini Papae. M. D. LII.

Prudentibus et uere piis uiris D. consuli et caeteris senatoribus oppidi Calbis, dominis ac benefactoribus suis unice colendis, S. A 2.

— — — Est ergo necesse, ut in scholis non solum artes liberales tractentur, uerumetiam Sacra scriptura doceatur. Sciant enim Iuuenes se Ecclesiae Dei seminaria esse, ut noster Philippus ait: Nam ex hoc numero filius Dei regnans ad dexteram Patris aeterni, ac dona dans hominibus, uidelicet doctores et pastores, sumit Euangelij ministros, quos praeparari uult in scholis, hos esse custodes Propheticorum librorum et Apostolicorum et uerorum dogmatum Ecclesiae uoluit. Quamobrem hortatus est Theophilactus parentes, ut sibi primam curam esse sinant, ut pueri eorum diuinis literis imbuantur, dicens: Liberos diuinis adde et assuesce sermonibus, fac in rem tuam uel maxime ut sacra Scripta tui et audiant et lectitent liberi, ex illis enim perdiscent, quid sit, uel quomodo debeant Deum timere, colere, inuocare, diligere, eique fidere: honorare Patrem et Matrem, proximum diligere, neminem laedere, et si quid est huiusmodi. Propterea uehementer mihi placuit, laudabile, pium, imo sanctum, et multis nominibus praedicandum uestrum institutum, Viri sapientes optimique utpote, qui hactenus non modo omnem operam dedistis, quo scholae nostrae docti atque pij rectores praeficiantur, qui iuuentutem in bonis disciplinis probe erudiant, et ad uitae honestatem ac ingenuos mores diligenter assuefaciant, sed uoluistis quoque ut postmodum ad Sacras lectiones traducantur, et in articulis uerae atque Christianae religionis instituantur, ergo merito uos amo ac ueneror. Cum igitur anno superiori a me petijstis, uiri humanissimi atque pijssimi, ut in nostra Schola pueris aliquam lectionem ex Sacris proponerem, et sic ad riuulos fontis primum illos ducerem, quo tandem et ad ipsam quoque fontis scaturiginem peruenirent, hoc est, ut simpliciter aut methodice eos in articulis Catholicae fidei primum erudirem, donec ipsis per Spiritum sanctum ad pleniorem siue perfectiorem cognitionem Christi, qui est fons uitae atque salutis, Psal. 36. Ioan. 17. (de se ita dicens, Si quis sitit, ueniat ad me, et bibat, Ioan. 7.) daretur peruenire. Quanquam uero primum mihi uidebatur tale ac tantum onus humeris meis plane impar fore, tamen iudicabam omnino absurdum esse, meque minime decere, huic uestro christiano instituto refragari, et studiosae atque charae iuuentuti operam meam in tam pio et sancto negocio deesse pati. Proinde primum in manus accepi paruum Catechismum Reuerendi in Christo patris D. Martini Luth. sanctae ac piae memoriae, ipsumque qua potui diligentia pueris A 4. A 5.

exposui, et scholijs ex sanctorum Patrum cum antiquorum tum recentiorum quoque scriptis desumptis illustraui: Imitatus in hoc morem Apostolorum Christi, a quibus Catechismi doctrina sumpsit originem. Cum enim uoluerunt omnia in Ecclesia decenter atque ordine fieri, instituerunt doctrinam Catechismi in populo, uidelicet, pro ijs, quibus adhuc lacte et non solido cibo opus erat: oportebat enim rudes adhuc in fide Catholica pie ac simpliciter primum institui, antequam ad Euangelij praedicati mysteria et communicationem Sacramentorum admitterentur, et hoc patet de S. Luca Euangelista, qui suo Theophilo iam aliquo usque in fide articulorum doctrinae Christianae progresso, et ad altiora mysteria scripturae anhelanti ac tendenti, ita
A 6. scribit: Quoniam complures aggressi sunt contexere narrationem earum rerum, quae inter nos sunt fidei certissimae, sicut tradiderunt nobis hi, qui ab initio suis oculis uiderant, ac pars aliqua fuerant eorum quae narrabant, uisum est et mihi, ut cunctis ab initio exacta diligentia peruestigatis, deinceps tibi scriberem, optime Theophile, quo agnoscas eorum, de quibus edoctus fueras, certitudinem. Facit porro mentionem doctrinae Catechismi D. Paulus ad Gala. 6. dicens: Communicet autem, qui Catechizatur sermone — — demetit pro carnalibus spiritualia, pro temporalibus atque caducis aeterna. Habemus quoque exemplum Ecclesiae primitiuae. Catechumeni enim, id est, instruendi, uocantur auditores apud Tertulianum: Illuminandi apud Chrisostomum: sic Theophilus fuit Catechumenus S. Lucae. Eunuchus ille de quo in Actis cap. 8. fuit Catechumenus S. Pauli, ut testis est Irenaeus. Diuus Augustinus librum aedidit de Catechizandis rudibus. D. Basilius magnus aliquot pias conciones habuit ad Cathechumenos. Irenaeus scribit, quomodo Paulus Catechizauerit, id est, in doctrina Catechismi instituerit gentes. Eusebius libro 5. capite 10. Ecclesiasticae historiae, uocat Catecheses, id est, institutiones Scholae Ecclesiasticae, rudimenta fidei, secundum nostram linguam Milchwerck: Vnde de Pauli illud, 1. Corinth. 3. Lactis potu uos alui, non cibo: per potum lactis intelligamus simpliciorem quandam doctrinam, inquit Theophilactus, qualis est Catechismi uidelicet, Concilium Braccarense certos aliquot dies in anno constituit, in quibus Catechumeni in articulis Catholicae fidei erudirentur. Reperiuntur etiam apud quosdam exemplaria Catechismi, quem ante sexaginta annos
A 7. Venetijs excusum esse constat: sed nomen autoris me fugit: Et spero itaque hunc meum laborem uel conatum pijs probatum iri, tyronibus etiam adhuc in studio Sacrarum literarum profuturum, tandemque uicinos meos, qui praesunt Ecclesijs hoc nostrum exemplum esse imitaturos. Hanc uero meam expositionem, siue haec scholia, in paruum Catechismum Lutheri, cum multi docti uiri apud me precibus instarent ut in publicum darem, in testimonium meae erga uos obedientiae, simul ac amoris erga studiosam iuuentutem, uobis quos ueram et CHRistianam religionem amplecti scio dedicare uolui, Viri prudentes et pij, enixe rogans, dignemini pro singulari uestro amore erga studia pietatis, et multa erga me beneuolentia uestra, hoc munus quantumlibet exiguum beneuolo animo a me accipere: Hocque exemplo Diogenis, qui aquae poculum arcto charitatis obsequio exhibitum maluit, quam Croesi diuitias corde lento. Valete atque saluete, Viri humanissimi. Datae Calbis ad Salam, ex aedibus Parochianis. Anno M. D. LI. In die Natali S. Ioannis Baptistae praecursoris Domini.

Vestrae Prudentiae deditissimus

M. Leonardus Iacobi Northusianus, Ecclesiae Calbiensis Pastor.

A 8. Candido Lectori Heinricus Brentius Scholae Calbiensis moderator, S.
B 1. — — — Quare candide Lector, cum et mihi gubernacula Scholae Calbiensis sint commissa, ne in administranda hac prouincia mea negligens uidear, non tantum pueris meae fidei commissis, Ethnicos libros ad comparandam equidem orationis elegantiam

et formandos mores maxime conducentes, proponendos esse iudicaui, uerum etiam tales, per quos ad ueram Christianae doctrinae cognitionem duci possint. Porro cum satis constet initio pueris Christianae religionis praecipua capita breuissime esse tradenda et explicanda, quae prima puerilis institutio Graecis *κατήχησις* dicitur, et ab Apostolis Originem ducit, cumque Venerandus D. Magister Leonhardus Iacobi, uir probatae eruditionis et pietatis, nostraeque Ecclesiae Pastor Vigilantissimus, ante biennium rogatu prudentissimi Senatus nostrae Ciuitatis, Reuerendi patris D. Martini Lutheri piae memoriae, Paruum Catechismum, qui prima uerae religionis elementa B 2. seu progymnasmata complectitur optimis ac breuibus *σχολίοις*, tam ex sanctis Biblijs, quam Patrum lucubrationibus collectis, illustrasset, atque nostrae Scholae Alumnis dictasset et exposuisset, egi cum illo Doctissimo Viro, nec non alij plures mecum, ut hunc Catechismum D. Lutheri foelicis memoriae, frugiferis et succinctis interpretationibus elucidatum, in usum nostrae iuuentutis praelo committeret, idque tandem obtinuimus. En habes optime Lector quo animo hic Libellus in lucem sit aeditus: Tu sicuti decet, eum inter alios, in hunc usum ab Eruditis pie conscriptos, placida mente accipe, et lege, ac studentes iuuentuti prodesse, fauore complecti ne cessa, Vale. Calbiae ex ludo literario 5. die Iulij.

De decem praeceptis. D 2.

IN traditione Decem praeceptorum Dei duo praecipue sunt obseruanda. Primum, ut discamus quomodo seruiendum sit Deo, et quae bona opera sint facienda, quae etiam mala fugienda. Secundum, ut inde quoque excitetur peccati cognitio, teste Apostolo, Rom. 3. ut ita deducamur ad Christum, quaerentes liberationem a peccatis et horum supplicijs, hoc est, Lex facit cognoscere peccatum, sed Christus sanat per fidem, et reducit in gratiam Dei.

Diuisa autem sunt, et digito Dei scripta in duas tabulas: quarum prior tria praecepta continet, quae docent, quid Deo debeamus, cogitatione, uerbo et opere: Posterior autem septem continet, et illa docent, quid proximo debeamus cogitatione, uerbo et opere.

Proinde nobis etiam in fide Iesu Christi iustificatis, necessaria sunt praecepta Dei, non ut ijs aut eorum operibus iustificemur, sed quum hic primitias spiritus tantum habeamus, docente Apostolo, Romano. 8. et cum uocemur iusti, ut sciamus quoque qua ratione Spiritus nostram carnem crucifigat, et dirigat in rebus huius uitae, ne scilicet caro insolescat, et ruptis frenis, ut ille ait, sessorem, nempe fidei spiritum excutiat: Non enim equiti, sed equo debetur frenum.

Errant itaque qui uolunt Decalogum in Christianismo non esse obseruandum. Decalogus enim exponit legem naturae, et est idem cum lege naturae: praeterea, quia diuino et singulari quodam ordine uerum Dei cultum atque opera uera proponit: Quare conuenit eum seruare, non propter Mosen, sed propter mutuum consensum legis naturae et decalogi.

Est autem Lex naturae noticia quaedam legis diuinae, hominis naturae a Deo indita atque insculpta, ad cognoscendum Deum, et proximum diligendum instituta, ut seruetur occasio religionis in animis hominum, et publica et communis hominum inter se pax et tranquillitas.

Demum quod utilißima et saluberrima Decalogi meditatio sit, diserte hoc docet praeceptor noster Philippus Melanchthon, in Locis suis Theologicis, de expositione Decalogi.

De primo praecepto.

PRimum praeceptum, docente eodem, praecipit de eo opere, quod
D 8. summum est atque praecipuum, uidelicet, de uera noticia Dei, de uera et perfecta obedientia erga Deum, de perfecto timore, fiducia et dilectione Dei. Etsi uero Deus inuisibilis est, tamen mens humana agnoscit hunc uerum esse Deum, qui se in suo uerbo et testimonijs admirandis patefecit, et ostendit, quomodo uelit coli, ita enim ait, Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: quibus uerbis se profitetur nostrum esse Deum, id est, qui nos curat, respicit, iudicat, defendit et punit. Cum enim minatur se uisitaturum iniquitatem, timorem requirit: Cum uero promittit se defensurum nos et saluaturum, requirit fiduciam atque dilectionem.

Quapropter cum ipse sit Dominus Deus noster, ipse et non alius, qui ut creauit nos, ita et gubernat quoque, non nostra prudentia aut iusticia, neque etiam uiribus nostris, et nobis benefaciat, redimatque a malis, a peccatis, et a damnatione, in cuius manu sunt omnia, et noster est, quantus quantus est, et quantum quantum potest: non igitur habeamus aliquid praeter ipsum in quo confidamus: quod enim quisque amat, hoc ipsum et pro Deo colit, secundum illud Augustini, Deus meus amor meus: et ut Erasmus inquit, Qui in gratiam uxoris offendit Deum, et uxorem pro Deo coluit.

Transgreßio huius praecepti est, non credere in Deum, sed in creaturas et sanctos, ab eis sperare auxilium, eorum meritis fidere ac interceßionibus, tentare Deum, proprijs meritis tribuere fidem, sectari superstitiones, adorare Idola, exercere artes magicas, spargere errores in fide, prauas opiniones de Deo docere et tueri, Deum contemnere, impatienter ferre crucem, dubitare de promissa gratia, id est, non uelle credere Euangelio, in periculis de Dei auxilio prouidentiaque dubitare, et tandem plane desperare, ut Cain et Iudas.

Poenae autem huius sunt, fames, pestis, gladius, corruptus aër, aeneum coelum, ferrea terra, amentia, exilium, et omnes denique calamitates, quae in hac uita mortali possunt accidere homini. Exempla non desunt.

Seruantibus autem promittuntur multa et insignia bona. Pietas enim quae complectitur timorem, dilectionem Dei, et fidem siue fidutiam, et pacientiam quoque in aduersis, habet promisßiones uitae praesentis atque futurae, 1. Timot. 4. Nam qui sibi nullius mali conscius est, et dum uiuit laetatur, futurorum bonorum pro certioribus ducens promissa, et in eo saeculo ueram uicturus est uitam, haec Theophilactus.

D 4. Cum igitur unus Deus, omnipotens, sempiternus, neque principium neque finem habens, immensus, Dominus et creator coeli et terrae, Pater omnium fidelium, uerax et iustus, patiens et misericors, clemens et longanimis sit, qui creat, et creata diligit, regit, conseruat, inuocantes se exaudit, peccata donat et punit, et in summa toti terrarum orbi ex mera

gratia, et ob eius nomen, quod est DEVS benefacit, merito itaque est timendus, diligendus, et fide colendus.

Timere. Cum sacra scriptura paßim nos doceat et moneat, ut Deum timeamus, Leui. 19. Deut. 6. 1. Reg. 2. 1. Petri 2. et pulchre quoque nobis praescribat timoris Dei praeconium, Prouerbio. 28. Eccles. 1. paucis indicare conuenit, quid sit timor Dei, siue timere Deum.

Est igitur Timere Deum, nil aliud, ac Deum syncere, sancte et pie colere, pureque uenerari, recte coram Domino conuersari, eique seruire: et talis timor est duplex, nempe filialis, quo filius patrem suum dilectum timet, id est, reueretur, de quo timore Ecclesiastes cap. 12. ait, Time Deum et mandata eius obserua: et huiusmodi quidem timore cum amore coniuncto, quem recte reuerentiam appellamus, olim sancti Patres Deum coluerunt, id est, cordis fiduciam in illum collocauerunt. Est et Timor seruilis, id est, timor poenae, de quo legimus 1. Ioannis 4. Timor habet poenam, id est, adfligit et cruciat, et is timor est malus: nam quatenus timetur poena, Deus habetur odio, quatenus uero amatur Deus, omnis metus abest. De timore filiali, qui nil aliud est praeterquam ipsa fides seu cognitio Dei, Prouerb. 9. et 28. Psalmo 110. L(!)oquitur Propheta regius Psalmo 127. dicens: Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in uijs eius. De timore seruili, qui est hypocriticus, carnalis, falsus, et simulatus cultus, non dexter, legimus in Exodo cap. 19. Cum Iudaei starent ad montem Synai, et audirent tonitrua, fulgura atque corruscationes, dicebant ad Mosen: Loquere tu nobis, et audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Serui enim timent dominos non ex amore, sed formidine fustis, Vnde natum est illud: Oderunt quem metuunt: et Quot serui, tot hostes: Pij Deum timent, quia amant, Impij etiam timent, sed oderunt. Fideles ut Patrem uenerantur et timent, Increduli uelut tyrannum et iudicem fugiunt et metuunt. Virtutis est, quod recti timent Dominum, increduli uero, nisi aliquam sentirent iram Dei de coelo, perpetuo non timerent: Videns hoc poëta gentilis cecinit ita:

Oderunt peccare boni, uirtutis amore: D 5.
Oderunt peccare mali, formidine poenae.

Timor Dei multum est utilis, peccatum enim expellit, Ecclesiast. 1. Nam statim cum ingreditur cor hominis, concutitur timore, concussum conuertitur ad Deum, conuersum autem illuminatur, illuminatum credit, credens a sordibus emundatur, Iuxta illud: Per fidem purificantur corda.

Timens Deum perfecte, custodit se diligenter a peccatis, cogitans subinde de praesentia Dei. Est autem timor Dei animae paedagogus: nam ubi is non est, ibi est dissolutio uitae, inquit Augustinus sermo. 213. de Tempore.

Diligere. Cum sacra scriptura multis in locis synceram et uehementem dilectionem Dei erga totum humanum genus praedicet atque extollat, ut Deute. 4. et 7. et 33. Oseae 2. 1. Ioan. 4. Ephe. 2. Ioan. 3. dignus est, ut a nobis quoque uicißim syncere et ex corde diligatur, Matth. 22. Marci 12. Lucae 10. Hoc enim maius est omnibus holocaustomatibus: quare sic admonet Iesus Syrach, cap. 13. dicens, Omni uita tua dilige Deum, et inuoca illum in salute tua: et Paulus Roma. 8. Nam mihi persuasum habeo, quod neque mors, neque uita, neque angeli, neque

principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque ulla creatura alia poterit nos separare a dilectione Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro. Vnde Sedulius Praesbyter inquit: Non solum per ea, quae accidere possunt, sed nec per ea quidem quae euenire omnino non possunt, ullo pacto a Dei charitate deflectemus. Nam omnia mihi prae illa charitate exigua sunt, dicit Theodulus.

Est autem diligere Deum prorsus donum Dei, quoniam ipse, ut diligeretur, dedit, qui non dilectus dilexit, inquit, D. August. tractatu 102. in 16. caput Euangelij Ioannis.

Confidere. Sacrae literae docent paßim, fidem unicum esse instrumentum, quo Dei misericordiam, aliaque bona omnia appraehendimus. Ambabus itaque ulnis amplectamur illa, imo nitamur ac fidamus illis, quae nobis per Spiritum S. de Dei bonitate atque promißis exhibentur: et propterea Psalmographus beatum illum uirum praedicat, Psalmo 112. Cuius cor paratum est confidere in Domino: et Iesus Syrach cap. 32. inquit, Qui credit Deo, attendit mandatis, et qui confidit in illo, non diminuetur. Est profecto maxima insania, dicit Augustinus ad Macedonium, hominem aerumnosam uitam ducentem, mutabili carni et spiritui confidere, ut quidam faciunt, qui ex diffidentia uerbum Christi loquuntur, uidelicet, Vnde ememus panes, ut manducent hi? Ioann. 6. D 6. 20

De secundo praecepto.

QVoniam diuinae illius summaeque maiestatis hoc postulat dignitas, ut non solum de ea magnifice sentiamus, abstineamusque a simulachrorum cultu, qui in scripturis, praesertim Psalmo 113. damnatur, uerumetiam ne uerbo parum reuerente eam dehonestemus apud homines, sequitur secundum praeceptum, quod uerum usum diuini nominis, religionem, celebrationem diuinorum beneficiorum, et tandem inuocationem auxilij et benignitatis Dei in aduersis, exigit. Vult enim Deus nostra uoce inuocari. Vetat quoque ne contaminemus res diuinas uerbis, cultum exteriorem docens, instruensque os et linguam, ut quod corde credimus, ore quoque confiteamur, Roma. 10. Cor enim opus habet ministerio oris, ut ait Theophilactus: Quid enim prodesset animo duntaxat credere, nisi in hominum conspectu et uerbis profiteremur quod credimus?

Vtimur autem diuino nomine recte, ut cum uera praedicamus, nomen Domini confitemur, et Christum coram hominibus, Matth. 10. Iustificat enim quae menti insidet fides, perfecta autem salus in confeßione uersatur, ex ea namque et fides splendescit, et plurimos iuuat. Haec idem. Et cum gratias agimus Deo in omnibus et pro omnibus semper, cumque serio inuocamus nomen Domini in omni aduersitate, et cum iuramus per nomen Dei, quando gloria Dei, et neceßitas proximi hoc postulant.

Abutuntur uero nomine Dei omni laude dignißimo, qui omittunt ueram inuocationem, gratiarum actionem, famae et gloriae Dei publicationem, confeßionem Catholicae fidei, uerbique synceram praedicationem, et qui sunt Deo ingrati pro suis beneficijs innumerabilibus atque immensis, et qui inuocant sanctos ut mediatores, cum tamen unus tantum mediator est Dei et hominum, homo Iesus Christus, 1. Timoth. 2. Neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola omnium teneat potestatem,

unus enim omnium Dominus Deus, dicit Cyprianus tractatu 4. de uanitate idolorum. Lege Augustinum in lib. de uera religione, capit. ultimo. Chrysostomum homilia 12. de muliere Chananaea. Cyrillum lib. 6. contra Iulianum, et lib. 11. ca. 27. in ca. 17. Euangelij Ioan. Et qui blasphemant nomen Domini, qui deprauant uerbum eius, qui miscent colloquia praua rebus diuinis: et est certe insigne malum, dicit Erasmus, quod plerique D 7. ex mala consuetudine tertio quoque uerbo addunt, per Deum, per mortem, per paßionem, per uulnera Christi, per Sacramenta, praesertim cum ludunt aleam, aut Baccho sacrificant uuidi.

Etiam contra hoc praeceptum peccant, qui impios cultus contra uerbum Dei instituunt, retinent et tuentur, peierant, mentiuntur, decipiunt sub praetextu nominis Dei, et qui ex leuitate citra omnem neceßitatem per nomen Dei iurant, qui docent quoque impia, et qui faciunt turpi sua uita nomen Dei inter incredulos et gentes male audire, tandem qui inhoneste et ridicule loquuntur de Deo. Est certe Euangelicae pietatis nunquam nominare Deum, aut Christum, aut Spiritum sanctum, temere, seu irreuerenter, ne uoces transeant in affectus, affectus in actiones.

Illud uero obseruandum, quod non dixit, non nominabis Deum, sed non assumes nomen Dei, siquidem assumitur, quod ad aliquem usum adhibetur. Inuanum itaque ac temere seu frustra assumitur, quod ad usum prophanum ac uulgarem usurpatur. Nos itaque Deum, seu Christum aut Spiritum S. nominantes, aut flectamus genua, aut aperiamus caput, aut si neutrum licet, modica capitis inflexione et uultu prae nobis feramus reuerentiam. Comminantur postremo se non insontem habiturum esse illum, qui nomen ipsius usurpauerit uane, hocque ideo, ut cognoscamus seuerum Dei iudicium in periuros, blasphemos et diuini nominis contemptores, siquidem omnes Historiae mundi testantur, tales nunquam euasisse poenas. Haec Erasmus.

Maledicamus. Maledici enim non possidebunt regnum Dei, 1. Corinth. 6.

Iuremus. Iuramentorum ratio ita se habet. Non licet homini pio iurare in caussa priuata, propria libidine aut leuitate, et sine iusta caussa, uerum si ipsa neceßitas exegerit iusiurandum, ut uolens confirmare ueritatem, nec alia ratione poßit, nisi iureiurando, interponat iuramentum, se non falsa proponere, non peccat. Licebit etiam, si magistratus extorserit ueritatem iureiurando testari. Quare in iuramentis si tua res non agitur, sed stabiliendae ueritatis gratia, aut in caussa proximi urgeris a magistratibus, tibi licebit sine peccato iurare, quando non iuras pectore maligno, ita enim Christum et Apostolos aliquoties iurasse legimus. Iurauit Paulus, sed non pro penula aut aere, uerum pro gloria Euangelij, 2. Corinth. 1. et sic iubet Moses iurare per nomen Dei, Deut. 6. ne scilicet ulli rei tribuamus honorem ueritatis, nisi nomini Domini. Non iubet D 8. leuiter et uane iurare quacunque ex causa, sed urgente magistratu et neceßitate exigente, et pro confirmanda ueritate. Deus namque est ueritas. Iurant igitur per nomen Domini, qui ueritatem simpliciter et citra dolum testantur, qui non sua quaerunt, non student fallere, sed pronunciant ueritatem: et illa iuramenta non prohibet Christus, Matthaei 5. ubi ait, Ego dico uobis, ne iuretis omnino, hoc tantum prohibet, ne inuanum nomen Dei usurpemus, ne quaeramus nostram gloriam, ne pronunciemus

mendacium, fraudemue inferamus, neque circumueniendi studio deieremus. Proinde iuramenta delata a iudice, uel facta propter uocationem, illa inquam sunt concessa.

Augustinus ita dicit: In nouo testamento dictum est, ne omnino iuremus, quod mihi quidem propterea dictum uidetur, non quia iurare peccatum est, sed quia peierare, et sic non prohibetur per se, sed propter illud, quod inde sequitur, consuetudo nempe et delectatio: nam dum iuramenti usus habetur, de facili periurium incurritur.

Hieronymus, Veritas, inquit, iuramenti est, ubi non aliud sentitur corde, quam quod ore profertur. Ita iurauit Moses, Exod. 2. ut habitaret cum Iethro, et acciperet filiam eius in uxorem, sic quoque iurauit Heliseus, non se derelinquere Heliam, donec secum esse posset. 2. Regum 2.

Est autem Iurare, Deum in testem uocare seu adhibere, q. d. iurans, sicut Deus uerax est, ita et ego uerum dicere polliceor. Iurans ergo falsum, etsi uiuit corpore, tamen anima mortuus est, et punitur, inquit Augustinus sermo. 28. de uerbis Apostoli. Os enim quod mentitur, occidit animam, ut Sapiens dicit.

Iurare in scripturis uarie usurpatur, dicimus enim, Iurare per nomen Domini, quod est Deum in testem ac uindicem inuocare, ut dictum est paulo ante. Iurare Domino, quod est sese dedere ac uouere Deo, iuxta illud Psal. 131. Qui iurauit domino, uotum uouit Deo Jacob.

Iurare in Domino, est perpetuo tenore illi per fidem adhaerere, Iuxta illud Psalmo 62. Laudabuntur omnes qui iurant in eo, id est, qui cunque dederint illi nomina, ceu milites Sacramento adstricti euehentur praeconio.

Manichaeus putauit in nullo casu iurandum esse, motus fortasse uerbis Christi, Matth. 5. dicentis, Ne iuretis omnino: et Iacobi 5. Ante omnia autem fratres mei nolite iurare. Sed est haeresis: Nam scriptura iuramentum Deo tribuit: Viuo ego dicit Dominus, et Psalmo 131.

E 1. Dauidi Dominus iurauit uoce fideli,
Nec sua iuratus fallere uerba potest.

Dico ueritatem (Roma. 9.) in Christo Iesu, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto. Testis est mihi Deus, Philippen. 1. Nouit Deus quod non mentior, 2. Corinthi. 12. Ita quidem iurare non est illicitum, quia nomen Dei tunc inuocatur, et ueritas eius, et creditur in eum, et propter eum fit pax et concordia iurantium. Quare Rex Zedechias ab Ezechiele et alijs Prophetis acriter est repraehensus, quod non seruarit iuramentum Regi Babylonis, et tandem miserabiliter captus, excaecatus est et punitus. Summa, sicut Deus noster, Deus uerax est, ita uult quoque populum suum quam longißime a uanitate et periurijs abesse, ut se imitemur.

Mentiamur. Christus uocat Diabolum Patrem mendacij, Ioan. 8. Hoc est, mendacium est proles, et res propria Diaboli, inquit Theophilactus, et propterea mendaces sunt filij diaboli. Monemur ergo in scripturis, ut fugiamus mendacium, Exod. 23. Non suscipies uocem mendacij, Leuit. 19. Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum, Eccle. 7. Noli amare mendacium aduersus fratrem tuum, et cap. 20. Noli uelle mentiri omne mendacium, aßiduitas enim illius non est bona: potior enim est fur quam aßiduitas uiri mendacis, perditionem uero ambo haereditabunt: Psal. 5. testatur Dominum perditurum esse illos, qui loquuntur mendacium:

Omnes namque habuisti odio male semper agentes
Vindice te mendax lingua coacta tacet.

Quod uero Abraham Genes. 12. et 20. Isaac, Genes. 26. Dauid, 1. Reg. 21. Iudith. 11. atque multi sanctorum hoc crimine mendacij depraehensi, minime perierint, causa est, quod Dominus illis peccata non imputauerit, neque illi hoc animi malicia et uoluptate peccandi admiserint, sed conseruandae uitae suae et suorum gratia. Sic magnum humanitatis ingenium et pium pro salute mendacium praestiterunt meretrices Hebraeae, Exod. 1. quibus imperatum fuerat a Pharaone rege Aegypti, ut natos masculos Hebraeorum necarent: illae enim Deum timentes, contemnebant edictum Regis, qui insequebatur eos, quos nondum uiderat, et conseruabant mulierum sacraria. Hinc concludit D. Augustinus sermo. 89. de tempore, quod liceat mentiri, sed causa pietatis: Quare Iudith liberandorum suorum ciuium caussa, coram Holopherne mentitur, astute itineris sui causam recitans.

Summa, non est homo, qui non peccet, 1. Regum 8. Dominus uero non imputat peccatum, sed remittit potius, habens nimirum exploratum E 2. cor nostrum, quo animo faciamus mala: ipse est qui delet iniquitates nostras, peccatorum nostrorum non recordans amplius, sed perdere solet, qui student prauitati, et cum animi uoluptate mentiuntur.

Incantemus. Lex iubet nullos esse incantatores, Deute. 18.

Dolis fallamus. Non est inuentus dolus in ore Christi: Quare omnis dolus absit a Christianis, 1. Petr. 2. Non enim est Christianus, qui non imitatur uestigia Christi, dicit Augustinus, Non decet foris simulare amicitiam, et intus inimicitiam occultare. Scriptura beatum hunc uirum praedicat, Psalmo 31. in cuius spiritu non est dolus, id est, hypocrisis seu deceptio: Vnde,

Foelix cui Dominus uitium non imputat ullum:
Cuius aperta nihil pectora fraudis habent.

Nam qui utuntur dolis, imitantur Diabolum, qui ut Magister doli, astutiae atque calliditatis, per serpentem seduxit mulierem in Paradyso, Genes. 3.

In septimo et octauo Praeceptis Decalogi, omnis dolus omnisque fraus prohibetur, addita comminatione poenae. Et scriptum est, Marci 10. Ne feceris fraudem. Praeterea Lex naturae hoc postulat, quae quidem singulorum mentibus insculpta est, Quod tibi nolis fieri, alteri ne feceris. Debemus itaque loqui ueritatem, et non mendacium, et sermo noster sit, est, est, non, non, Matth. 5. Jacobi 5. Proprie uero dolus est, aliud promere labijs, aliud pectore claudere, teste Augustino, homilia. 1.

Adoremus. Scriptum est enim, Deut. 6. Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli seruies. Adorare Deum est illum solenniter colere, Ioann. 4. Veri adoratores, id est, cultores Patrem adorabunt, id est, colent in Spiritu et ueritate. Est quippe supra omnes creaturas adorandus Deus, inuocandus, honorandus, metuendus, et ei nemo par diligendus. Zelotes est, non patitur aequalem, ego Dominus, inquit, hoc est, nomen meam, gloriam meam alteri non dabo, Esaiae 42.

Adorare hominem est ei exhibere honorem, gratias agere, uenerari, flectere genua, adosculari, prosternere, sic Abraham adorauit populum terrae, id est, honorauit, gestu seu geniculatione gratias egit, Gene. 23.

Sic et Loth adorauit Angelos, id est, incuruauit se ante illos. Gene. 19. Et Magi prostrati adorauerunt puerum Iesum, Matth. 2. id est, uenerati
E 3. sunt, exhibuerunt ei honorem gestu corporis, inclinarunt sese coram puero. Huic praecepto repugnat diuorum inuocatio: Dicit enim Deus, Inuoca me, Psalmo. 49. et inuocatus exaudit, 2. Samuelis 22.

Laudemus. Laus nostra quippe Deus, quem laudare debemus confitendo omnia nostra esse ab ipso, sicuti fecit Moses, Deut. 10. ubi populum admonuit ad Dei laudem et gratiarum actionem, dicens: Ipse est laus tua, et Deus tuus, qui fecit tibi haec magnalia et terribilia, quae uiderunt oculi tui. Psalmista non in uno loco praecipit, ut Dominum laudemus, Et Paulus ad Collos. 3. hortatur nos ad laudem Dei et gratiarum actionem, inquiens: Docete et commonete uos inuicem cantionibus et laudibus, et cantilenis spiritualibus, cum gratia canentes in corde uestro domino, et quicquid egeritis sermone aut facto, omnia in nomine Domini Iesu facite, gratias agentes Deo et Patri per illum.

De tertio praecepto.

PRimum Praeceptum docuit nos, quomodo corde erga Deum adfecti esse debeamus, scilicet, ut illi toto corde fidamus, illum timeamus ac diligamus. Secundum quomodo illum ore colamus, id est, laudemus praedicemus et confiteamur, et nomine ipsius non abutamur. Tertium docet externum cultum diuinitus institutum, et concionatur praecipue de ministerio docendi, et administrandi caeremonias diuinitus institutas, nempe ut certam de Deo doctrinam habeamus, nec ipsi nouas caeremonias, seu nouos cultus fingamus aut excogitemus.

Proinde sanctificatur dies Sabbati, docendo, audiendo, discendo et meditando uerbum Dei serio et attente, uacando operibus latriae, nempe hymnis, precationibus, eleemosynis, alijsque pijs exercitijs, quae excitant fidem et charitatem erga Deum, et humanitatem quoque erga proximum. Est etiam Sanctificare diem Sabbati interesse sacris Christianorum, illorum usum diligenter retinere atque tueri, Sacramentis a Christo institutis pie uti, obtemperare recte docentibus, illos alere, defendere, et honore prosequi, caste et sobrie uiuere, studia Ecclesiae et scholis necessaria iuuare: Visitare etiam infirmos, captiuos consolari, et domi tandem familiam in articulis fidei, et pura Euangelij doctrina fideliter instituere: et hoc est uere diem Sabbati sanctificare, id est, sanctis et pijs operibus transigere,
E 4. et nullis actionibus Deo indignis prophanare, uti illi faciunt, qui illum diem dant somno, fabulis, inertiae, et pias negligunt conciones, quasi ad ipsos non pertineant, Sacramentis partim non utuntur, sed contemnunt, partim ea secus tractant ac Christus instituit, conuiuantur, ludunt, impediunt atque offendunt alios. Verum opera salutis in die Sabbati non sunt omittenda, ut Augustinus docet tractatu 30. in 7. caput Euangelij S. Ioannis, Neceßitas quippe excusat, et utilitas proximi: cedendum est enim charitati. Nam benefacere alicui Lex non prohibet, quae Lex Dei est semper et unicuique benefacientis, inquit Theophilactus. Beatus uir qui custodit Sabbatum, ne polluat illud, Esaiae 56. et cap. 58. abstinere a proprijs operibus nostrae uoluntatis, et quiescere in Sabbato.

Contemnamus. Cum uerbum Dei sapientia et intelligentia nostra sit, per quod cognoscimus res diuinas et salutares, et discernimus de

rebus externis inter homines, Deut. 4. et quod inde petenda sit uiuendi ratio, ut Esaias cap. 8. docet, quo praedicatio etiam corda conuertantur, teste Hieremia cap. 23. et quod tandem pereat populus, si uerbum Dei non doceatur, ut Salomon inquit Prouerb. 29. caueamus sedulo, ne istud despectui habeamus, et nos ipsos reddamus participes horribilis poenae et perditionis illius, quam Dominus Deus minatur contemptoribus sui uerbi, Esai. 28. et 30. Deum quippe contemnit, qui eius uerbum contemnit, qui autem Deum contemnunt, erunt ignobiles, 1. Samuel. 2. Qui uos audit, me audit, et qui uos spernit, me spernit, dixit Christus discipulis suis, Lucae 10.

Comminatur uero Deus contemnentibus suum uerbum, sese daturum scilicet Prophetas, qui eos decipiant, cum intra os illorum Prophetarum immiserit spiritum mendacem, 1. Regum 22. Ezechie. 14.

Audiamus. Christus eos Beatos praedicat, qui uerbum Dei audiunt et custodiunt illud, Lucae. 11. Hinc diserte docet D. Augustinus Homilia 45. quomodo uerbum Dei auditum ruminandum sit. Prouenit nimirum ex uerbo Dei originaliter omne bonum. Deus Pater iubet ut dilectus suus filius audiatur: Deus Filius etiam doctrinam suam ubique refert ad Patrem. Ioann. 17. dicens, Omnia quae audiui a Patre meo nota uobis feci. Paulus Gala. 1. gloriatur se non didicisse Euangelium suum ab homine, sed per reuelationem Iesu Christi. Micheas fatetur se repletum esse Spiritus sancti efficatia, iudicio atque uirtute, ad annunciandum Iacob scelus suum, et Israël peccatum suum, capit. 3. Quare E 5 diligenter et libenter audiamus illos, qui docent nos uerbum Dei, cum ipsos audire sit Deum audire: Hocque monemur 2. Petri 3. his uerbis: Sitis memores uerborum quae praedicta sunt a sanctis Prophetis, et nostri mandati qui sumus Apostoli Domini et seruatoris.

De quarto praecepto.

PRima tabula nos docuit, quid Deo praestandum sit: Sequitur nunc altera, quae docet, quae officia in homines sint collocanda: illa pulcherrime distinguit Praeceptor noster Philippus, dicens: Primum sancitur imperium, praecipitur obedientia, Honora Patrem et Matrem. Deinde munitur pax: Non occides. Muniuntur coniugia: Non moechaberis. Muniuntur dominia rerum: Non furtum facies. Postea constituuntur Iudicia, et sancitur ueritas in contractibus et pactis: Non dicas falsum testimonium. Denique prohibentur inclinationes, affectus seu opera contra hunc ordinem in duobus ultimis: Non concupisces etc.

Honorare. Primum est agnoscere hanc societatem esse diuinum opus, humano generi salutare prouidentiae testimonium. Deinde non solum parentes reuereri, alere, omnique beneficiorum genere adficere, pro suis impendijs, molestijs ac laboribus, quos nobis infantibus impenderunt, dum mater fert taedium gestationis, pariendi, munus lactandi et nutriendi, et pro longis curis quoque quas Pater tolerat suggerens sumptus, et omnem adhibens operam, ut liberi probe et ad pietatem erudiantur: uerum etiam ut uerbi ministris, magistratibus, praeceptoribus, et quotquot loco parentum nobis sunt, obediamus.

Honos adhuc plura complectitur, nempe obedientiam, ut eis ex animo tribuamus sapientiam et iusticiam, id est, ut libenter pareamus

eorum iudicio et autoritati, et si interdum quod humanum est, deliquerint siue errarint, ut per amanter et reuerenter condonemus, excusemus et tegamus errata. Parentes namque ferendi sunt, ut ille ait, etiam iniquiores: praeterea, si quid iusserint, modo non impium sit, non aliter ac si de coelo praecipiatur, cum timore ac tremore (latet enim ibi quaedam maiestas) accipiamus, acceptum diligenter exequamur, illis quoque non illudamus, si uel senio, uel alio uitio delirent, et illis tandem nos obiurgantibus, non duriter neque acerbe respondeamus.

E 6. Peccant igitur grauiter contra hoc Praeceptum, qui contemnunt magistratus, eorumque autoritati resistunt ac iußis, et qui parentibus sunt immorigeri, eos laedunt, derelinquunt in neceßitate, et qui praeceptoribus ac animarum curatoribus debitam mercedem, debitum honorem, debitam obedientiam recusant ac negant, et qui Dominis ac Patribus familias fraudulenter atque negligenter seruiunt, et ij dabunt poenas.

Promißio de longaeua uita designat multa beneficia et praemia in hac uita, nempe pacem, terrae foecunditatem, bona studia, et alia multa commoda, quae Deus optimus maximus largiturus est ijs, qui honorant Patrem et Matrem, quorum praecipua sunt, prospera ualetudo, bona fama, honesti liberi, obediens familia, diuitiae, splendida domus, et id genus alia.

Illis autem qui hoc Praeceptum transgrediuntur, non impune licebit: pro exemplo sunt, Cain, Cham, Absolon, et horum similes. Oculum eius qui fastidit Patrem (ait Scriptura) et Matris imperium contemnit, Corui iuxta flumen effodient, et uorabunt Aquilae. Lege 22. cap. Ezechiel.

De honore parentibus praestando ita loquitur D. Augustinus sermo. 96. de tempore dicens: Ad parentes suos homo aperit oculos, et haec uita ab eorum amicitia sumit exordium. Lege Paulum ad Colossen. 3. et Ephes. 6. ubi monet filios, ut obediant parentibus suis in Domino, id est, si illorum iussa sunt secundum Deum. Nam si ad infidelitatem impegerit Pater, seu uelit prostituere filiam, uel liberos inhonestis artibus imbuere, nequaquam a Domino erit huiusmodi imperium.

Alias in opere et sermone, et omni patientia honora Patrem tuum, ut superueniat benedictio a Deo, et est a Deo maledictus, qui exasperat matrem, ut Iesus Syrach inquit, cap. 3.

De quinto praecepto.

CHristus Dominus noster, Matth. 5. hoc praeceptum clare exponit, docens per istud non solum externas corporum iniurias et uindictam priuatam externam, sed etiam animorum maleuolentiam, odia, inuidiam, iram, priuatam uindictae cupiditatem, conuitia et eiusmodi alia prohibita esse. Non enim sufficit gladium in uiscera proximi non stringere, Verum etiam fratrem non calumniari, non odio habere, non occulta obtrectatione proscindere, et non aliquo signo animi maleuolentiam testari: Sed erga omnes esse beneuolum, misericordem, mansuetum, aequum, patientem,

E 7. clementem, facilem, benignum, mitem, placidum, pium, offensionum facile obliuisci, nemini succensere, ultro offerre pacem omnibus, defendere et iuuare eos qui premuntur iniuria, pascere esurientem, uestire nudum, precari bene precantibus male, orare pro persequentibus et calumniantibus, dare mutuum, et alia Christianae pietatis officia, de quibus Christus Matth. 5. et 25. Paulus Roma. 12. loquuntur, exercere. Vnde Theo-

philactus: Complectamur nos mutua beneuolentia, nexi enim sumus uinculo fraternitatis, et una ex uulua et lauacro procreati: aequum itaque est, ut ad inuicem amicitiam ineamus, retineamus, anticipemusque nos officijs alternis, benedictis quoque prosequamur nobis infensos: et ut inquit Theodulus, Ne ulciscaris te de hoste, neque maledicta in eum euomas: Vitia odio sunt habenda, non homines, ut creatura Dei. Quare ita dicit Sedulius: Qui sunt perfecti, hoc ipsum quo oderunt crimina, homines amant, et odio habentes in eis illud quod peccant, illud quod Deus creauit amare non desinunt. Qui sese ulciscitur, reddit seipsum impietatis consortem.

Principes autem siue magistratus contra hoc praeceptum non peccant, exercendo iustam et debitam poenam in homicidas, fures, latrones, adulteros et reliquos huius fecis homines: Sunt enim ministri irae atque ultionis Dei non hominum, exercent enim Dei uindictam, qui ait, Mea est ultio, et ego retribuam. Deut. 32. et illa non modo licita est, et necessaria, pro imperiorum publicaeque tranquillitatis conseruatione, uerumetiam pia et bona et sancta est coram Deo.

Homicidium, dicente Erasmo, omnium iniuriarum atrocißima iniuria est: Cuius causae sunt, Ira, Odium, Detractio, Inuidia.

DE IRA. IRa peccatum est, cum priuata cupiditate incitati, irascimur: dicit enim Psalmus 4. Irascimini, sed nolite peccare. Ira peccatum non est, cum irascimur propter gloriam Dei, et iusticiae amorem: et est quidam peculiaris motus et excellens in uiris sanctis, cum inflammantur studio defendendae gloriae Dei, aut tuendae iusticiae, aut ira aduersus turpitudinem ac impietatem, et talis ira Deo placet: sicque olim irati sunt Prophetae, Apostoli, et ipse Christus Dominus noster. Theophilactus ita dicit, Si uideris religionem fidemue offensum iri, obsiste uirili et ingenti animo, pro ueritate tutanda decertans.

Est autem Ira, secundum Erasmum, dolor, flagitans uindictam, aut secundum Augustinum homilia 42. Libido uindictae: et est duplex, Carnis et Spiritus. E 8 30

Irascitur caro, quae peccatrix est et immunda, ideo carnalis excandescentia peccatum et mors est. Nam qui sunt in carne Deo placere non possunt, Roma. 8. Et hanc excandescentiam prohibet Christus, et minatur iracundis gehennam.

Irascitur quoque spiritus, sed secus, nempe ut emendet peccantes, sicut olim sancti Patres ac Prophetae feruore fidei, et zelo spirituali, teste Theophilacto, et tandem iusta ratione moti in impios succensi sunt: et Christus in Pharisaeos, praesertim Matthaei 23. quae ira correptio melius dicitur. Non enim irascuntur pij sicut impij, qui fremunt, strident, insaniunt, et dissecantur in cordibus suis, non ut emendent eos quibus irascuntur, sed ut perdant, iugulent ac opprimant, sicut olim fecerunt Pharisaei et tyranni, et hodie similiter faciunt sacrosancti Euangelij hostes spirituales atque seculares.

Ecclesiastes cap. 7. monet, ne quis sit uelox ad irascendum, quia ira in sinu stulti quiescit. Quare si contingit humana fragilitate in iram prolabi, demus operam ne peccemus, ne cedamus carni, ne laxemus frenum, sed cohibeamus, ne in peccatum et nimium furorem effluat ira. Denique irae non debemus locum, ut inquit Apostolus, Roma. 12. et

Ephes. 4. Sol non occidat super iracundiam nostram, id est, ira sit breuis, nec differatur in diem crastinum, ne forte indignis appareat illuxisse, neue et nox ignem mente acrius agitando incendat, et insidias paret uel mortem, Haec Theophilactus. Est enim ira tantum malum, uel Gregorio teste, ut si mentem hominis semel possederit, putet iuste fieri quod secus et male fit, Iuxta illud Cathonis:

Impedit ira animum, ne possit cernere uerum.

Quare magnae prudentiae est, comprimere iram, ut inquit D. Augustinus.

DE ODIO. ODium est ira inueterata, affectus ad omnem occasionem laedendi paratus. Ira inueterata uertitur in odium, et de festuca facit trabem, teste Augustino sermo. 237. de tempore, Ira est festuca, odium uero trabs. Qui odit fratrem suum, est homicida. 1. Ioann. 2. Odium in corde habens est secundus Diabolus, dicit Augustinus sermo. 28. ad Fratres in Eremo, et sermo. 47. Odium, inquit, generat detractionem, et inuidiam: est enim pernicies imo pestis dilectionis et unitatis.

F 1. DE DETRACTIONE. CAlumniator et Sycophanta pro gladio, iaculo et ueneno utitur lingua, quae his omnibus plus nocet, Dicit Erasmus. Non refert quo pacto quis adimat uitam: nam ubicunque est peruersa laedendi uoluntas, ibi quoque est homicidium. Bernhardus in libro de considerationibus dicit, Nunquid non uipera est lingua detrahentis, quae laetaliter uno flatu tres inficit, eum qui detrahit, eum cui detrahitur, et eum, qui detractori aures praebet, et illo delectatur? Proinde pronunciat scriptura detractores Deo odibiles esse, Roma. 1. Hoc est, non solum qui Deo sunt odio, secundum Theophilactum, sed quibus ipse Deus odio est, id est, qui ipsum Deum odio habent, ut exponit Gennadius.

Papa Anacletus existimat detractorem fure peiorem, dicens, Deteriores sunt qui uitam et mores alicuius corrumpunt, quam qui auferunt substantias.

Damnatur hoc peßimum uitium in scriptura, ut Sapient. 1. Parcite linguae a detractione, quoniam sermo obscurus non inuacuum ibit. Ecclesiastes dicit, si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit. Prouerb. 25. iubemur non audire detractores, deponere omnem dolum, inuidias et omnes detractiones, 1. Petri 2. Est enim malitia istud uitium nempe detractio, quod opponitur candori uirtuti scilicet, qua omnia proximi in bonam partem accipimus. Nolite detrahere alterutrum fratres mei, dicit Iacobus ca. 4. Detractor sibi nocet et alios inficit ut lepra, inquit Augustinus sermo. 26. ad Fratres in Eremo, et propterea noluit admittere detractorem ad mensam, in qua ita scriptum habuit,

Quisquis amat dictis absentum rodere famam,
Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.

DE INVIDIA. INuidia est Diabolicum uitium. Nam inuidia Diaboli mors intrauit in mundum. Sapie. 2. Paulus ad Galat. 5. dicit, Inuidos non accepturos esse haereditatem regni Dei, quare monemur deponere inuidias, 1. Petri 2. Ex inuidia nascitur homicidium, ait Theophilactus. Est uero Inuidia nil aliud praeterquam alienae foelicitatis odium, teste Augustino, homilia 20.

De sexto praecepto.

PRaeceptum sextum sancit et confirmat legitimum coniugium, non solum externa delicta prohibens, sed etiam prauam inclinationem et uagos F 2. ac errantes motus, omnis generis immundicias, scortationes, concubitus meretricios, et immundas cogitationes libidinis ac concupiscentiae, et postulat castitatem, pudicitiam, uerecundiam cordis in cogitationibus desiderijsque, et corporis quoque, ut in lingua, facie, oculis, auribus, tactu, et si quid est huiusmodi.

Pertinet quoque ad hoc praeceptum non transgrediendum, temperantia, sobrietas, ieiunium, uigiliae, moderatio in uestitu, honesti labores, et ut uitentur mollicies, otium (quod est puluinar Sathanae, secundum Augustinum) desidia, superbia, crapula, ebrietas, et impudicorum denique consuetudo, quae omnia sunt irritamenta et fomenta libidinis.

Transgressoribus scriptura poenam minatur, Hebr. 13. Fornicatores et adulteros iudicabit Deus, id est, damnabit, dicit Theophilactus. Nam si permissae sunt nuptiae, nil poterit fornicarius aliquis uel adulter carnis illecebras excusare. 1. Corinth. 6. Fornicatores, Adulteri non erunt haeredes regni Dei, id est, non possidebunt regnum Dei, Galat. 5. Vt enim uiro nihil coniunctius, nihil carius uxore legitima, ita nulla est contumelia intolerabilior, quam uxor per adulterium constuprata, est enim una caro cum uiro. Quapropter Salomon Prouerbior. 6. Adulterium et furtum inter se confert, minus peccatum furtum pronuncians, non ex se, sed comparatione maioris peccati, scilicet adulterij, quia quanto uxor ut pote propria nostra caro, charior et preciosior est caeteris poßessionibus, tanto adulterium maius peccatum est furto, et maior iniuria infertur proximo per adulterium quam per furtum. Nam furtum plaerumque committitur ex egestate, sed adulterium ex appetitu pernicioso. Adulter habet praesens remedium pro uitanda scortatione, nempe matrimonium, 1. Corinth. 7. Fur autem neceßitate compulsus inediam euadere cupiens, alienam substantiam rapit, adulter ipsam carnem, eam commaculans atque prophanans, et teste Apostolo, in corpus suum peccans, 1. Corint. 6. Est enim corpus nostrum templum Dei, in quo est Spiritus sanctus. Sciamus igitur, quod non ad fornicationem facta sunt membra nostra, sed ad laudem Dei, ad seruiendum Deo, inquit Sedulius.

Caste. Vxor enim non propter libidinem ducenda est, sed propter filiorum procreationem, ut inquit Augustinus sermo. 244. de tempore.

Amet. Ita quidem docet Paulus Ephe. 5. dicens, Viri diligite uxores uestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit F 3. pro ea. Quare nec mori, si necesse fuerit, pro uxoribus, recusetis, inquit Sedulius. Ita uiri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Ad Collos. 3. quoque docet uiros, ne sint amarulenti aduersus uxores. Mulier namque cum adamatur, et ipsa reciprocam refert amoris uiciβitudinem, sicuti uir obsequio mansuescit, et benignum se praebet.

Honoret. Viri enim cohabitent mulieribus secundum scientiam, uelut infirmiori uasi muliebri impartientes honorem, tanquam cohaeredibus gratiae uitae, ne interrumpantur preces uestrae, id est, uiri compertum habeant, quinam mulierum genus tractandum sit, nempe ita, ut illarum uitia uel mutentur uel tolerentur. Mulieres enim tam corpore quam

mente sunt uiris imbecilliores, proinde modeste cum illis agendum: non enim exaudiuntur illorum preces, nisi concordia inter eos constiterit.

Quomodo uero Mulieres subditae sint suis uiris, docetur ijsdem in locis: Est enim illarum officium, obtemperare maritis, timere maritos, quam possunt caste uiuere, et non adeo sumptuosis uestibus uti: est enim uir caput mulieris. Summa, Viris beneuolentia erga uxores, uxoribus uero subiectio erga uiros competit, teste Theophilacto.

De septimo praecepto.

HOc Praeceptum uult singulos res suas tenere, et non appetere alienas, prohibet itaque auaritiam quam Gennadius noxam et circumuentionem uocat, quae fit ex cupiditate plura habendi, usuram, fraudem et imposturam, unicuique facultates suas muniens: decet enim nos aequitas in omni negotio, ut nemini faciamus fucum. Nam aliquem in contractu fallere, tam est furari, quam ex arca res alienas clam surripere.

Monendi itaque sunt omnis generis opifices, ne carius suas res uendant, quam earum dignitas et ualor postulat.

Peccat contra hoc praeceptum infidelis familia, quae absentibus heris, aut otio indulget, aut res eorum ex negligentia perire sinit. Peccat etiam, qui mercenarium debito solario fraudat, is etsi non dicitur fur, tamen est fur, similiter quoque peccat, qui immisericors est et tenax in erogandis necessarijs, eleemosynis, et largitio ne mutui.

Horum poena haec est, Neque fures, neque auari, neque rapaces haereditatem regni Dei accipient, 1. Corinth. 6.

Quare cum fide in Christum petamus et expectemus a Deo uictum
F 4. 25 et fortunas, et iuxta mandatum Dei laboremus, et partis iuste utamur, et propter timorem Dei caueamus illicitos modos quaerendi facultates. Nam fur etsi lucrum habeat in arca, tamen damno non caret in conscientia, inquit Augustinus sermo. 95. de tempore.

De octavo praecepto.

HOc Praeceptum postulat ueritatem, qua nil amabilius, aut utilius praesertim in doctrina, in iudicijs, in pactis, atque in conuersatione. Vult et iubet, ut simus amantes iusticiae et ueritatis, osores simulationis, hostes mendacij, et omnis denique synceritatis uigilantißimi custodes. Testis falsus etiam fur est, nam qui proximum falso testimonio laedit, facitque hoc amore lucri, is committit furtum. Est et homicida, si odio laedit, cum lingua sit omni ferro nocentior. Non enim minus occidit hominem, inquit Erasmus, qui falso testimonio innocentem opprimit, quam qui necat gladio. Peccant igitur contra hoc praeceptum obtrectatores, qui agunt in absentes, adulatores, et qui corrupte docent, calumniatores, mendaces suspiciosi, periuri, susurrones, maledici, et qui proximi famam non tuentur. Proinde discamus frenare linguam, et corrigere morbos animi, qui aut pariunt, aut confirmant linguae petulantiam, tegamus etiam errata proximi, excusemus, aut certe interpretemur benigne, si neque tegi neque excusari queant. Corripiamus etiam delatores, qui aliorum famam laedere atque labefactare conantur, ijsque non praebeamus aures: sunt enim homines peßimi.

Denique falsus testis non erit impunitus, et qui mendacia loquitur, non effugiet, Prou. 19. Quare hortatur nos D. Paulus Ephe. 4. dicens: Deposito mendacio loquatur unusquisque cum proximo suo ueritatem, quoniam sumus inuicem membra. Non enim alterutrum membra se fallere neque laniare possunt, ita et nos, inquit Sedulius.

De nono ac decimo praeceptis.

DEclarant haec duo ultima Praecepta, Lege Dei non solum externa mala opera prohiberi, sed damnari et accusari etiam uitium haerens in hac deprauata hominum natura, concupiscentiam nempe, et prauam inclinationem, quae est perpetua quaedam auersio a Deo. Docent uero nos quaerere utilitatem proximi in omnibus, iuuare eundem, vt fiat ditior, et ut bona eius crescant. Exigunt quoque perfectam puritatem cordis, F 5. affectum et uoluntatem, ut iussa diuina exequamur, et prohibita omittamus. Summa haec est eorum, Qui fecerit haec, uiuet in eis: qui uero non fecerit aut permanserit in omnibus, quae scripta sunt in Lege, maledictus. Quo circa ita concludit, Ego sum Deus zelotes, id est, eo sum animo ut parcere non uelim, neque enim possum sustinere, ut a me declinetis. Sum etiam misericors, id est, bonus, benignus, beneuolus et propensus ad benefaciendum atque ignoscendum.

De Symbolo apostolorum.

SYMBOLVM dicitur collatio, ut D. Augustino placet sermo. 115. de tempore, quod plures in unum contulerunt. Tradunt itaque quod post ascensionem Domini et Saluatoris nostri ad Patrem discipuli, cum per aduentum Spiritus sancti inflammati linguis omnium loquerentur, ad singulas quasque nationes, ut uerbum Dei praedicarent ituri ac discessuri inuicem, normam prius sibi futurae praedicationis in commune statuerunt, ne de loco ad locum ab inuicem discedentes, diuersum uel dissonum praedicarent his, qui ad fidem Christi forent inuitandi. Contulerunt itaque aliquot articulos in unum, omni homini Christiano ad salutem necessarios, quae collatio dicta est Symbolum, quod quidem breue est uerbis, sed magnum Sacramentis. Quicquid enim praefiguratum est in Patriarchis, quicquid denunciatum in scripturis, quicquid praedictum in Prophetis, hoc totum breuiter Symbolum continet.

Diuiditur autem in tres partes, quarum prima docet nos de Creatione et conseruatione omnium creaturarum, uel potius de perpetua in Creatione actione Dei Patris, ut Christus dicit, Ioan. 5. Pater meus adhuc operatur, et ego operor. Dicat quis, quomodo Pater operatur usque ad hoc tempus, cum Moses dicat, quod quieuerit Deus ab omnibus operibus suis. Vt discamus igitur quomodo operetur adhuc Deus, uideamus dispensationem rerum, et opera prouidentiae Dei, solem orientem, mare, flumina, fontes, animalia et simpliciter omnes facturas, et uidebimus creaturam opera sua operari, imo recipere operationem, et ineffabili prouidentiae uerbo moueri. Quare dicit Moses requieuit, non quasi fessus, sed quia cessauit, sicut F 6. etiam Cherubin et Seraphin non quiescunt, id est, non cessant clamando et glorificando Deum, dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus

Zebaoth, Esai. 6. Desijt a condenda fabrica quam perfecerat, non aliam terrarum molem superiori addens, sed ab administrando et regendo uniuersa non cessat, Psalmo. 103. Augustinus tractatu 17. inquit: Pater operatus est cum fecit mundum, et usque nunc operatur, cum gubernat mundum. Quare fideli non alia est praesentior consolatio, ut inquit noster Philippus, quam si sciat se in manu Dei esse, uitam, uictum, mortem et omnia sua regi et disponi praesente Patre.

Secunda docet de redemptione humani generis per filium Dei Iesum Christum, qui humanam naturam assumpsit, ut nunc Iesus Christus sit Deus et homo, Ephes. 1. 1. Timoth. 1. et 2.

Tertia docet de sanctificatione, quae fit per Spiritum sanctum.

Prima pars Symboli de Creatione.

OMnipotens Deus cuncta in usum hominum creauit, non ut in his uoluptarentur, aut ijs abuterentur, sed ad neceßitatem. Praecipue autem in hunc usum creauit omnia, ut sese agnoscendum et fruendum nobis daret. Homo uero in hoc conditus est, ut creatorem suum cognoscat, amet, colat, timeat, glorificet, ei gratias agat, et fidat in omnibus, demum quoque inuitet alios ad fidendum Deo, et ad suscipiendum Euangelium de Christo. Pater quippe non potest credi sine filio, quia licet in eis sit distincta personarum proprietas, tamen una est et indiscreta maiestas, inquit D. Augustinus sermo. 116. de tempore, Oportet etiam ut Spiritus sanctus, qui ex utroque procedit, in nobis operetur, uiuam ardentemque Patris et Filij cognitionem, ut scilicet simus certi in animo nostro de ipsorum praesentia. Deus Pater creauit nos et disposuit ut salui fieremus. Deus Filius saluos nos fecit. Deus Spiritus sanctus sanctificat nos ad illam salutem, et in illa nos conseruat.

Credo in Deum. Diuersae sunt significationes, Credere Deum, Credere Deo, et credere in Deum. Credere Deum est credere, quod ipse sit Deus: Deus uero nomen est maiestatis, quo omnis creatura terretur et contremiscit, et ita credunt Daemones quoque atque contremiscunt, ut testatur Iacobus cap. 2. et D. Augustinus sermo. 181. de tempore. Credere
F 7. Deo est credere: uera scilicet esse quae loquitur, hoc et mali possunt. Credere uero in Deum, est illum diligere, illi fidere, illum colere, eique gratias agere, et hoc pij faciunt qui nomine Dei non terrentur, sed magis prouocantur, et ut Patrem cum omni fidutia accedunt, qui habet Filium uere genitum, per quem et propter quem uult nos saluare, tueri, iuuare, defendere, non aliter ac Pater filios suos, qui nos antequam iacerentur fundamenta mundi, elegit, praedestinauit atque adoptauit per Iesum Christum Filium suum unicum Dominum nostrum. Est uero Pater uox fiduciae: nam qui credit Deum esse patrem, is omnia sibi de Deo pollicetur, omniaque de ipso expectat, qui omnia quae uult potest, cui nihil est impoßibile. Quare credimus illum esse Omnipotentem, qui coelum et terram, mare, homines et omnia animalia reptiliaque, non aliquo operis actu, sed solo uerbi imperio creauit, huic ut filij dilecti pareamus, grati simus, nec unquam desperemus, quin omnia quibus indiguerimus, ut coelestis, ut clemens, ut benignus, ut misericors, ut omnipotens quoque Pater, affatim petentibus nobis sit suppeditaturus.

Secunda pars Symboli. De Redemptione.

Et in Iesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum. Quia aequalis est maiestate et gloria cum Patre, quare quantum Patri, tantum quoque Filio honoris nos debere nouimus, et seruitutis obsequium, teste Augustino. Nam qui Filium negat, is ne quidem Patrem habet. 1. Ioannis 2. Vocatur autem Iesus quod saluet populum sibi credentem, Matth. 1. Item Christus, id est, unctus: Primum enim intercedit pro nobis ut Sacerdos, Roma. 8. uolens ignitam suam erga nos dilectionem monstrare, uerum non intelligamus per interceßionem, quandam diminutionem, primo enim parem adeoque aequam dignitatem habes in eo, nimirum quod sit ad dexteram Patris, deinde adijcitur interceßio nobis in consolationem, quod ceu humano more, dictum est, quoniam Pontifex erat. Haec Oecumenius Graecus. Deinde nos quoque defendit et pro nobis pugnat aduersus Satanam et eius regnum, ut rex cui data est potestas in coelo et in terra, Matthaei ultimo. Vocatur et Vnicus, quia nec recipit comparationem cum creaturis, neque similitudinem quoque: homines, fideles nempe, etiam uocantur Filij Dei, sed per gratiam adoptionis, is uero solus per diuinam naturam genitus, quomodo uero genitus sit, nos non quaeramus neque discutiamus, hoc enim nesciunt Angeli, est quoque incognitum Prophetis, Iuxta illud Esa. 53. F 8. 20 Generationem eius quis enarrabit? scire nobis sufficit, quia genuit lux splendorem, proinde scriptura dicit, In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, Ioannis 1. Demum quoque Dominus noster, quibus uerbis testamur, quod Iesus Christus, nos ex captiuitate peccati, mortis, inferni ac Diaboli, sub suum dominium redegerit, ac iam illis hostibus omnibus dominetur, et quod nos in Christo Domino nostro illis hostibus simus superiores.

Qui conceptus est de Spiritu Sancto, id est, cuius conceptionis solus autor est Spiritus sanctus, teste Augustino, ergo uerus Deus et uerus homo est Christus, constans duabus naturis, diuina atque humana, quam praefinito ac statuo a Deo Patre tempore, ex matre uirgine Maria assumpsit, Galat. 4. Voluit autem de Spiritu sancto concipi, ut conceptus noster impurus et damnationi obnoxius, per ipsum purgaretur, ne propter nostri conceptus sordes in interitum aeternum conijceremur.

Natus ex Maria uirgine. Qui uenerat inueteratam hominum naturam renouare peccatis, uoluit quoque habere nouam legem nascendi, inquit Augustinus: est uero nobis natus teste Propheta Esai. cap. 9. ut nos, qui filij irae nascimur, Ephes. 2. Dei filios charißimos redderet, et nostrae natiuitatis maculas abstergeret, et tandem a maledictione legis, a peccatis et tyrannide Diaboli liberaret, et duceret secum ad uitam aeternam.

Passus sub Pontio Pilato. Mentio nominis Pilati non ad dignitatem personae ipsius pertinet, sed ad significationem et certitudinem temporis. Illo enim tempore Pilatus constitutus erat iudex in Iudaea ab Imperatore Romano. Non autem putatiue passus est, sed uere, ut testatur scriptura, nempe esuriem, sitim, laßitudinem, dolores, et si quid est huiusmodi, denique et mortem ipsam, pro nobis miseris peccatoribus, ut peccatis mortui, iusticiae uiueremus, Esaiae 53. 1. Petri 2. id est, ut iusti

simus, non imputatis peccatis propter Christum, qui sua paßione meruit nobis omnibus deletionem culpae, et collationem gratiae et gloriae, ut inquit Scotus: Verum eius paßio non nisi credentibus efficax est, ut testatur Petrus de Aquila. Consideremus uero paßionem Christi bifariam, primum ut Sacramentum, quod et significet et donet mortem peccati in nobis: deinde ut exemplum, ut etiam libenter omnia mala, quae nobis G 1. obueniunt, aequo animo feramus, et sequamur uestigia Christi, hoc qui non facit, non est Christianus, ut dicit D. Augustinus.

Crucifixus, Id est, obtulit sese in cruce pro peccatis nostris uictimam Deo. Neque est alia pro peccatis satisfactio, quam Deus Pater recipit, nisi illa una oblatio facta in cruce, et semel quidem, ut testatur autor Epistolae ad Hebraeos, ut illa in aeternum iuuemur, et emundemur ab omnibus peccatis, cuius recordationem nobis in coena sua reliquit, Luc. 22. 1. Corin. 11. D. Augustinus triplicem rationem aßignat, ser. 181. de tempore, quare Christus uoluit mori in cruce, prima, ut pro reatu mundi daretur redemptio, et antiquus hostis uelut hamo crucis caperetur, nempe ut quos absorbuerat, euomeret, Secunda, ut secutoribus hominibus praeberet magisterium uitae 1. Petri 2. Tertia, ut superbia saeculi et inflata sapientia per stultam praedicationem crucis (ut putatur, 1. Corin. 1.) humiliata corrueret.

Mortuus. Eadem natura carnis scilicet in qua natus est et passus. Mortuus est autem, ut pro peccatis nostris, propter quae et nobis moriendum est (mors enim peccati stipendium teste Apostolo) et mors uolebat nos absorbere, satisfaceret, et mortis uires frangeret, Ose. 13. 1. Cori. 15. 2. Timo. 1. Ioann. 8. et 11. Secundum istud Distichon:

Mors, mortis, morti, mortem ni morte dedisset,
Coelorum nobis ianua clausa foret.

Vnde mors piorum somnus atque requies, in multis locis sacrae scripturae, appellatur. Quare D. Bernhardus serm. 26. in Cantica canticorum Salomonis, ita dicit: Nunquid occisum quis dixerit, quem Deus plantauit in uitam? non amittimus eos, sed praemittimus, qui ex hac uita discedunt, illis mors non est stimulus, sed iubilum: Christus enim illos, qui in ipsum credunt, resuscitaturus est in nouißimo die. Mors quidem in Christianis moritur, et perforatur hamo, quem incauta glutit. Non ob eam caussam peccata nostra in sese transtulit, mortis supplicium pro nobis subiens, ut nos obnoxios morti teneret, eiusque debitores, sed ut nos iustificaret, a peccatis liberaret, ac omnino inculpatos dimitteret, et mortem quoque destrueret, eamque exarmaret. Haec Theodulus.

Et sepultus. Vt sepulturae sanctorum bene diceret, et nos sibi uitijs et concupiscentijs mortuos sepeliret, quare sepultura a nobis religiose et honeste celebrari debet propter ineffabilem spem nostrae resurrectionis. Hoc enim solatio erigimur aduersus duritiam et crudelißimam neceßitatem mortis, quod breui sumus eos uisuri, quos absentes dolemus, lege Paulum 1. Thessalo. 4. Vnde:

G 2. Securus moritur, qui scit se morte renasci:
Mors ea non dici, sed noua uita potest.

Studeamus saltem ita uiuere, ut cum tempus moriendi aduenerit, in domino moriamur, scientes tam certo nos resurrecturos esse, quam certum est Christum resurrexisse.

Descendit ad Inferna. Quandoquidem Christus sua morte mortis aculeum hebetarit, imo prorsus fregerit, ut non sit quod amplius timore mortis corripiamur: Deus enim in hoc ordinauit mortem, ut hoc malum aliquando finiat, nempe peccatum, et mors nil aliud sit, praeterquam ministra uitae et iusticiae, ut dicit noster Rhegius: Ne uero Infernus, seu tyrannis Diaboli ullum etiam timorem nobis incutiat, Descendit etiam ad inferos, ut nos ab inferni poenis eriperet, et mitteret nobis Diabolum sub iugum, qui, teste Cypriano, adeo deuictus est, ut in tentationibus illi prorsus nihil liceat, nisi quantum illi concedatur. Simus igitur grati Deo Patri et Domino nostro Iesu Christo. De Inferno lege Augustinum sermone 26. ad fratres in Eremo, et sermone 68. ad eosdem. Item sermone 137 de tempore, ubi disputat quomodo Christus inferos splendido et terribili descensu uisitarit.

Tertia die resurrexit a mortuis. Et eadem natura carnis quoque in qua natus, passus et mortuus est. Non enim exinanita est humanitatis substantia, sed glorificata in aeternum cum deitate mansura: In paßione quidem pietatis mysterium considerandum est, in resurrectione uero diuinae potestatis operatio obseruanda, ut D. Augustinus docet. Ipsemet enim ita dixit, Potestatem habeo ponendi animam meam, et rursus sumendi eam. Ioann. 10. Hoc est, sum Dominus mortis, et dux uitae: resurrexit autem propter iustificationem nostri, Roma. 4. id est, ut nos iusti essemus coram Deo, et ita consequeremur condonationem peccatorum et uitam aeternam. De isto autem articulo ita loquitur D. Augustinus serm. 138. inquiens, Reddunt inferna uictorem, et superna suscipiunt triumphantem: Sustulit errorem natus, mortem calcauit occisus, reuocauit ab inferis quem creauit, in illius cruce pependit precium nostrum et regnum. Congaudeant hic elementa quae planxerant, quia Christus de sua maiestate nihil perdidit, et hominem quem fecerat liberauit.

Paulus monet Timotheum dicens, Memento Christum resurrexisse a mortuis. Nam in hoc sita sunt omnia, et est eximia pars et principalis articulus fidei ac basis, siquidem Christi resurrectio nostra iustificatio est, quae in nobis glorificationem et uitam spiritus operatur.

Verum non praetereunda silentio est pia et fidelis admonitio Apostoli, G 3. Roma. 6. dicentis: Quemadmodum Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in nouitate uitae ambulemus, quo scilicet doctrina Christi seruatoris nostri ornetur in omnibus nobis. Gloria Patris est diuinitas Christi, inquit Theodoretus, et uitae nouitas est, in qua emoritur peccatum quidem, resurgit autem uita, uirtute et fide conspicua ut si fornicator non porro fornicetur, et raptor ac praedo non amplius praedetur, uitae dicitur nouitas, quae fit confecta nequitia et excitata uirtute, secundum Theophilactum.

Ascendit ad coelos, Id est, conditionem nostrae naturae quam ex homine matre assumpsit, super coelos in dextra Dei Patris collocauit. Ascendamus autem et nos cum Christo interim in corde, ut cum dies eius promissus aduenerit, sequamur et corpore. De ascensu Christi glorioso egregie loquitur Propheta Regius Psalm. 67. cuius uerba citat Paulus ad Ephe. 4. et Psal. 46. describitur quoque in Actis cap. 1. et Marci ultimo. Propheta sic ait, Psal. 67.

Ascendisti etenim Deus hinc euectus in altum,
Captiuos tecum uictor ab hoste uehens.

At quam hic narrat captiuitatem? Nimirum Diaboli. Diabolum namque et mortem, maledictionem insuper et peccatum, in seruitutem subacta, Christus, quorum ex ditione et nos liberauit, qui his malis eramus obnoxij. Haec Theophilactus. Et hoc factum est ascendente redemptore ac Triumphatore nostro Iesu Christo, iuxta illud Tetrastichon:

Dextra ubi consurgens se mouerit alta tonantis
Mox capiet celerem turba inimica fugam.
Hic rex non armis, uerbo tamen omnia uincet:
Vt ueterem strarunt Hierichunta tubae.

D. Augustinus sermone 174. de tempore, sic dicit, Christus ideo ascendit, ut nos desuper protegeret: habemus ergo Dominum et saluatorem nostrum Iesum Christum prius pendentem in ligno, nunc uero sedentem in coelo. Impletum igitur est illud Apoca. 5. nempe, Vicit Leo de tribu Iuda, Radix Dauid, imo et germen, inquit Ioannes Huß, quia mater Christi fuit de tribu Sacerdotali et Regia. Et Christus secundum diuinitatis potentiam firmauit regnum Dauid in aeternum, et secundum humanitatis infirmitatem proceßit de stirpe Dauid. Merito Leo dictus, Fortis nimirum et inuictus, et rapax quasi Leo, cum mundi principe congrediens, praedam ab eo tulit, uicitque illum, quem etiam quotidie in electis suis uincit. Haec F. Lambertus.

G 4. Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Sedere iudicantis est, ut D. Augustinus inquit, et quia Redemptor noster assumptus est in coelum, et nunc omnia iudicat, et ad extremum Iudex omnium ueniet, sedere dicitur: de qua seßione loquitur D. Petrus cap. 3. prioris Epistolae, et Paulus 1. ad Ephesios. Credere autem Christum ascendisse ad coelos, et sedere ad dexteram Patris omnipotentis, nihil aliud est, quam quod sese propterea Christus a nostro conspectu subduxerit, ut cum omnibus hominibus rem habere, omnes regere, omnibus concionari, et esse in omnibus et uelit et poßit, ac ut omnium quoque preces exaudire, et rationibus nostris consulere, nos contra omnia mala defendere, et pro nobis deprecatorem et aduocatum agere queat.

Inde uenturus est iudicare uiuos et mortuos. In ipso corpore uenturus est ad iudicium, quo ascendit in coelum, tunc omnes astabimus ante tribunal Christi, teste Apostolo 2. Corinth. 5. ut referat unusquisque propria corporis sui pro ut geßit, siue bonum siue malum. Non reddet secundum misericordiam suam, sed secundum merita nostra, hic enim misericors est, ibi erit iustus: quare ueniet ut remuneret iustos, et puniat peccatores, hoc est, sese quidem ostensurus est clementem Dominum piorum, nempe liberatorem, sed impiorum iudicem seuerum fore.

De extremo iudicio legitur Matth. 25. Marci 13. et Lucae 21. Venient quidem Angeli ut congregent electos, qui tanquam in nubes rapti, occurrant Domino iudici Christo 1. Thessal. 4. 2. Petri 3. Psalm. 96. et Psalmo 98.

Diriget aequatis terrarum legibus orbem,
Et fida populos dexteritate reget. Vel sic.
Iusticiam ipse suam terras diffundet in omnes,
Et populos aequa conditione reget.

Actorum 17. Deus annunciat hominibus, ut omnes ubique resipiscant, eo quod statuit diem, in quo iudicaturus est orbem terrarum cum iusticia, per eum uirum, per quem decreuerat, fide praestita omnibus, quum excitarit illum a mortuis.

Tertia pars Symboli. De Sanctificatione.

Credo in Spiritum sanctum. Spiritus sanctus est aeternus cum Patre et Filio Deus, nostrae haereditatis pignus et arrabo salutis, Ephes, 1. qui renouat corda nostra, uiuificat atque sanctificat nos, penitus quoque in alios homines transformat, consolatur, gubernat, repurgat ab G 5. immundicijs peccati, et tandem seruat a terroribus peccati et extrema desperatione.

Sanctam Ecclesiam Catholicam Sanctorum communionem. Ecclesia est populus consentiens de uerbo Dei, et de uero eius cultu, habens Spiritum sanctum, et externas notas proprias, Sacramenta uidelicet, et confeßionem uerbi Dei. Dicitur autem Sancta, quia mundata est a peccato, abluta precioso sanguine Domini nostri Iesu Christi, Ephes. 5. et gubernator eius est Spiritus sanctus. Erat immunda Ecclesia et deformis, inquit Theophilactus, nil tamen hanc uel squallentem aspernatus est Dominus, sed purificauit lauacro aquae, hoc est, in baptismi uerbo et uitae, Patris scilicet et Filij et Spiritus sancti nomine. Dicitur et Catholica, id est, uniuersalis, una nempe in toto orbe, et uniuersaliter omnium hominum, sed qui in Christum credunt, ut unicum et aeternum Saluatorem suum, et uitae nouitati student. Coepit autem Ecclesia illa sancta tempore Adae et Euae, nam statim facta promißione de Christo, cui cum iam crederent Adam et Eua, Ecclesiae membra fieri coeperunt: Quare Augustinus ita dicit, Credo sanctorum communionem, id est, Credo, quod cum illis sanctis, qui in hac quam suscepimus fide, in Christum scilicet, defuncti sunt, societate et spei communione teneamur.

Remissionem peccatorum. Hocque est remedium quod hominum genus a sententia perpetuae mortis absoluit, ut dicit S. Augusti. Ecclesia non ita sancta est, ut prorsus omnibus malis cupiditatibus careat, quare confitetur sua peccata, et ea sibi remitti orat, Matthaei 6. et credit remißionem peccatorum, quam consequitur per fidem auditi uerbi, et administrationem Sacramentorum.

Carnis resurrectionem. Quam ita credimus, ut dicamus nos in eadem, in qua nunc sumus, membrorum ueritate, esse reparandos, quales etiam semel post resurrectionem fuerimus effecti, sic et in perpetuum mansuros, Haec Augustinus. Corpus hoc nostrum resurget quod modo hic cernimus, Iob 19. sed mutata eius conditione et qualitate, inquit Cyprianus: erit enim incorruptibile et immortale. De hoc articulo lege Ezechiel. 37. Daniel. 12. 1. Corint. 15. 1. Thessalo. 4. Philippen. 3. Augustinus sic ait, Caro resurget incorruptibilis, sine uitio, sine deformitate, sine onere ac pondere, et quae tibi modo facit tormentum, erit tibi postea in ornamentum. Proinde nihil nos moueat, qua morte intercidat G 6. caro, aut quo elemento absorbeatur: in extremo enim die, infinita uirtute eius, qui omnia creauit ex nihilo, reuocabitur integra, id est immortalis, incorruptibilis, gloriosa, nullis carnalibus obnoxia affectibus, illustris, angelicae naturae propinqua, et tandem potens ac sine omni uitio. Illi

uero quos dies extremus deprahenderit, neque sepelientur, neque morbis concident, sed illico extincti simul et commutati, aut rapientur in coelos, aut in tartara praecipitabuntur, iuxta illud Athanasij, et qui bona egerunt, ibunt in uitam aeternam, qui uero mala, in ignem aeternum: et Ioan. 3. Qui credit Filio, habet uitam aeternam: Qui uero non credit Filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum.

Et uitam aeternam: Quae erit plena gaudio atque laetitia, debemus itaque quae coelestia sunt sentire et sapere, et ad nostram superiorem illam patriam, quae est aeterna uita, contendere, ubi nobis est uersari et uiuere constitutum. Ibi enim et Dominus noster et imperator iam residet, quem hic per speculum in aenigmate, id est, fide tantum et uerbo cernimus, tunc uero eundem facie ad faciem uisuri erimus, quem modo ad nos descensurum paterna gloria ac maiestate et sanctis Angelis comitantibus expectamus, quo adueniente, hoc nostrum corpus, quod nunc multa patitur, constringitur et uapulat, estque infinitis malis, doloribus et corruptioni obnoxium, transfigurabitur et reformabitur, hoc est, id ipsum permanens obducetur incorruptione et uiuet perpetuo.

De uita aeterna D. Augustinus sic: Quae lingua dicere, uel quis intellectus capere sufficit illa supernae Ciuitatis (id est, aeternae uitae) quanta sint gaudia? Angelorum choris interesse cum beatißimis spiritibus, gloriae conditoris aßistere, praesentem Dei uultum cernere, incircumscriptum lumen uidere, nullo metu mortis affici, incorruptionis perpetuae munere laetari? Cur non properamus et currimus, ut patriam nostram uidere poßimus? Magnus illic charorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorum frequens nos et copiosa turba desiderat, iam de sua incolumitate secura. Ad hos Dei electos, auida cupiditate properemus, ut cum illis cito esse, et cito nos ad Christum uenire contingat, quem istius itineris ducem, salutis autorem, uitae principem et laetitiae largitorem habemus. Haec ille.

G 7. 30

De Oratione Dominica.

ORATIO est exercitium fidei, qua omnia impetramus, quibus tum in anima, tum in corpore opus habemus, qua etiam gratias agimus Deo pro suis in nos beneficijs. Est et desiderium cordis et seria nominis Dei inuocatio, Serium animi cum Deo colloquium, anxium suspirium, et uera tandem eleuatio mentis ad Deum, quae omnino necessaria est, cuius intermißio homini christiano ipsißimum uenenum est: hac quidem summe glorificatur Deus, qui promisit exauditionem, ut sciamus nos non frustra orare. Est et oratio bonum opus secundi praecepti, iubemur itaque orare, iuxta illud, Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me, Matt. 7. Petite et dabitur uobis, et 26. Orate, ne intretis in tentationes. 1. Thessalo. 5. Orate incessanter. Oremus autem fide, id est, credamus quod Deus nos sit exauditurus. Est enim fides in primis et summe necessaria ad orationem, quia appraehendit promißionem exauditionis ad effectum: qui enim orat sine fide, is non exauditur, Iacobi 1. Habent autem Christiani semper uel pro se, uel pro alijs orandi neceßitatem, quae efficit, ne inuanum aut frigide oremus, sed praebet occasionem orandi, scriptum est enim, Esaiae 26. In angustia quaesierunt te Domine.

Multis enim rebus et indigemus, et multis malorum procellis in singula momenta obijcimur. Christus uero persona est, propter quam exaudimur, ita ipse quidem dicit, Amen, amen, dico uobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Differt autem Deus interdum exauditionem, scilicet ut probet nostram fidem, fides namque et spes non confundunt: quare certißime sequitur exauditio, ubi est ex gloria Dei et nostro commodo: orandum igitur est cum leproso, Domine si uis, potes me mundare, Matth. 8. et 6. Fiat uoluntas tua. Orandum est secundum Deum, id est, secundum uoluntatem Dei, pro sanctis, id est, puris Deoque placentibus operibus, ut uult Photinus.

Oratio Dominica, a Domino Christo autore prolata, qua non potest alia esse succinctior, compendiosis uerbis omnia de quibus Deum interpellamus, compraehendit, aut pro bonis appetendis, aut pro uitandis malis, aut pro delendis commißis, haec D. Augustinus sermo. 182. de tempore. Complectitur uero tria, nempe Prologum, Septem petitiones, et Conclusionem.

De Prologo. G 8.

Pater, est uox fidei, qua agnoscimus sublimitatem conditoris, seruatoris ac moderatoris omnium quae in coelis sunt, et quae in terris, et nostram humilitatem, cui non timore sed amore famulamur, inquit Augustinus, Quare mauult audire Pater quam Dominus.

Noster, est uox dilectionis, non enim unius Pater est, sed omnium qui fidunt in Filium eius unigenitum, Iesum Christum, Dominum ac fratrem nostrum. Complectitur itaque haec uox omnes, quotquot sunt, qui sese in Christo fratres cognoscunt.

Qui es in coelis, est uox crucis. Deus est ubique, sed peculiariter in coelis, et in rebus coelestibus atque supremis uersatur. Auocamur quoque hac uoce a rerum mundanarum desyderio ad contemplationem rerum coelestium, et precamur ut nobis, qui in hoc mundo, qui est Sathanae regnum, in ingentibus et uarijs periculis uersamur, subueniat, et tandem nos suos filios ex aerumnis huius mundi eripiat.

De septem Petitionibus.

I.

Sanctificetur nomen tuum. Sanctificari hic nil est aliud, ac laudari, glorificari, praedicari. Petimus quoque ut largiatur nobis gratiam suam, ut sine offendiculo uitam traducamus, ne uerbum Dei propter nos male audiat, sed ut doceatur pure, et nomen Domini a nobis glorificetur praediceturque laudibus, ut omnis creatura tremat ineuitabilem eius potentiam, aeternam sapientiam ueneretur, ametque ineffabilem bonitatem: et ut sui nominis splendor obscuret atque extinguat in nobis omnem humanam gloriam.

II.

Adueniat regnum tuum. Oramus pro illo regno, in quo uerbum Dei exercetur, ut Deus per fidem gratiae suae in nobis regnet, uiuat et operetur, faciatque nos sibi seruire, ne immortalis et coelestis uitae gloria priuemur: Imo ut non solum eius uerbum in nobis frugiferum sit, sed

ut in toto terrarum orbe longe lateque spargatur, ac ita eius regnum propagetur, et ut impertiat nobis Spiritum sanctum, qui corda nostra per fidem ab omni peccatorum labe perpurget, et uerum in nobis diuini uerbi amorem accendat, ut istud et lubenti animo imo uehementi cordis desiderio suscipiamus, et perpetuo amemus quoque.

H 1. Adueniat: Id est, manifestetur mundo, ut exponit S. Augustinus.

III.

Fiat uoluntas tua, sicut in coelo et in terra. Oramus ut diuinae uoluntati per omnia et in omnibus respondeamus eique obtemperemus, ut sicut in electis iam glorificatis in coelo et in Angelis quoque conformitas est atque unitas uoluntatis eorum ad uoluntatem Dei, ita et in nobis, qui adhuc militamus in terris contra regnum peccati et mortis, eadem perficiatur atque compleatur, ut praestet, inquam, ea omnia quae uult a nobis fieri: et si aduersa nobis accidant, bonam uoluntatem Dei agnoscamus, uolentis nos ad poenitentiam, et ad fidendum sibi prouocare, sin prospera, ne insolescamus, sed sibi ex animo grati simus.

Fiat: Id est, consentiat caro spiritui, inquit Augustinus, quia non aliunde tantum dolorem habet humana miseria, quantum inde, quod caro concupiscit aduersus spiritum, et spiritus aduersus carnem, Galath. 5.

Et hae tres petitiones pertinent ad aeternitatem, et complectuntur omnia spiritualia tam publica quam priuata, quae ad gloriam Dei, et ad nostram salutem spectant, quarum series est, Nemo potest Deum sanctificare, in quo ille non regnat, Deo autem uolente in nobis regnare necesse est uoluntates nostras, id est, desideria illa carnalia, per se impura, praua et noxia, mortificari et interire. Quatuor uero petitiones, quae restant ad praesentis uitae neceßitatem pertinent, et docent quo sit confugiendum in omnibus neceßitatibus rerum temporalium atque corporalium.

IIII.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Oramus pro omnibus neceßitatibus corporis, pro pace horum temporum, pro uictu, ut Deus agricolarum labores fortunet, terram hymbre foecundam reddat, quo foeliciter segetes proueniant atque fruges, ut Deus arceat omnia mala, quae solent fructus terrae perdere atque suffocare, ueluti sunt grandines, fulmina, uermiculatio, et huiusmodi: auertat quoque malum belli, quo agri uastantur, conculcantur segetes, cultores agrorum trucidantur, ut necesse sit oriri caritatem annonae: Pro bona ualetudine quoque oramus, et pro conseruatione bonae ac honestae famae, pro fideli familia, pro casta coniuge, pro morigeris liberis, pro pijs magistratibus, pro doctis concionatoribus, et in summa, pro defensione omnium rerum corporalium.

H 2. Hodie Pertinet ad illud Matthaei 6. Nolite cogitare in crastinum. Laborandum quidem est singulis nobis, sed cura pro omnibus neceßitatibus Deo relinquenda, qui est tam opulentus, tam benignus, tam nostri amans, cuique tantopere curae sumus, ut minime commissurus sit, quandoquidem etiam passerculis uagis de uictu prospiciat, quumque lilia pratensia tanto decore uestiat, nobis deesse cibum ac uestes.

V.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Filius Dei Dominus noster Ihesus CHRISTVS, imbecillitatem suorum membrorum non ignorans, huic malo commonstrauit remedium, uocans nos in certam spem, fore ut Deus pro sua clementia nobis remittat peccata nostra, si nos uicißim ex animo condonauerimus, quod frater in nos peccauit. Est autem haec aequißima impetrandae ueniae conditio: qua enim fronte deprecari audet patris uindictam, qui leuem offensam in fratre suo parat ulcisci? Quare cum peccata nostra conscientiam perturbant, docemur hac additione ceu certißimo signo et symbolo nos debere cognoscere peccata nostra nobis a Deo remissa esse, si proximo delicta, quibus nos offendit, condonauerimus. Non negas fratri misericordiam, ne tibi claudas patris indulgentiam.

VI.

Et ne nos inducas in tentationem. Non precamur ne tentemur, Sed ne in tentationem inducamur, id est, ne a tentatione uincamur, ne Deus nobis praesidium suum ac protectionem in tentatione subducat, sed nos custodiat atque defendat. Est enim tota haec uita undique plena Diaboli laqueis. Pro exemplo sunt, Iob, Saul, prius electus, post reiectus, Dauid uir secundum cor Dei, initio quidem bonus, postea fit reus caedis et stupri, ut inquit Tertullianus, Petrus et plures alij. Demum non ueritus est tentator ille, ipsum filium Dei, technis suis aggredi, Matthaei 4. Orandum est itaque, ut non permittat nos Deus tentari supra id quod possumus, sed faciat cum tentatione prouentum, ut sustinere poßimus.

VII.

Sed libera nos a malo: Id est, ab omnibus periculis et malis, quae uel animae uel corpori possunt ferre incommodum.

De Conclusione. H 3.

Quoniam tuum est regnum, et potentia et gloria, in saecula saeculorum: Christus Dominus noster animat nos hoc loco: Si enim Rex est potens Pater ac gloriosus, omnino et nos uincemus malignum, et post hac glorificabimur. Haec Theophilactus.

Amen: Id est, fiat, quae uox huic oratione acceßit, ut non dubitemus preces nostras esse exauditas, et nos euasuros esse uoti compotes.

De Baptismo.

DEVS ab initio uoluntatem suam mundo manifestaturus hisce medijs usus est, scilicet Verbo et Signis. Quoties enim homini aliquid uerbo suo promiserit, statim addidit signum, quo facilius ea, promissa nempe in oculos nostros incurrerent, et nos diuinae ueritatis admonerent: idque propter nostram infirmitatem, ut qui solemus non contenti esse simplici uerbo seu nudis promißionibus, mutua illa uerbi et signorum cohaerentia duceremur ad firmam indubitatamque fidem erga promißiones Dei. Sic cum Noë promisisset se posthac orbem non perditurum aut submersurum esse diluuio, pro signo addidit arcum coelestem, nempe iridem, Gene. 9.

Sic cum Abrahae dedisset promissionem de benedicto semine, nempe Christo, Gene. 22. Galat. 3. per quem omnes gentes terrae essent benedicendae, pro signo circumcisionem addidit: Ita quoque in Nouo Testamento factum est: ut enim certi essemus de promißione remißionis peccatorum, per Christum Filium Dei et nostrum mediatorem, instituta sunt Sacramenta, quae sunt signa gratiae, id est, diuinae promißionis seu uoluntatis erga nos, de remissione peccatorum et iustificatione propter Christum, qui nos sua morte Patri reconciliauit, et sanguine suo abluit atque mundauit a peccatis, quorum effectus est, fidem illam, quam uerbum promißionis de beneuola Dei uoluntate, fauore et gratia erga nos parit, excitare, erigere, corroborare, certificare, confirmare, et tandem de gratiarum actione et mutua inter nos dilectione admonere. Quare uocantur testimonia et signa externa, fidem ex uerbo conceptam confirmantia, quae idem monent plane et docent quod ipsum uerbum. Euangelium enim H 4. quod est uerbum Dei, annunciat nos habere remißionem peccatorum et uitam aeternam gratis propter Christum, idem monet et docet Baptismus, ostendens nos a peccatorum sordibus ablutos et mundatos esse sanguine filij Dei. Idem docet et monet nos Coena Domini, nempe nos hoc corpore Christi, quod sumimus, redemptos, hoc sanguine, quem bibimus, mundatos esse a peccatis.

Est uero Baptismus Graeca uox, significans mersionem seu tinctionem, et est signum Christianorum, quo in gregem Christi et ordinem innouandorum spiritu recipiuntur, qui tinguntur. Et illa tinctio seu mersio est signum poenitentiae, mortificationis carnis atque regenerationis, ut paßim scriptura testatur, praesertim autem Ioannis 3. Nisi quis natus fuerit superne, non potest uidere regnum Dei. Natiuitas enim per Baptismum, animae illuminationem praebens, dat uidere regnum Dei, id est, cognoscere unigenitum eius Filium, inquit Theophilactus.

Symbola autem sepulturae et resurrectionis in aqua illa perficiuntur. Est enim baptismus signum morientibus quod sint reuicturi, teste Vulgario.

Marci 1. Omnes qui ueniebant et baptizabantur a Ioanne, soluebantur per poenitentiam a uinculo peccatorum suorum, dum credebant in Christum.

Roma. 6. Colos. 2. Vbi ostendit Baptismum esse sepulturam ueteris hominis, et resurrectionem rursum et nouam uitam. Quare etiam Sedulius baptismum resurrectionis pignus et imaginem uocat: et quod per aquam celebratur, fit ideo, ut sicut aqua sordes abluit, ita et nos per baptismum ab omni peccato spiritualiter purgatos et innouatos credamus. Sicuti enim corpus Domini nostri Iesu Christi tumulatum adeoque in terram sepultum, salutem mundo protulit, sic et nostrum corpus per baptisma sepultum, nobis ipsis produxit iusticiam. Baptisma enim in nobis eum obtinet locum, quem crux ipsa et sepultura in Christo, ut dicit Theophilactus. Item, non solum Christi sepulchrum, quin et resurrectio ipsa per baptisma praetenditur, per fidem nimirum, Nam cum fide certiori tenebimus suscitandi Deum habere hanc facultatem, nobisque eam ad rem argumento fuerit, quod Christum excitarit a mortuis, profecto bifariam iam resurreximus: tum quia resurrectionem speramus, quam fide cernimus, etsi futura sit illa, quam hac ipsa adepti sumus, tum quia procul a nobis per Spiritum mortem eijcimus, quae ex operibus peccati imminebat. Haec idem.

Augustinus epistola 5. ad Marcellinum sic ait, In baptismate oculi H 5.
tui uident immersionem seu tinctionem ternam, aures tuae audiunt promißionem gratiae, Qui crediderit et baptizatus fuerit, saluus erit. His sensibilibus rebus Deus donat gratiam suam inuisibilem et redemptionem, quae est in Christo Iesu. Proinde Baptisma non iudicandum est talis aqua, quam haurit uacca, quemadmodum Sanctus Lutherus dicere solebat, sed aqua diuinae maiestatis, id est, sanguis Filij Dei, et ignis spiritus sancti, in quo Filius per sanguinem suum sanctificat, Spiritus s. per ignem suum purificat et mundat, Pater per lucem suam uiuificat, ita ut tres illae personae diuinitatis praesentes una idem opus diuinum conficiant, suamque uirtutem omnem Baptismo inserant atque indant. Non itaque ambigamus, sed certo statuamus, quod ubi iuxta Christi institutionem baptismus cuipiam ministratur, ibi adsit praesens Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, quodque in coelis maximum gaudium, et quod peccatum condonatum, coelique semper aperti, nec posthac unquam ira, sed nihil aliud quam gratia, fauor ac beneuolentia sit. Summa, Baptizari nil aliud est, quam roseo illo et precioso sanguine lauari et mundari.

Qui crediderit. Christus his uerbis docet nos duo, primo, quid Baptismus prodesse aut operari debeat, deinde quales hi sint, in quibus uim et uirtutem suam exercere debet, aut qua re opus sit, ut utiliter eum accipiamus, nempe fide. Haec diuus Lutherus in quadam homilia de Baptismo.

Quid uero utilitatis conferat baptismus, pulchre de hoc disserit D. Augustinus sermone 138. de tempore, ubi inter caetera sic ait, Baptismus delet, quicquid praeuaricatio sordidauit. Quare Petrus Iudaeis corde compunctis ait, Resipiscite, et baptizetur unusquisque uestrum sub nomine Iesu Christi in remißionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti, Actorum 2.

Lauacrum regenerationis. Nos nascimur filij irae et rei aeternae mortis propter peccatum quod afferimus nobiscum, sed uirtute atque fiducia illius uerbi quod nobis in baptismo proponitur, liberamur ab originali peccato et malo.

In Spiritu sancto: Is enim est in nobis efficax, et operatur sua uirtute nouam et spiritualem uitam, hoc est, uerum timorem, ueram fidem, spem, dilectionem, pacientiam, castitatem, temperantiam, sobrietatem et huiusmodi uirtutes Christiano homine dignas. Quomodo autem baptismo H 6.
regeneremur diserte docet Augustinus tractatu 4. in epistolam beati Ioannis.

Indubitatus sermo. Perinde est ac si dicat, Indubitata et certa sunt promissa coelestia.

Sepulti sumus. Baptismus igitur Christi est nobis sepultura, in quo nimirum peccatis morimur, sepelimur criminibus, et ueteris hominis conscientia resoluta in alteram natiuitatem rediuiua infantia reparamur: quia ibi perdidimus quod ante uiximus, et ibi denuo accipimus ut uiuamus. Magna inquam huius sepulturae gratia, quae et purificat peccatorem, et uiuificat morientem. Haec D. Augustinus sermo. 128. de tempore. Mori autem peccato est, non obsequi desiderijs peccati, mortificare membra, tollere crucem, et Christum sequi, id est, in nouitate uitae ambulare,

donec ad aeternae uitae gloriam perueniamus, in qua Christus est, nostra iusticia, salus et uita aeterna, cuius diuinitas gloria patris appellatur, secundum Theodoretum.

De Confessione.

EST quidem peccatorum confeßio necessaria, et praecepta a Deo, qui ad Mosen locutus est dicens: Loquere ad filios Israel, Vir siue mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quae solent hominibus accidere, et per negligentiam transgreßi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum.

Forma uerae confeßionis extat apud Danielem cap. 9. hoc modo: Domine nobis et patribus nostris confusio faciei, qui peccauerimus, tibi autem Domino Deo nostro misericordia et propiciatio, quia receßimus a te, et non audiuimus uocem Domini Dei nostri ut ambularemus in lege eius. Hanc quae sequitur delictorum condonatio, ut testatur D. Ioan. Euangelista, inquiens, si confiteamur peccata nostra, fidelis est, et iustus (Deus) ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate, et propterea animaduertenda est admonitio illa apud Esaiam cap. 43. dicentem, Narra si quid habes, ut iustificeris: conqueritur ergo Regius H 7. Propheta Psalm. 31. quod ossa sua contabuerint atque inueterauerint, quia tacuit confeßionem peccati, q. d. quoniam delicta mea et animi maliciam tacui, non libere confitendo, pro ut debebam, torquet nunc conscientia et remordet, ut iugiter clamem pro dolore et angustia animi, debebam peccata mea coram Deo confiteri, et dolum spiritus minime celare: Tandem uero peccatum meum agnoui, et confessus sum tibi, et tu remisisti impietatem cordis mei.

Prouerb. 18. inquit Salomon: Qui obtegit scelera sua, non prosperabitur, qui uero confitetur et relinquit, misericordiam assequetur. Longa quippe est Dei benignitas atque clementia, ut sacra scriptura permultis in locis testatur: quare nostrum est confiteri, hoc est, Deum laudare, nosmetipsos accusare, nobismetipsis displicere, delictum nostrum Deo facere cognitum, et iniusticiam nostram non abscondere. Deo enim nihil ita repugnat, quam cor impoenitens, solum crimen est, quod ueniam non potest consequi, inquit D. Hieronymus ad Sabinianum. Non confundaris confiteri peccata tua, inquit Ecclesiasticus cap. 4.

Est igitur Confeßio, quam diuinam uocant eruditi, quae fit intus in cordibus nostris coram Deo, quando agnoscimus peccatum nostrum, et condemnamus nos ipsos, ut ex misericordia Dei, quam imploramus, remittantur peccata nostra. Hanc potißimam nimirum, primam esse debere contendit Theodolphus Aurelianus Episcopus, et quotidie quoque fieri, quia quotidie peccamus, et citra hanc confeßionem non condonatur peccatum: illa usus est Dauid Psalmo. 50. inquiens: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam: Tibi enim soli peccaui et malum coram te feci: estque peccatum meum contra me semper: et Publicamus Lucae 18. Deus propicius esto mihi peccatori: o quam salubre uerbum et breue.

P e c c a u i, tres syllabae, tamen inde expellitur Diabolus: nam per humilem peccatorum confeßionem (et fidem in filium Dei, qui uenit saluare

peccatores) remittitur peccatum, et diabolus principatum suum amittit, haec Bernhardus serm. 5. in Cantica canticorum Salomonis. Est enim fructus fidei, quum cor contritum et humiliatum se apud Deum accusat, sibi confusionem, soli uero Deo gloriam bonitatis et iusticiae tribuens.

Est et confeßio quam fraternam uocamus, quae fit proximo nostro quem laesimus quomodocunque aut dictis aut factis, ut eum placemus nobis, iterumque reconciliemus, si tamen iniuria est, et peccatum contra legem Dei quod admisimus, uerum illa non potest alia ratione seu uia meliore H 8. fieri, quam per illatae iniuriae apertam confeßionem cum delicti nostri deprecatione coram offenso. Huius formam habemus Matthe. 5. Vbi ita dicit Saluator, Si obtuleris munus tuum ad altare, et illuc recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, dimitte munus tuum ante altare, et abi prius reconciliare fratri tuo, et tunc ueniens offer munus tuum. Tantum ut nos diligamus, contemnit Deus proprium honorem. Si autem habuerit aliquid contra te frater tuus, nihil aliud apposuit, siue enim iuste siue iniuste habeat, reconciliare: et non dixit, si habes tu contra illum, sed si habet ille contra te, conare ut ipsum ad amicitiam reducas. Apponit autem dimittendum donum, ut tibi imponat neceßitatem reconciliandi, et si tu uolueris offerre donum, cogaris reconciliari. Haec Theophilactus.

Est et aurium denique confeßio, quae solet Ecclesiae ministro, Sacerdoti inquam, fieri, coram quo nos accusamus: et illa praebet nobis in hoc adminiculum, ut accepto salutari consilio, saluberrimis poenitentiae obseruationibus, contritione nempe et fide, et mutuis orationibus etiam, maculas peccatorum diluamus. Fit enim ab illis, qui confluunt ad Euangelij praedicationem et ad usum Sacramentorum. Mittuntur etiam a Deo docti ministri, ut uias Domini exponant, id est, Legem et Euangelium, ut poenitentiam et remißionem peccatorum annuncient in nomine Iesu Christi, Lucae 24. id siue publice fiat, siue priuatim, prout personae, temporis aut rei neceßitas exigit, recte admodum suo funguntur officio.

Desiderat certe Deus nostram confeßionem, ut caussam habeat ignoscendi, inquit Augustinus sermo. 66. de tempore. Nam in hac uita tantum poenitentiae libertas patet, post mortem nulla est correctionis licentia. Et ut Theophilactus inquit, Post hanc uitam non est tempus poenitendi aut operandi. Proinde Dominus dicit fatuis Virginibus, Nescio uos, Matth. 25. Illa autem confeßio solet fieri pro deponendo onere conscientiae, uel pro doctrina, uel pro confirmatione fidei imbecillioris. In dubijs enim non sunt negligendi consultores. Debet uero huius usus esse liber, ut nemo ad illam cogatur, et si fit Sacerdoti, fiat uoluntarie. Quare Gratianus, qui multa de confeßione illa scripsit, Lectori liberum reliquit iudicium. Panormitanus sentit eam esse iuris humani, et quanquam ad salutem necessaria non sit, quoniam non est mandata a Christo, neque praeterea poßibilis est scrupulosa illa omnium delictorum enumeratio, dicente Psalmista, Delicta quis intelligit? Et Ecclesiasticus cap. 8. dicit, J 1. 45 Non omni homini cor tuum manifestes. Hinc D. Chrysostomus in 11. caput Epistolae ad Hebraeos, non uult ut prodamus nos apud alios, sed iubet ut Domino uiam nostram reuelemus: Attamen in Ecclesia est retinenda, propter fructum singularem, qui inde oritur. Nam in ea dubijs con-

scientijs consilium, et in certamine peccati doctrina dari potest, cui quoque accedat solatium mutuae orationis, quae nunquam debet omitti, Iuxta illud: Orate pro inuicem ut saluemini, ubi de re conscientiarum, de remißione peccati, de offenso Deo per peccatum, et iterum placando, et tandem de uita agitur aeterna. Accedit praeterea huic absolutio priuata, quae certa Ecclesiae potestas est, Matthaei 18. Ioann. 20. qua eius ministri peccati remißionem dispensant, quae perturbatis mentibus et peccati errores concußis atque confusis adhibenda est, ut inde maius exercitium ualidiusque robur fidei accipiant.

De Sacramento altaris.

SACRAMENTVM corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi primum uocatur Coena, a ritu primae institutionis, quam Christus iam iam mortem pro nobis aditurus, uesperi cum discipulis suis celebrauit, ut esset signum scilicet ab ipso institutum ad remißionem peccatorum illis qui credunt hisce uerbis suis, quod (corpus) datur, qui (sanguis) effunditur pro uobis in remißionem peccatorum. Vocatur etiam Sinaxis, id est, congregatio, eo quod celebrari solet et debet in conuentu Ecclesiastico, secundum uerba saluatoris dicentis, Quotiescunque feceritis, facite in mei commemorationem: dicendo enim, accipite, comedite, bibite, significatur nostrum esse, quicquid Christi est. Appellatur quoque Eucharistia, id est, gratiarum actio. Institutum est enim illud Sacramentum, ut illo utentes agnoscamus beneficium Christi. Deinde pro tanto benefitio agamus gratias, quod acerbißima sua paßione et morte in nos collocauit, ut D. Chrysostom. inquit. Denique uocatur Nouum testamentum, in quo nos constituit haeredes suorum bonorum, quae sunt promißio iustificationis, id est, remißionis peccatorum, reconciliationis, abolendae mortis, renouandae humanae naturae et donandae nouae iusticiae ac uitae aeternae.

J 2. In eius commemorationem facere, id est, eius mortem annunciare donec uenerit, ut D. Paulus ait, 1. Corinth. 11. est praedicare Euangelium, agere gratias, laudare, recolere seu meminisse paßionis, adeoque omnium beneficiorum, quae per eius mortem et resurrectionem accepimus, hocque ad extremum usque diem huius saeculi, cum uenerit iudicaturus uiuos et mortuos. Ideo enim nobis sui memoriam reliquit, inquit Sedulius, quemadmodum si quis peregre proficiscens, aliquod pignus ei, quem diligit, derelinquat, ut quotiescunque illud uiderit, eius beneficia et amicitias recordari poßit, quoniam ille si perfecte dilexit, sine ingenti desiderio et fletu illud uidere non potest.

Sumitur uero hoc Sacramentum duplici modo, digne et indigne. Digne sumere, est agere prius poenitentiam, hoc est, fateri peccata, ac certo deinde credere ea remitti gratis propter Christum, condonare etiam delicta proximo ex animo, ipsumque diligere propter Christum.

Indigne uero sumere est, non uelle agere poenitentiam, sed perseuerare in peccatis, de ijs nolle repraehendi, sed ea defendere, qui hoc faciunt, habent suam poenam expressam apud D. Paulum loco supra citato: nam quemadmodum constat, qui tunc Dominum pupugerunt, non potandi gratia pupugisse, sed ut funderent eius sanguinem, sic et qui

indigne hunc hauserit, nullum ex eo fructum adeptus, frustra ac temere Christi sanguinem fudit, et id est reum fieri corporis et sanguinis Domini, ut Apostolus inquit, quasi illum occiderit, ut Iudaei, qui tanti mysterij Sacramentum pro uili habuerunt atque despexerunt.

Non impune ferent etiam qui hanc sacrosanctam coenam contemnunt, et ad tam salutarem cibum nauseant, cui tamen nunquam comparari potest uel Ambrosia uel Nectar Deorum, de quo fabulantur Poëtae. Diuus Augustinus in libro de doctrina Christiana censet eos inter Christianos non esse numerandos, qui hoc Sanctum Christi institutum atque praeceptum spernunt, seque ab illo abducunt, dicit enim, accipite, comedite, bibite, facite, quae uerba sunt imperatiua, qui haec contemnit, ostendit se non esse Christianum aut discipulum Christi.

Secus tamen sentiendum aut iudicandum de ijs, quibus denegatur Sacramentum, ut in Papismo altera species nempe uini: cum enim hoc fit, tunc cogitandum est de spirituali manducatione, de qua Christus Ioann. 6. quae est tam necessaria, ut sine illa saluari nemo poßit: quia illic manducare carnem et bibere sanguinem filij Dei, nil aliud est, ac credere Filium Dei carnem suam obtulisse, et sanguinem suum in ara J 3. crucis pro peccatis totius mundi fudisse. Et ita comederunt et biberunt Sacramentum corporis et sanguinis Christi, sancti Patriarchae, Prophetae, et caeteri pij atque electi, sic Ioannes Baptista, et permulti martyres sub tyrannide Traiani, Decij, Neronis, Diocletiani et reliquorum tyrannorum, etiam hoc tempore, necati, sic Latro in Cruce, sic per multa millia infantium baptizatorum, sic Antonius Eremicola, sic Paulus Eremita, qui 60. annis in rupe latuit. De hac mystica communione corporis et sanguinis Christi, lege Augustinum, Theophilactum, et nostrum Melanchthonem in Euangelium D. Ioannis.

36. Vorrede zu G. Majors deutsch-lateinischer Schulausgabe des kleinen Katechismus Luthers. Magdeburg 1531 resp. 1533.

Georgius Maior Vlrico ab Emden, Senioris filio, S. D.

Etsi fortassis imprudentius me fecisse quidam existimabunt, quod alienum et tam tenue ac puerile opus, quod ego hoc tempore multorum scriptis longe ac multum praefero, tibi mi suauissime Vlrice dedico, tamen, quia et aetatem tuam tale munus decebat, et clarissimi patris tui in scolam nostram ac literarum studiosos omnes, summa ac maxima beneficia, postulare uidebantur, ut primo quoque tempore, uel quouis officio grati animi aliquam significationem ostenderemus, malui quibusdam etiam ineptus, quam tot beneficiorum parum memor uideri, quae quanquam in Rempublicam magis quam in me, aut alias priuatas personas sint collata, tamen ea sic accipio, ut sentiam et patri tuo et alijs huius urbis optimatibus non publice tantum ab omnibus, sed et a singulis ciuibus magnas deberi gratias. Decet autem te eius-

modi munusculum non aspernari. Nam si consilij nostri rationem a nobis requiris, ea haec sunt: Quod cum uiderem, quantum tu et aequales tui, ediscendo Catechismo promouissetis, ut magna etiam parentum pars a suis liberis haec prima pietatis principia didicerit, non poenituit me meae operae atque consilij. Quare statui porro etiam caeteros pueros, qui ad literarum elementa, et lectionis usum cognoscendum nobis instituendi traduntur, primum in Catechismi lectione exercere, quem ideo primum literarum figuris, deinde syllabarum sectionibus et connexionibus, postremo etiam continuo uerborum contextu sic concinnaui, ut hac ratione et faciliorem et explicatiorem lectionem, pueris nostris commonstremus. Praeterea cum nostrae regionis (so statt religionis) breuissimam methodum contineat Catechismus, existimauimus etiam reliquorum studiorum ac artium, eo feliciora futura auspicia, si una cum literarum etiam pietatis elementa pueri imbiberent. Consequenter autem ex hoc libello una eademque opera id quoque pueri, ut dum singula legere discent, magnam Catechismi partem etiam memoriae, quae in hac aetate maxime uiget, commendent ac rectius intelligere incipiant. Quae utilitas etiam ipso lectionis usu et facilitate, ad quae sola comparanda hic libellus destinatus uidetur, longe est maior.

Coniunximus uero utramque linguam, ut utriusque et literarum formas, et lectionem simul exercere possint, ac ex Germanica lingua, quod alioqui ex sola Latina non possent, intelligunt, non somnia, sed pietatis principia se legendo discere. Tu uero mi suauissime Vlrice perge in hac puerili aetate feliciter ceptum studiorum cursum urgere, et clarissimum patrem tuum, qui et pietatis et maximarum uirtutum apud omnes bonos uiros habet commendationem, imitari, ac tandem, quod haud dubio parenti tuo gratissimum fuerit, etiam uincere. Vale, Magdeb. Calend. Julij. M. D.XXXIII.

---

37. Johann Baumgartens Katechismus von 1552 resp. 1559.

Des Catechiſmi Christliche vnnd Heilige Kinderleer, Wie die frageweiſs sampt jhren Christlichen Bekentnissen vnnd Kindergebetlein In der Alten Stadt Magdeburgk in der Pfarkirche zum Heiligen Geist . . . . gehalten wirdt; gestelt Durch Johan Baumgarten.

Die Erste Frage, vom Christenthumb: Waher vnnd warumb wir Christen heissen. **A.** Mein liebes Kind, wer bistu? **A.** Mein liebes Kind, ich bin ein Christ.

Fr. Warumb bistu ein Christ? **A.** Darumb, das ich im Namen Christi getaufft bin und gleub an meinen lieben Herren Jesu Christ.

Fr. Mein liebes Kind, was ist die tauffe? **A.** Mein liebes Kind, die Tauffe ist ein Bad der andern geburt, darinne wir kleinen Kinderlein mit wasser vnd dem heyligen Geyst auß Gottes befehl in dz himmelreich vnd zur Ewigen Seligkeit Getaufft werden.

Fr. Wo findestu das geschrieben? **A.** Johannes am dritten, Da Christus zu Nicodemo also spricht: Warlich, warlich — — kommen.

Fr. Wer hat die Tauffe eingesetzt vnd befohlen? **A.** Jesus Christus, vnser lieber Herr, da er zu seinen lieben Jüngern Matthei am letzten Also spricht: Gehet hin — — Heyligen Geystes.

Fr. Warzu dienet vns die Tauff? **A.** Zum Himmelreich vnd zu der Ewigen Seligkeit.

Fr. Wo stehet das geschrieben? **A.** Marci am letzten, Da Christus spricht: wer da Gleubt — — Verdampt werden.

Fr. Können wir denn ohne die ander Geburt, die Tauffe, nicht in das Himmelreich kommen vnd Selig werden? **A.** Nein.

Fr. Warmit beweistu das? **A.** Da Christus spricht: Warlich, Warlich, ich sage dir: Es sey denn — — nicht sehen, Vnnd Marci am letzten: Wer nicht Gleubt, der wird Verdampt.

Fr. Mein liebes Kind, warumb können wir ohne die ander Geburt, die Tauffe, nicht in das Himmelreich kommen vnd Selig werden? **A.** Mein liebes Kind, darumb, das wir inn der Ersten geburt Alle in Sünden entpfangen, Geborn, Verdampt vnd verloren sein.

Fr. Wo stehet das geschrieben? **A.** Also spricht der Prophet David im 51. Psalm: Siehe, Herr, ich bin auß Sündlichem — — entpfangen.

Fr. Wer ist, der vns damit beschuldigt vnd vorklagt? **A.** Moses mit seinem Gesetze.

Die Ander Frage, vom Ersten stück des Catechiſmi, den Zehen Gebotten, was vnnd woher die sein. **Fr.** Was ist das Gesetze? **A.** Die zehen Gebot.

Fr. Was sein die Zehen Gebott? **A.** Es sein Gottes Gebott, die vns lehren, was Gott will von vns gethan vnd gelassen haben.

Fr. Wer hat die Zehen Gebott gegeben? **A.** Gott der Allmechtige hat die Zehen Gebott selbst mit seinen henden inn zwo Steinern Taffeln geschrieben vnnd mit seinem Gottlichen Munde ernstlich bey verlust ewiger Seligkeit vns allen zuhalten befohlen vnd gebotten.

Fr. Welchs sein denn die Zehen gebott?

Hie fragen nun zwey ander Kindlein, ein das ander, die Zehen Gebott, gleich wie die selben inn Catechiſmo Doctoris Martini Lutheri sampt jrer Außlegung gestelt vnd geordnet sind.

A. Das Erste: Du solt kein — — vertrawen. Vnnd so fort durch alle Gebot.

Ein Christlich Bekentnis der Zehen Gebott, das Gesetz Gottes, welchs thun zwey ander Kindlein nach der Predigt.

Fr. Wer mich bekent für den Menschen, spricht Christus, den will — — Vater. Gleubstu das auch, mein liebes Kind? **A.** Ja, mein Liebes Kindt.

Fr. Was ist denn dein Bekentniß? **A.** Liebes Kindt, mein Bekentniß der fünff stück des Catechiſmi schem ich mich gar nichts auch für meinem Gott zubekennen, vnd wo ich, du oder einiger mensch sich des schemen würd, des wirt sich Gott am Jüngsten tage wieder schemen, wie Christus sagt: wer sich meiner — — mit den Heyligen Engeln.

Fr. So bekenn es auch hier offentlich für Gott vnd seinen Christen. **A.** Ja, gerne vnd von hertzen. Herr Allmechtiger Gott vnnd Vater, der du von einem jetzlichen Christen seins glaubens bekentniß begerst,

foderst vnd haben wilt, so stehe ich hie, dein armes Kind, vnd thu mein Bekentniß fur dir offentlich.

Fr. Was helst vnd bekenstu von den Zehen Gebotten, dem Gesetz Gottes? **A.** Herr, dir bekenne ich mit Mund vnnd Zung fur der gantzen Welt, das dis dein Wort Heylig vnd recht sey, Ich aber, dein Kindt, bin vngerecht; dein Gesetz ist geistlich vnd gut, Ich aber fleischlich vnd Böß; deine Gebott sein gerecht, Ich aber, dein Kindt, bin vngerecht vnd ein arm, Sündig, verdampter Mensch, der ich deiner Gebott, auch das aller geringst, nie gehalten, auch ohne deinen heiligen Geist nimmermehr halten kan, vnd bekenne frey, das wider ich noch kein Lebendiger Mensch für dir gerecht sein kan, vnd thu derhalben fur dir, Herr, einen fußfal vnd bitt mit dem lieben Dauid inn dem 143. Psalm: Herr, gehe nicht ins gericht mit deinem Knecht, denn für dir ist kein Lebendiger gerecht.

Ein jeder stück beschliessen sie mit einem Kinder gebetlein, welche ernacher volgen werden.

Die Dritte Frage, des andern stücks des Catechiſmi, von dem rechten waren Christlichen Glauben, ohn den kein Mensch selig werden kan. **Fr.** Mein Liebes Kind, wer bistu? **A.** Mein liebes Kind, ich bin ein geschöpff vnd Lebendige Creatur Gottes meines Schöpffers.

Fr. Bistu denn nichts mehr denn eine schlechte Creatur? **A.** Ich bin auch ein Kindt des Lebendigen Gottes.

Fr. Was ist ein Kindt Gottes? **A.** Es ist ein Kindt der Seligkeit, des Himmels vnd Ewigen Lebens.

Fr. Bistu denn das auch gewiß? **A.** Ja trawen, solt ich dz nicht gewiß sein.

Fr. Muß denn ein Kindt Gottes seiner Seligkeit auch gewisse sein? **A.** Ja warlich.

Fr. Woher hastu das? **A.** Sanct Petrus in der andern Epistel, am ersten Capitel, spricht: Lieben Brüder, thut deste mehr fleiß — — fest zu machen. Vnd ich, sagt Sanct Paulus zun Römern am 8., Bins gewiß, das wieder Todt noch Leben — — vnserm Herrn.

Fr. Mein liebes Kind, was ist, das dich so gewiß macht, das du nicht eine Creatur allein, sondern auch ein Christ vnnd Kind Gottes bist? **A.** Mein Kindt, das mich so gewiß macht, ist alleine der Glaube an Jesum Christum vnsern Herrn.

Fr. Thuts denn der Glaube auch vns andern? **A.** Verwar ja.

Fr. Das beweise du mit Schrifft. **A.** Der Apostel zun Hebreern am 3. Cap. spricht, wir sind Christus teilhafftig worden, so wir anders denn angefangenen Glauben biß ans Ende fest behalten.

Fr. Mügen wir vns denn das auch wol rhümen? **A.** Ja, denn Sanct Paulus in der andern zu Thimotheum am ersten sagt selber: Ich weiß, an welchen ich gleube — — Tag.

Fr. Wo haben wir denn den glauben inn vnser Kinderleer des Catechiſmi? **A.** Jhe do wir sagen vnnd bekennen, Ich gleube an Gott den Vatter, Ich gleube an Jhesum Christum, Ich gleube an den Heyligen Geist.

Fr. Mein Kind, was ist denn vnser Kinder oder der Christliche Glaube? **A.** Mein Kind, vnser Kinder oder der Christliche Glaube ist

eine gewisse, warhaffte vnd vnzweivelhafftige zuversicht vnd herzliches vertrawen an den Einigen, waren vnnd Ewigen Gott Vatter, Son, heiligen Geist, der mein Schöpffer, Herr vnd Vormüge Göttlicher verheischung vnnd tröstlicher zusage heiliger Schrifft mins Leibs vnnd der Seelen Ewiger Erlöser, Herr, Helffer, Heiland vnd Seligmacher ist, des sein eigen Kind bin ich, auff den traw ich, darauff Lebe vnd sterbe ich.

Fr. Beweise mir solchen Glauben an einigem andern Christen! **A.** Das beweise ich dir an dem Vatter aller Christgleubigen, dem Ertzvater Abraham, der hat gegleubt auff hoffnung, da nichts zu hoffen war, sagt S. Paulus zun Röm. am 4., vnd wart nicht schwach im glauben, denn er Zweifelte nicht an der verheischung Gotes, durch vnglauben vnd gabe Gott die ehre vnnd wuste auffs aller gewissest das, was Gott verheischet, das kan er auch thun, darumb ists jm auch zur Gerechtigkeit gerechnet.

Fr. Das ist ein Exempel des Alten Testaments, Beweise mir auch das auss dem Newen Testament! **A.** Das ist schon beweist in den Artickeln vnsers glaubens, den die gantze Christenheit, so weit alle Welt ist, gleubt vnd bekent.

Fr. Wer hat diese Artickel vnsers Christlichen Glaubens gestelt? **A.** Etliche wollen, die Zwölff Aposteln, wie sie sich in alle Welt, das Evangelion zu Predigen, geteilet, haben sie gemacht, wir aber gleuben sie darumb, das sie inn Gottes Wort vnnd heyliger schrifft fundiert vnd gegründet sind.

Fr. Was vrsach reitzt vnd treibt dich zu solchem glauben? **A.** Der viel Eddle vnd tewre Name Gottes, der sichs nicht vorvielet [= zu viel sein läßt], das er mein geliebter Vatter, Bruder vnd auch mein hertztröster Ewiglich sein will.

Fr. Was frucht vnd nutz schafft vns denn der Glaube? **A.** Der glaube macht vns zu Kindern Gottes, gibt vns die Seligkeit vnd das Ewige leben.

Fr. Wo stehet das geschrieben? **A.** Johannis am 1. wie vil jn auffnamen — — gleuben. Vnnd Christus Marci am xvj. Wer da gleubet, der wird selig werden. Johan. am 3. Alle die an jn glauben, sollen das Ewige leben haben.

Fr. Können wir denn ohn den glauben nicht Kinder Gottes sein, selig werden vnnd inn das Ewige leben kommen? **A.** Mit nichte nicht.

Fr. Warmit beweistu das? **A.** Der Apostel zun Hebreern am xj. Capit. spricht, ohn den Glauben ists vnmüglich — — muß gleuben.

Fr. Hilfft dich denn nicht deiner Paten oder Eldern Glaube? **A.** Zur Seligkeyt hilfft kein ander noch frembder Glaube, sondern eins jedern eigener Glaube.

Fr. Das möcht ich dennest gern hören! **A.** Der Prophet Abacuck am ij. Ca. sagt, der Gerecht wirt seines Glaubens leben, vnd Christus spricht zum Aussetzigen Samariter, Luce am xvij.: Dein Glaube hat dir Geholffen.

Fr. Stehet denn auch eins jedern einigener Glaube inn Artickeln vnsers Glaubens? **A.** Ja.

Fr. Jhe wo dar? **A.** Balt forn an, do ich sag vnd bekenne, Ich gleube an Gott den Vatter, Nicht meine Paten, Eldern oder andere, Sondern Ich, Ich Gleube für mich vnnd kein andern.

Fr. Was leren vns denn auffs kurtzt vnd in der summa diese Drey Artickel vnsers Christlichen glauben? **A.** Diß lehret vns vnsere kinder glaube, wo wir herkommen, was wir jetzund sein vnd was wir noch werden sollen.

Fr. Wie sollen wir das verstehen? **A.** Als nemlich also: von Gott dem Vatter sein wir alle geschaffen, durch denn Son Gottes sein wir Erlöst vnd durch den Heiligen Geist werden wir auß diesem inn das zukünfftig vnnd auß dem Todt inn das Ewige Leben gefürt vnnd gebracht werden.

Fr. Wie viel ist der Artickel vnsers Christlichen Glaubens? **A.** Dreye.

Fr. Wie heißen die? **A.** Der Artickel von der Schöpffung, Von der Erlösung, Vnnd von der Heiligung.

Hie fragen nun zwey ander Kindlein, ein das ander, die Artickel des glaubens, mit der außlegung Doctoris Martin Lutheri, Wie die in seinem Catechismo stehen. Ein Wares bekentnis der dreyer Artickel Christliches Glaubens, welchs thun Zwey ander Kindlein nach der Predigt.

Bekentnüß des Ersten Artickels. Von der Schöpffung.

Ein kurtzer Vnterricht vnd vermanung an die Catechumenos vnd Neophyten, newe Christen vnd junge Kinder, wie die alle mit Gottes Wort vnd dem heiligen Gebet in ihrem Christentumb confrmiret vnd, wie manns nennt, christlich gefirmet werden sollen; gestelt durch Joh. Baumgarten.

[Aus der Ausgabe von 1559.]

Eines getrewen Hirten Ampt ist (sagt Gott der Herr von sich selbest), das der stetige wache vnd hüte vber seine Schafe halte vnd ja fleissig zusehe, das der nicht eins von einigem Lewen oder wilden Thier hinweggetragen oder zurissen werde. Im fall aber do ja ein vnradt geschehe, das ein wilder Thier vorhanden oder schaden bereit gethan, Sol der Hirte den Lewen oder Thier zum wenigsten anschreien, dem nacheilen vnd, kan er nicht mehr, doch dem Lewen zwey knielein oder ein ohrleplein abjagen vnd aus dem maul vnd rachen reissen vnd erretten, Amos iij.

Dieweil denn ich, außerwelten lieben Kindlein, nun fast alle tage in das zwentzigst Jar ewer Pastor, Hirt vnd Seelsorger bin vnd jr meine lieben Schefflein, Christliche Seelchen vnd junge Hertzchen, denen die Lewen, Wölffe vnd Beeren, der Türck, ewers Leibes feind, Der grewliche vngehewre Beerwolff, der Antichrist, der Bapst, mit seinen jungen Wölffen ewer Seelen Ertzfeind vnnd Seelmörder ist, der auch bereit viel hundert tausent junger Seelchen ewrer lieben Brüderchen vnd Schwesterchen lengst bis in Abgrund hinweg gerissen hat vnd nun auch seinen hals vnnd rachen nach euch auffspert vnd mit seinen grewlichen, blutdürstigen klawen vnd pfoten nach euch junge Hertzchen greifft vnd tastet, Wil meinem Hirtenstand vnd Pfarampt nach mir gebüren, für euch vnd ewre junge Christliche Seelchen zu wachen vnd ein fleissiges auffsehen zu haben, Das, ob ich gleich alle böse Buben vnd reudichte Ziegen vnd Böcke (wie mir leid ist) nicht alle werde verwaren können (dan nicht alle des heiligen Geists, sondern viel des bösen Geists Kinder sein), Ich doch auffs wenigst zwey knie oder ein Ohrleplein, das ist, etzliche der ewern, die from, Gottfürchtig, Gott vnd Menschen gehorsam, selige Christen, des heiligen, vnd nicht des bösen Geists Pfarkinderchen sein wollen, vom Beerwolfe der Babylonische gefengnisse, dem Antichristischen, verfluchten Bapstumb vnd seinem Gottlosen lehr vnd leben erretten vnd zum waren erkentnis der reinen Lehr Jhesu Christi ziehen, bringen vnd auch darinnen Confirmiren vnd Christlichen (wie mans nennen kan) Firmeln müge.

Sonderlich dieweil ich höre, sehe vnd erfare, das der Beerwolf, der Bapst, der Antichrist, seiner alten Wölffischen art nach Sanct Peters vnd der Apostel Mantel auffs newe stilt, raubt vnd denn wie jener Esel die Lewen haut umbgehengt vnd vnter dem mit seinem Oelkrug vnd Chresemkram zu den Neophyten, newen Christen,

jungen Kindern, zu euch, ewre lieben Brüderchen vnd Schwesterlein schleichet, welche sein Suffragan oder Weihbischoff nach papistischer vnd Antichristischer art mit garstigem Oel vnd stinkendem Cresem wieder wil beschmieren vnd (wie sie es nennen) Firmeln vnd jnen damit den heiligen Geist (den die Treumer selbst nicht haben), doch vmbs geld, das man zu Firmeln geben mus, verdienen vnd erlangen. Vnd werden also volgends solche Kinder mit Stirnstreichen, schmiren vnnd Backenschlegen (wie sie treumen) zum Christenthumb vom Beerwolff vnd Antichrist Confirmirt vnd gefirmet.

Vnd das sol vnd mus denn die Apostolische Firmung sein vnnd heissen, one welche kein Mensch (wie die Papisten liegen) den heiligen Geist haben noch für einen Christen gehalten noch begraben werden kan etc. Aber das haben sie noch ihre lebetage nicht mit einem Buchstaben aus der heiligen Schrifft jemals bewiesen vnd werdens auch nun vnd nimmermehr mit Gottes Wort warhafftig erweisen können.

War ists, wir lesen, wie die Aposteln Petrus vnd Johannes den Samaritern, die im Namen Christi getaufft waren, jre hende auffgeleget, dardurch die Getaufften den heiligen Geist sichtiglich von obenherabe entpfangen vnd bekomen haben, Acto. viij, Aber das die Aposteln solten dieselben mit Oel vnd Cresem (wie der Suffragan, der Oelkremer, der ein lot Oels wol für hundert Gülden ausbringen kan), bestrichen vnd geschmiret, ist nicht war. Das auch die Aposteln (wie die Papisten) von jrer Firmung solten, vmb den heiligen Geist zu erlangen, geld genomen haben, ist erstuncken vnnd gar erlogen etc. Denn do Simon der Zauberer, Acto. viij, sahe, das der heilige Geist gegeben wart, wenn die Aposteln die hende aufflegten, bott er jnen geld an vnd sprach: Gebt mir auch die macht, das, so ich jemand die hende aufflege, derselbige den heiligen Geist entpfahe etc. Da nimpt Sanct Petrus der Apostel (des nachfolger sich der Bapst rhümt) gar kein geld allein, sondern fehrt jn vnfreundlichen worten an vnd sagt auff gut Apostolisch zu jm also: Das du verdampt werdest mit deinem gelde, das du meinest, das Gottes gabe werde durch geld erlanget etc. Acto. viij.

Darumb ist solche Firmung des Bapsts falsch, Gottlofs vnd Antichristisch, damit er seine Wölffische zene erstmals pflegt in die jungen Hertzchen zu setzen vnd schlagen vnd die also zu zeichnen, das sie Papistisch werden vnd Antichristisch bleiben vnd zu keinen Christen dienen müssen. Wie man denn vom Wolffe sagt, wo der erstmals seine zene einschlecht vnd das Schaff beist, so bleibt das reudicht, wird lausicht vnd kan nimmermehr ein gut Peltz daraus werden. Darum hütet euch, lieben Kindlein, für dem ersten angriff des Bapsts, des Beerwolffs vnnd für dem stirnstreichen vnd backenschlegen seiner Firmung.

Ich wil nicht jtzt sagen, wie jr, jungen Kindlein, gewifs vmb sprach vnnd zungen des heiligen Geistes komen vnd die verlieren würdet, So bald dieser Beerwolff, der Bapst oder sein Suffragan vnd Weihbischoff euch im Firmeln ansehen vnd euch vnter ewre zarten augen hauchen vnd pausten würde, das jr als denn alles, so jr aus Gottes Wort von Christo gelernet, vergessen vnd wie die (als man sagt) alle, so ein Wolff zum ersten sihet, stum werden, vber Gott, Christo, seinem Worte von Euangelio, auch gantz verstummen müstet.

Ich wil auch jtzt nicht gedencken, wie er, der Bapst selb, ein Mensch der Sünden ist, also auch euch allen beide Gott vnd der Welt zum ewigen laster vnd Schandsünden setzen würde vnnd wie er das Kind des verterbens ist, Auch euch zu Kindern beid ewiges, des Leibs vnd der Seelen, verterbens, machen würde.

Ich wil auch jtzt geschweigen des Malzeichens des Antichrists, so er euch Kindlein in der Firmelung gewifs in ewer hend vnd stirnen drücken würde, daraus denn, wie Johannes sagt, eine böse vnd arge Drüse an Leib vnd Seel der Menschen, die das Malzeichen des Thiers hatten, werden köndte, Apoc. xvj.

Aber hiermit wil ich vber das gleichwol nicht schweigen, sondern nach ernster erförderung meines tragenden Hirten ampts den Beerwolff, den Bapst, den Antichrist, so den Schefflein Christi nach schleicht, mit der stimme vnd Bosaune Gottes worts angeschrien vnd als ein Wechter, der vom hohen Thurm, vom Thurm des Namens des HErrn, den Wolff daher schleichen ziehen sihet, Euch als die kleine vnd junge Herde Christi, die hundert vnd vier vnd viertzig tausent, die mit des Lambs blut an die stirn bezeichnet vnd zur ewigen Seligkeit versiegelt sind, zum trewlichsten gewarnet vnd zu ewerm Christenthumb, ewere lebetage darin zu bleiben, gantz trewlichen vermanet haben.

Vnd das jr gleichwol in ewerm Christenthumb ratificirt, Confirmirt vnd recht Christlich gefirmet, Auch durch den heiligen Geist ewere junge Hertzchen vnd zarte

Seelchen Obsignirt vnnd versiegelt werden möchtet, Wil ich als ein getrewer Pastor vnd Hirt an meinem Ampt hier nichts erwinden lassen Vnd euch zum rechten grossen Ertzhirten vnnd Bischoff ewer Seelen, Das ist zum einigen Suffragan vnd Weihebischoff Christo Jhesu (wie ers selbst befohlen, do er sagt: Bringet die Kindlein zu mir) führen. Der sol euch selber auff seinen Schofs nemen, auch an seine Brust drücken, hertzen, pussen vnd gesegenen, euch also selber Confirmiren vnd Firmelen.

Darumb setz ich mich als ewer Seelhirt bey euch, meine Schefflein vnd Gottes Seelchen, nieder, Neme difs Kinder Büchlein, den Catechifmum, in meine hende, erklere vnd scherffe den euch nach dem befehl Gottes, lege es euch für, vnterricht vnd vermane euch ernstlich, das jr euch difs Büchlein als Gottes wort trewlich befohlen wollet sein lassen vnd die zehen Gebot als Gottes Gesetz, den Glauben, das heilige Gebet vnd die Sacrament als das heilige vnd allein seligmachende Euangelium Christi Jhesu in ewre junge hertzchen Incorporiren, bilden, fassen vnd eindrücken wollet, vnd das nicht alleine das blosse Papyr, sondern ewre junge, frische vnd grünende Hertzchen der Catechifmus, das rechte lebendige Handbüchlein des heiligen Geistes, der Biblien, der gantzen heiligen Schrifft, des Gesetzes vnd Euangelij selber sey. Mit der Himlischen, Prophetischen vnd Apostolischen speise wil ich als ein trewer Hirt euch Schefflein Christi als mit der aller heilsamster weide Göttliches worts geweidet vnd gespeiset haben.

Mit hierbey gethaner warnung, das jr ja wol zusehet, das jr solchen ewern Catechifmum also lernet, das, die jr des Sontags für der Gemeine in der Kirchen zu beten verordnet, allemal des Sonnabends zuuor auff dem Pfarrhoffe, do ich denn denselbigen Catechifmum, wie ich den Anno L. für vnser Belagerung angefangen Vnd wie auch folgends nach eröffnung der Stad, bifsanher geschehen, denn ferner von euch Kinderchen fordern vnd verhören wil, Denselbigen dann für mir als für ewern von Gott geordneten Pastor, Pfarherr vnd Seelsorger im beysein ewrer Schulmeister oder Eltern auffsaget, anzeiget vnnd betet. Auff das also ich, ewer Pfarrherr, ewre Eltern, Schulmeister vnd die gantze liebe Christenheit sehen vnd wissen mügen, das wir für eine Newe vnnd junge Kirchen Gott vnnd seinem Sone Christo hinder vns verlassen.

Mit solchem bericht vnd verhör sende ich euch also mit ewern Eltern vnd Schulmeistern auff den heiligen Sabbaths oder Sontags tag in die Kirche vnd Schule des HErren Christi, für des Angesicht jr dar stehet, dem in gegenwertigkeit aller heiligen Engeln vnnd lieben Christen ewre Lection des Catechifmi in aller zucht, demut vnd Gottes furcht auffsaget vnd herbetet vnd all dar von Christo, dem aller heiligsten Suffragan vnd Weihbischoff, den edelsten Balsam vnd Frewdenöl, das ist, dem heiligen Geist, erwartet, damit Christus Jesus euch salben vnd mit dem heiligen Geist vnd seinen reichen vnd viel milden gaben Confirmiren vnd Firmen wil, erwartet. An difs werck sollen nun alle Christen jre hende an schlahen vnd mit jrem Gebet auch zugreiffen vnd (wie denn Gott lob geschiet) beten Das also ewere junge Hertzchen gantz vnd gar in Gottes wort, Glauben vnd gantzem Christentumb durch Christum in dieser seiner Schulen in seiner Schofs, an seiner Brust mit dem heiligen Geist obsignirt vnd versiegelt werden mügen etc. Vnd eben difs ist die rechte Confirmation vnd Apostolische Firmung, wie die lieben Apostel zu jrer Zeit die newen vnd jungen Christen confirmirt vnd gefirmet haben.

Vnd difs acht vnd halt ich auch für die rechte Confirmation vnd Kinder Firmung, Da Gottes wort vnd das reine Euangelium Christi zuuor geprediget vnd der jugend fürgetragen wirt vnd von jrem Pastor, Pfarherrn vnd Seelsorgern wiederumb, was jeder Pfarkind gelernet, gefodert. Vnd do sie dann die fürnemsten stück vnd Artickel Christlicher Lehre können, das gleuben, geloben, darbey (vermittels Göttlicher gnaden) zu bleiben, Das man denn das Gebet vber sie thu vnd bitte, das Gott jnen darzu den heiligen Geist geben wol, das sie also selige Kinder Gottes sein vnd bleiben mügen; Vnd difs halte ein jeder nur gewifs für die rechte Apostolische Confirmation vnnd Firmung, wie zu sehen ist aus dem achten Capitel Actorum.

Da Philippus das Euangelium vom Reich Gottes vnd von dem Namen Jhesu Christi in Samaria geprediget, die gleubigen getauffet, Sind Petrus vnd Johannes von Jerusalem darhin gesandt vnd haben vber dieselbigen gebetet, das sie den heiligen Geist entpfingen. Da legten sie die hende auff sie, vnd sie entpfingen den heiligen Geist etc. Sihe, da ist Gottes Wort fürhergangen, die Sacrament, hend aufflegen vnnd das Gebet gefolget, ohne schmieren vnd Cresem, Vnnd dar ist der heilige Geist kommen vnnd hat selb Confirmiret vnd mit seinen Gaben gefirmet etc.

Desgleichen lesen wir auch im Euseb.: in Eccle., Histo., lib. vj. cap. v. Item Crysost.: in Homil. xxj. Item August. in lib. de Catechizandis, cap. xiij. etc. vnnd vielen örtern mehr etc.

Das wil ich mich, meine lieben Kindelein, als ewer Pastor, Pfarrherr vnd Seelhirt zu einer warnung des Bapsts bösem Geist vnd zu einer lehr vnd vermanung, zu entpfahen den heiligen Geist, gethan haben. Fliehet die Abgötterey, sagt Sanct Johannes, vnd last die Kindelein zu mir komen, sagt Christus, vnter des mechtige vnd gewaltige Hand befehl ich euch allen, das jr des eigen sein vnd bleiben müget in ewigkeit. Darzu sprechen alle Christen Amen, Amen, Amen.

Vnd hier neben vermane ich euch, Kindelein, zu einem vberfluß noch eins, das jr in solcher Disciplin, Kinderzucht vnd Kirchenschule Christi vnd des heiligen Geistes ja nicht laße, faule, vnfleissige vnd widerspenstige, Sondern (wie jr Gott lob bisher gethan) lüstige, frissche, fleissige vnnd gehorsame Schülerchen Gottes, Christi vnnd des heiligen Geistes, gegen Gott, ewre Pfarherrn, Eltern, Schulmeister, Frawen vnd Herren, im Hauſs, in der Schul vnnd Kirchen erzeigen vnd beweisen woltet. Vnd last euch bey leibe nicht verfüren die wilden, vngehorsamen vnd Gottlose Kinder, die wieder Pfarherrn, jren Eltern noch Schulmeistern gehorsam, sich auch nicht wieder im Hause, in der Schulen noch Kirchen ziehen lassen wollen, da auch zu vielen malen die Eltern vrsache zu geben, Vnd gedenckt, das solche Kinder jren Eltern gewisslich viel, viel jammers vnd betrübtes hertzeleid machen, stifften vnd anrichten werden. Welchs Vater vnd Muter mit betrübtem hertzen freilich noch beweinen vnd beklagen müssen, wie Christus in seiner Galgenpredigt das jnen Prophezeiet vnd vorsaget, Da er zu den Müttern von Jerusalem sagte: Weinet nicht vber mich, weinet vber euch vnd vber ewre Kinder etc.

Ach HErre Gott, wie weint Eua vber jren vngeratenen Son Cain, Noah vber Cham, Abraham vber Ismael, Isaac vber Esau, Eli vber Ophni vnd Pinehas, die Mütter zu Babel, da man jn jre Kinder wieder die wende vnd steine schmettert, Die Mütter zu Samaria, da eine der ander jr Kind frafs, Die Mütter zu Jerusalem, die jre eigene Kinder erwürgten, kochten vnnd die noch müssen von andern fressen lassen etc. Ach wie viel tausent Christen Müttern hat der Türck jre Kinder genomen vnd weggeführt, zursabelt, gespiehset vnd jemmerlich zurfleisschet, zuhacket vnd vmbbracht. Solch vnd dergleichen betrübtes jammer bringt ja nicht auch vber euch vnd ewre Eltern, lieben Kinderlein etc. Dann das ists, da Christus saget: wol der Mutter, die kein Kind zur Welt getragen etc. Dann wirt die zeit sein, das man sagen wirt: Selig sind die vnfruchtbaren vnd die Leibe, die nicht — — geseuget haben etc. Daher sagt der weise Man recht, Prouerb. x.: Ein weiser (Gottfürchtiger) Son ist seines Vaters frewde, Aber ein Törichter (Gottloser) ist seiner Mutter gremen etc.

Darumb seid jr Kindelein klug, habt Gott für augen, seid ewern Eltern, Pfarherrn vnd Schulmeistern gehorsam, leret jtzund Gott fürchten vnd das jr ewern Catechismum itzundt in ewerer blühenden jugend lernen vnd können müget. Denn was Henschen, Ennelein, Gretlein, Elselein lernet, Das kan Hans, Anna, Grete vnd Elsa; was jr lernt, wenn jr jung seid, das köndt jr, wenn jr alt werdet. Vnd so werdet jr ewere Eltern auch nicht ein trawern, sondern eine grosse frewde sein vnd wirt Gott beide, euch, ewre Eltern, ein gantz Land vnd alle Christenheit, da er ewern fleifs, Glauben vnd Gottesfurcht sehen wirt, in ewerer Eltern behausung gesegenen, Auch ewer vielen Doctoren, Pfarherrn, Prediger, Regenten, Tugentsame Matronen vnd Haufshern, fromme Leute vnd Kinder Gottes machen, das ewre Eltern ewer eine ewige frewde hier vnd in jener Welt haben werden.

[Der folgende Satz leitet über zu dem auf dem Titelblatt angegebenen Abschnitt: „Eine Figur, wie Gott selber Adam vnd Euen Kinder den Catechismum verhöret vnd die gesegenet," welche Figur Eltern und Kindern eine „anleittung vnd anreitzung einer Christlichen Disciplin, Kinder vnd Kirchenzucht" sein soll.]

38. Der Methodus des Johann Wigand von 1557 resp. 1559.

Methodus doctrinae Christi, sicut in ecclesia Magdeburgensi traditur. Johan. Wigand. autore.

Aus der Vorrede zur ersten Auflage, die 1557 in deutscher Sprache herauskam.

A 2. Den Erbarn, Ersamen vnd weisen Herrn Bürgermeistern, Ratmannen, Inningsmeistern vnd den hundertmannen, der löblichen alten stadt Magdeburg Regenten, auch den Furstehern vnd Kirchnetern der Kirchen zu S. Vlrich, S. Johannes, S. Catharina, S. Peter, Zum heiligen Geist vnd S. Jacob sampt der gantzen Christlichen gemeine zu Magdeburg, meinen grosgünstigen lieben herrn vnd freunden.

A 3. — — — Dieweil ich denn nun dieses Büchlein ausgehen lasse, mus ich von ersten etliche vrsachen kürtzlich erzelen, daraus denn frome Christliche hertzen mögen sehen, was mich darzu bewogen. Vnd ist erstlich diese, auff das Gottes wort, wie Col. iij. geschrieben stehet, reichlich bey vns wone, vnd sonderlich sind wir Prediger schüldig, das wir allen müglichen vleis furwenden, auff das vnsere Schefflein vnd Zuhörer eine gantze Summa Christlicher lere, was von einem jeden Heubtartickel zu wissen nötig, ordentlich lernen vnd fassen.

Wiewol nun diese Kirche in Magdeburg, Gott hab lob vnd danck, mit predigten des Göttlichen Worts reichlich versorget, das man aus dem alten vnd newen Testament die heilige Schrifft teglich furlieset vnd erkleret, Jedoch hab ichs fur nötig angesehen, in meiner Kirchen solche kurtze Summarien ordentlich zufassen vnd den Zuhörern von wort zu wort furzulesen vnd darauff mit wenig worten ferner auszulegen, auff das, weil man in den auslegungen der heiligen Schrifft nicht kan alles so ordentlich handeln, sie die Heubtartickel Christlicher lere nach einander hören vnd deste bas mercken vnd behalten mögen, auch die anderen predigten, darinnen man der Propheten vnd Apostel schrifft handelt, deste besser verstehen. Derwegen ich mit Gottes hülff solche weise auch ferner zu erhalten bedacht, weil es denn andern predigten keinen abbruch thut, sondern jnen viel mehr dienet, als nemlich, das, weil wir alle Sontag den Catechiſmum predigen, wie billich, recht vnd nützlich, vnd on enderung halten wollen, wir es also vmbwechseln vnd ein jar hindurch den heiligen Catechiſmum zu Mittage predigen vnd diese Summarien in der aller ersten fruepredigt vmb fünff vhr lassen von erst furlesen vnd darnach kurtz vnd einfeltig erkleren, allezeit ein stücke, Das ander jar den Catechiſmum frue predigen vnd diese Summarien in der nach Mittag predig furhalten. Vnd sind zwar solche Heubtartickel nichts anders denn stücke des Catechiſmi, die da stets mit sollen getrieben werden.

A 4.

Ich schreibe aber hierinnen keinem Gesetz fur, sondern zeige an, wie ichs mit Gottes hülffe in meiner Kirche fur nutzlich halte. damit ich meine Zuhörer in reiner Lere mit frucht vnterrichten möge; vnd weil ich solche stücke im vergangen jar selbs aus dem Buche fur gelesen, bin ich auch gebeten, diese Summarien in druck zuuerfertigen, damit es deste mehr Leute haben vnd lesen mochten. Die ander vrsach ist, damit die einfeltigen Christen alhier eine richtschnur hetten, allerley lere zu vrteilen. Denn es fallen ja mit vollem gewalt nun die letzten zeiten der Welt herein,

wie Christus vnd die Apostel klar vnd deudlich zuuor geweissagt haben. Darzu ist es ja nun auch fur augen, wie mancherley secten, ketzerey, jrthumb, blenderey vnd verfelschung an allen orten sich grawsamlich reget vnnd bewegt vnd versuchen sich fast in allen Artickeln des Glaubens, wie es denn auch durch Gottes gericht vnd straff zugehen pfleget: wo man sein wort nicht mehr achtet, keine schaw fur Sünde mehr hat, nimpt zu in aller vntugent, das alda Gott schicket Prediger, die den Leuten predigen, wie jnen jre oren jucken, Item krefftige jrthumb hernacher dringen. So ist nun beide, der weltlichen Obrigkeit vnd der Prediger ampt, aus Gottes befehl' das sie darfur warnen, wie sie konnen vnd mögen, damit man das depositum, das ist, den werden, thewren schatz Göttliches wortes, welchen vns Gott gegeben, rein, vnuersehret vnd vnuerrucket fur vns vnd alle nachkomen erhalten.

Die dritte vrsache ist, das solches Buchlein eine offentliche widerholung sey vnserer lere, wie ich neben andern in dieser gemeine dieselbe durch Gottes gnedige hülff vnd beystand furtrage, sonderlich dieweil etzliche mit vnwarheit vnd vngrunde ausschreien, als predigt man das Gesetze nicht, lerete, die bekerung zu Gott were nicht von nöthen, lerete, gute Werck sind nicht von nöten, ein Christe mochte wol auff gnade sündigen vnd konte nicht vergebung der Sünde verlieren, wenn er gleich on bekerung flugs vnd grawsamlich sündiget, vnd was mehr erdichtet vnd den lügen- A 5. geiste damit gehofieret wird. Bitte derwegen alle Christliche hertzen, sie wollen nicht einem jtzlichen lügengeiste gleuben vnd gedencken, das es nicht ein schertz fur Gott dem almechtigen mit diesem gebote sey: Du solt nicht falsch gezeugnis reden. Die andern, so gerne lügen erdichten, annemen, aussprengen, erlengen, zieren vnd schmücken, befehl ich Gott dem almechtigen. — — —

E. E. E. weisheit vnd gunsten williger Johannes Wigandus.

Aus den Anhängen zur Ausgabe von 1557.

Ein Gebet vber die Kinder, welche von erst zum gebrauch des Nachtmals des HErrn gelassen werden vnd den Catechifmum fur der Kirchen auffgesaget haben.

ALmechtiger, ewiger Gott, Vater vnsers HErrn JHEsu Christi, Wir dancken dir Y 4. von hertzen, das du vns arme Menschen aus der grewlichen blindheit vnd verfürung des Bapstumbs aus vnaussprechlichen Gnaden erlöset vnd Deine Lere, wie wir dich erkennen, vergebung der Sünden vberkomen vnd dir dienen sollen, so hell vnd klar hast offenbaret, das auch die kleinen Kinder die furnemesten stücke Christlicher lere lernen vnd wissen, welches ja eine reiche gnadenzeit billich zuachten vnd zurhümen ist.

Wir bitten dich auch von hertzen, du wollest auch solche warhafftige, trostliche vnd seelige Lere vnd den heiligen Catechifmum bey vns erhalten vnd fur dem Gottes-lesterischen geschmeis des leidigen Bapstumbs vns gnediglich behüten; Vnd wollest dieses kind, welches die stücke Christlicher lere jtzund hat auffgesagt vnd bekant, durch den heiligen Geist noch mehr erleuchten, regieren, bekrefftigen, das es in deiner erkentnis, rechtem glauben, bekentnis vnd in einem Gottseeligen leben hinfurder je lenger je mehr mochte zunemen vnd wachssen; wollest es behüten fur abfal, Sünde vnd allem schaden an Leib vnd Seel, auff das es bis an sein ende in dem Christlichen glauben, welchen du in jm angefangen hast, und in rechschaffenen früchten des Glaubens müge verharren vnd ewiglich seelig werden, durch Jhesum Christum, deinen lieben Son, vnsern HErrn. Amen.

Aus der Vorrede zur lateinischen Ausgabe von 1559.

Optimo et integerrimo uiro D. Wilhelmo Durenbacher, Johannes Wigandus S. D.

Caeterum cum rogatus sim ab aliquot bonis et pijs uiris, ut Methodon, Germanica lingua ante biennium ferme a me aeditam, Latinam quoque proferrem, quod eam rem aliquid fructus in uinea Domini allaturam putarent, tam honestae petitioni reluctari nolui, et ut meliori conscientia id facerem, ipsemet simpliciori stylo uerti. Putaui enim perspicuitati rerum simplicem stylum optime conuenire.

Tibi uero, optime uir, hanc qualemcunque lucubrationem dedicare et inscribere publice uisum est, quod audiam, pietatem tuam mirifice praedicari, utque tuo exemplo etiam alij, si uolunt, hanc doctrinae Christianae summam cognoscerent. Quod ad me quidem, meamque tractationem attinet, exiguum est quod exhibeo. At si rerum grauitatem, quae hisce uerbis tanquam pixide tenui compraehensae sunt, spectes, coelestem thesaurum, quo non potest esse ullus preciosior, dono, quemque pios omnes magnifacere decet. Si itaque intellexero tibi et alijs nonnullis bonis hanc meam opellam profuisse, erit mihi hoc longe gratissimum. Bene in Domino uale. Magdeburgi die Matthiae, Anno Domini 1559.

Caput I: De Verbo Dei (Verbum Dei quid est — Proba, doctrinam in scriptis Prophetarum et Apostolorum comprehensam, absque omni dubitatione esse uerbum Dei — Quod est discrimen, inter doctrinam Ecclesiae et Ethnicam — Quae sunt quasi summa doctrinae coelestis capita — Suntne omnes homines ad hoc ipsum uerbum alligati — Rectene docet Schuuenckfeldius, uerbum Dei seu sacram scripturam, esse mortuam literam, et operari Deum sine uerbo? A 1—3). — Caput II: De Deo (Vera et certa Dei noticia, unde discenda est — Quid igitur est Deus, iuxta illud suum uerbum et patefactiones — Suntne plures Dij, quam unus — Quot sunt personae diuinitatis — Quodnam est discrimen personarum inter se — Quare sic de Deo statuendum et credendum est, cum ratio humana hoc paradoxon non possit assequi, unum esse tria, et tria unum — Quae est differentia inter noticiam Dei, quam habent Ethnici, et eam quam habet Ecclesia Dei — Rectene docent Iudaei et Turcae, profitentes unum tantum esse Deum? A 3—5). — Caput III: De creatione rerum omnium (Quisnam amplissimam hanc mundi machinam, omniaque contenta in ea, condidit — Ex qua re hic mundus est a Deo conditus — Qua ratione creauit Deus omnia — Adestne Deus cunctis a se creatis eaque sustentat — Quare hoc amplissimum rerum omnium theatrum, est a Deo exstructum — Interibitne rursus aliquando hic mundus? A 5—7). — Caput IIII: De homine (Quis homines condidit — Vnde est initio homo conditus — Quibus donis homo fuit initio conditus et ornatus a Deo — Ad quid homo initio est conditus — Mansuerunt ne homines tales, quales sunt a Deo initio facti — Quare igitur iam post lapsum homines a Deo creantur? A 8 bis B 1). — Caput V: De Angelis (Angelus quid significat — Quid sunt Angeli in genere — Quotuplices sunt Angeli? De bonis Angelis: Boni Angeli quid sunt — Quod est officium seu ministerium bonorum angelorum — Circa quos angeli libenter uersantur? De malis angelis: Angeli mali quid sunt — Quae sunt Diabolorum actiones, quas in hoc mundo, antequam penitus damnentur, exercent — Consolationes contra Diabolum quae sunt — In quibus habitat spiritus malignus — Quomodo pugnandum est contra tam immanem hostem? B 1—5). — Caput VI: De peccatorum origine et causis, ac mirabili et hortanda clade totius generis humani (Estne peccatum ab ipso Deo creatum et ortum — Quis igitur peccatorum, saeuientium in ipsa hominum natura, autor et causa est — Vnde haec certo discuntur, et quae est historia — Quae est poena, uirtus et operatio peccatorum — Quis autem ex tanta clade, et malorum pelago nos liberauit? De discrimine peccatorum: Peccatum in genere quid est — Quotuplex est peccatum? De peccato originali: Quid est

peccatum originale [diese Frage fehlt, aber die Definition wird gegeben] -- Vnde uenit peccatum originale — Quale malum est peccatum Originis — In quibus hominis partibus peccatum Originale haeret — Quae sunt damna ac poenae peccati Originalis — Quo pacto liberamur a peccato originali — Prorsus ne a peccato originis in hac uita liberamur? De actualibus peccatis: Actualia peccata quae sunt — Quod est discrimen peccatorum Actualium — Moralia peccata quae sunt — Qualia peccata designant gentes, hoc est, quotquot sunt extra Ecclesiam Christi — Committunt ne etiam renati ac credentes aliquando peccata Mortalia — Venialia seu non regnantia peccata quaenam sunt? B 6 bis C 4). — Caput VII: De Lege Dei seu de Decalogo (Vnde cognoscuntur peccata — Quid est lex Dei seu Decalogus — Quis Decalogum reuelauit et tradidit — Quomodo eum promulgauit — Quaenam sunt illa praecepta Dei — Quo tempore ista promulgatio legis diuinae accidit — Quae est summa sententia Decalogi — Promissiones et comminationes legis quae sunt — Qui sunt usus Decalogi, et quare in Ecclesia Dei semper proponi atque inculcari debet — Potestne homo post lapsum in Paradiso factum, integram legis obedientiam praestare — Potestne Christianus fide in Christum iusticiam, coram Deo ualentem, gratis ex gratia consecutus, et Spiritui sancto donatus, in hac uita Legem Dei implere, sicut docent Papistae — Quomodo legem Dei in hac vita implemus — Rectene docent Antinomi, Decalogum in Ecclesia Christi non docendum, sed in curiam remouendum esse, quia terreat ac turbet homines, Christum docuisse Euangelium, quo merae consolationes proponantur — Suntne Christiani hoc pacto a lege liberati, ut liberrime ausint quaelibet peccata patrare, absque omni salutis iactura, sicut Anabaptistae docent, abutentes Pauli sententia, Non estis sub Lege, sed sub gratia? De Discrimine Legum Mosaicarum, earumque abrogatione: Quae est legum Mosaicarum diuisio — Suntne istae leges ita latae, ut perpetuo durent — Estne etiam Lex moralis seu Decalogus abrogatus — Quod est discrimen inter Legem naturae, leges humanas, et legem Dei? C 4 bis D 1).

Caput VIII. De Euangelio.

Qu. Vox Euangelij quid significat? **Resp.** Faustum ac iucundum nuncium.

Qu. Euangelium quid est? **Resp.** Euangelium est doctrina, a Deo patefacta, annuncians et impertinens iusticiam coram Deo ualentem, et remißionem peccatorum, ex mera gratuita gratia per Christum, omnibus D 2. peccatoribus agentibus poenitentiam, quae doctrina fide apprehenditur, et affert conscientijs ueram firmamque consolationem. Lucae 2. Ecce Euangelizo uobis gaudium magnum — — qui est Christus Dominus. Matth. 11. Roma. 1. Ephe. 1. eaedem proprietates Euangelio tribuuntur. Huc etiam pertinet uox Christi, Lucae 24. Praedicate remißionem peccatorum in nomine meo.

Qu. Vnde est Euangelion, et per quem uox Euangelij primum est patefacta et tradita? **Resp.** E coelo uenit, Estque primum in Paradiso reuelata. Nam facto lapsu a primis hominibus, cum iam iuxta comminationem Dei, aeternae morti essent destinati, ac desperabundi, omni prorsus consilio et auxilio destituerentur, quia non poterant aliter ratiocinari, quam ex lege tradita, quod quia praeuaricati essent, nunc legis execrationi iustißimo Dei iudicio subiacerent. Ibi ex improuiso prodit Dominus Deus, e sua arcana sede, uocem Euangelij, ignotam cunctis creaturis ex decreto suo proferens, his uerbis: Inimicitias ponam inter te et mulierem — — et tu insidiaberis calcaneo eius, Genesis tertio, hoc est, Deus statuit uobis peccata remittere, et a morte liberare per semen mulieris, quod Diabolum uincet, idque tantum ex gratia, absque uestris operibus. Ioan. 1. Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.

Postea haec promißio Euangelij subinde est ab ipso Deo repetita, maximisque miraculis et foederibus sancita atque confirmata. Prophetae inspirati a Deo, eam doctrinam semper clarius et luculentius tradiderunt, quo propius ad praefinitum Meßiae tempus accesserunt, sicut in ipsorum monumentis uidere est.

Tandem uero ipse filius Dei, iuxta datam promißionem uenit, et homo factus, ipsemet uiua uoce hanc doctrinam per Palaestinam circumtulit, et propagauit, et statuto tempore patiendo, moriendo ac resurgendo, peccata totius generis humani expiauit. Priusquam autem in coelum ascenderet, Apostolos in mundum uniuersum ablegauit, ut praecones Euangelij existerent. Et nunc quoque collocatus ad dexteram Dei, nihilominus dona hominibus dat, nempe salutares Euangelij doctores etc. Ephe. 4.

Vnum et idem itaque Euangelium est, ueteris ac noui Testamenti, omnibus seculis, de quo Lex et Prophetae testificati sunt. Rom. 3. Et pulcherrime inquit Petrus, Actor. 10. Huic omnes Prophetae testimonium
D 4. perhibent, quod remißionem peccatorum accipiant per nomen eius omnes, qui credunt in eum.

Qu. Dic mihi breuem Euangelij summam? **Resp.** Ex ueteri Testamento, modo illustris sententia est commemorata, Genes. 3. Et huc pertinet Esaiae caput 53. etc.

Ex nouo Testamento, Ioan. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ioan. 6. Haec est uoluntas eius, qui misit me, ut omnis, qui uidet filium, et credit in eum, habeat uitam aeternam, et ego resuscitabo eum in nouißimo die. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum — — uitam aeternam. Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorium, per fidem in sanguine eius. 1. Ioan. 1. Sanguis Iesu Christi filij eius, emundat nos ab omni peccato.

Qu. Habetne Euangelium plures partes? **Resp.** Non, Sed est unica doctrina de gratuita remißione peccatorum propter Christum, nec refert, etiamsi alijs uerbis uetus Testamentum, et alijs hoc efferat Nouum. Caeterum et hoc meminerint pij, Euangelium alias habere simplices sententias, qualis est, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Alias uero quasi uestitum esse sacramentis, hoc est, promißionem Euangelij cum externa quadam actione esse copulatam, Vnde non inepte consignatum seu uestitum Euangelium dici potest.

Qu. Ad quos pertinet Euangelium? **Resp.** Omnibus hominibus, in toto terrarum orbe, Euangelium annunciat et offert beneficia Christi, Sed pauperes solummodo ijs fruuntur, hoc est, qui ex uoce legis sua peccata cognoscunt, habent cor contritum et humiliatum, ut Propheta inquit, et meritum Christi sola fide, absque suis meritis amplectuntur, in eoque solo acquiescunt. Matth. 11. Pauperibus Euangelium annunciatur. Qui autem suis operibus confidunt, uel ex parte, uel omnino, et qui in peccatis contra conscientiam absque poenitentia perseuerant, non fiunt Euangelij participes, sicut Maria canit: Esurientes impleuit bonis, et diuites dimisit inanes.

Qu. Quis est Euangelij usus? quae eius uis et potentia? **Resp.** Euangelium non tantum denunciat, sed etiam, tanquam medium a Deo ordinatum, adfert, applicat, impertit, communicat iusticiam coram Deo

ualentem, nempe gratuitam imputationem et donationem obedientiae et meriti Christi, remißionem peccatorum et salutem. Ro. 1. Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti: Per concionem Euangelij, fides in Christum excitatur. Rom. 10. Fides igitur ex auditu est, auditus autem per uerbum Christi. Per Euangelium datur spiritus sanctus, ut habitet in nostris cordibus. Ephe. 1. Estque Euangelium ministerium Spiritus, 2. Corinth. 3. Adfert et operatur pacem ac laeticiam in cordibus. Rom. 5. Docet nos recte inuocare Deum, et quidem cum fiducia eum accedere. Rom. 8. Adfert et tribuit uitam aeternam, Ioan. 3. Qui credit in me, habet uitam aeternam. D 4.

Qu. Suntne in Euangelio nouae quaedam Leges traditae, ut Papistae docent? **Resp.** Christus in toto suo docendi ministerio, etiam legem Mosi tractat, qua poenitentiam excitat, neque nouam aliquam legem condit. Sed in ea doctrinae suae parte, quae Euangelium nominatur, annunciat gratuitam remißionem peccatorum omnibus in se credentibus, absque lege. Suntque hac in parte Lex et Euangelium accurate et solerter discernenda.

Caput IX. De discrimine Legis et Euangelij.

Qu. Quae habent Lex et Euangelium communia, et in quibus consentiunt? **Resp.** Primum utraeque doctrinae a Deo originem suam habent, patefacientes eius uoluntatem, et in utrisque est Deus efficax. — Secundo utraeque doctrinae declarant, Iusticiam hominum coram Deo, esse integram et absolutam obedientiam iuxta legem Dei praestitam. Rom. 5. 8. 10. Gal. 3. 4. — Tertio utraeque doctrinae habent promißiones uitae aeternae. — Quarto utraeque doctrinae pertinent ad totum genus humanum, idque obstringunt. — Quinto utraeque doctrinae post lapsum, omnibus aetatibus in uera Dei Ecclesia fuerunt et sonuerunt, ac debent etiam deinceps in ea manere, tradi et lucere. — Haec commonefactio prodest, ut rectius intelligamus Euangelij beneficium, hoc ipsum quod in lege requiritur adferens, nempe perfectißimam legis obedientiam iuxta Dei uoluntatem, uerum per Christum, non per ullum aliud ullius creaturae opus praestitum, eaque ratione hominibus uitae promißionem applicans.

Qu. Quae sunt praecipuae inter Legem et Euangelium differentiae? D 5.
Resp. PRIMVM. Legis doctrina, hominum naturae in prima conditione, ab ipso Deo est insita et impressa, et manet ea lux, quamuis horribiliter obscurata et deprauata, etiam in hominibus peccato originis corruptis, censeturque nomine legis naturae. Sed postea rursus crebro, inprimis uero in monte Sinai, est illustribus testimonijs repetita ac declarata. — Euangelium uero non est naturae hominum inditum, neque est naturaliter notum, sed est peculiaris doctrina, incognita prius omnibus creaturis, de Meßia, eius officio ac beneficijs, post hominum lapsum in Paradiso primum reuelata. Hinc scriptura sancta, Euangelium appellat Mysterium, sed patefactum tamen, 1. Corinth. 2.

SECVNDO. Lex ab hominibus, quibus tradita est, integerrimam obedientiam, exteriorem simul et interiorem exigit. Verum non adfert, non dat, non applicat hominibus eam obedientiam, imo cupit eam potius ab hominibus accipere, ideo est quasi exactor debiti. Matth. 18. 22. — Euangelium uero, quasi extenso digito indicat, eam ipsam Legis Dei

integerrimam obedientiam, requisitam ab hominibus, Christum Dei ac Mariae filium, uice totius generis humani absolutissime et abundantißime impleuisse, offertque, donat, impertit, applicat eam legis perfectionem omnibus hominibus, et postulat seu praecipit, ut fide tam quam apprehensionis organo, hanc perfectißimam obedientiam Christi, iusticiam partam sanguine et merito, et uitam aeternam accipiamus. Iohan. 1. Lex per Mosen data est, Gratia autem et ueritas per Iesum Christum facta est. Iohan. 6. Haec est uoluntas eius etc. Lex de operibus hominum agit, At Euangelium de operibus Christi agit. Lex nostra bona opera postulat: At Euangelium fidem postulat, absque nostris operibus, tantum operi, obedientiae ac merito Christi innitentem. Et sic Euangelium est quasi persolutor debiti.

TERTIO. Lex habet promißiones, quibus est haec conditio expreße adiuncta: si omnia ad amußim, quaecunque Lex flagitat, praestiterimus, tunc nos uitam consecuturos: sin minus, tunc nos morituros, iuxta dicta, Fac hoc et uiues. Item: Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea. Euangelium uero habet promißiones absque tali conditione, gratuitas, sine nostris meritis, tantum per et propter Christum, Ephes. 2. Gratia estis saluati, per fidem, et hoc non ex uobis: Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.

D 6. QVARTO. Legis officium est, de poenitentia seu peccatorum cognitione concionari. Roman. 3. Lex est cognitio peccati. Euangelij uero officium est, de ipsius Christi, quem proposuit Deus Mediatorem, operibus, merito, beneficijs, deque aliena, seu donata atque imputata iusticia concionari, 2. Corinth. 5. Item Rom. 3. Nunc sine Lege iusticia Dei manifestata est.

QVINTO. Lex non adfert hominibus consolationem, sed potius terrorem, iram Dei, desperationem et damnationem. Gal. 3. Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Rom. 4. Lex iram operatur. Euangelium uero solidam et firmam consolationem, pacem, gaudium, gratiam, concordiam cum Deo, liberum ac fiducialem aditum ad Deum, uictoriam omnium spiritualium hostium, spiritum sanctum, et renouationem naturae deprauatae, adfert. Rom. 5.

Qu. Confusio Legis et Euangelij, quae parit incommoda, ut quod Papistae tradunt, Christum in Euangelio nouas condidisse leges, aut quod docent, nos per Christum iustificatos esse, ut bona opera, necessaria ad salutem, faciamus? **Resp.** Primum, uel obscuratur foede meritum Christi, uel etiam prorsus amittitur, id quod in regno Pontificio accidit. Galat. 3. Si per legem iusticia, frustra Christus mortuus est.

Secundo, Perit firma et constans conscientiae erga Deum consolatio et fiducia. Anxia enim et perturbata conscientia, in hoc articulo, quo agitur de remißione peccatorum coram Deo, non potest duobus simul fundamentis, quasi duabus sellis, nempe operibus suis proprijs, et simul merito Christi inniti. Hac de causa Pontificij docent, esse dubitandum, an sit nobis Deus propicius, quae quidem dubitatio, ex diametro fidei est contraria, nosque salute prorsus expoliat.

Tertio, quia Euangelium pro legis doctrina, Metamorphosi prorsus horribili, accipitur, quidam ex ea quasi scaturigine deducunt hanc opinionem, Scipionem, Alexandrum, Aristotelem, et alios heroas apud

gentes, lege naturae saluatos esse, cum tamen ignari fuerint Christi et fidei penitus. Est igitur haec opinio, tetra in agnum Dei Iesum Christum blasphemia.

Postremo, nisi Lex et Euangelium in praxi seu ipso usu accuratißime discernantur, aut securitatem, aut damnabilem confidentiam, uel etiam desperationem sequi necesse est. Nam si Euangelium tantum a securis et impoenitentibus, legemque quasi procul a se profligantibus, suscipitur, tum in maiorem securitatem prolabuntur, ac libertate Euan- D 7.
gelica ad licentiam peccandi turpißime abutuntur. Sin uero conscientiae peccatorum aspectu consternatae, tantum in legem respicient, aut hypocritica inde exurget confidentia, quasi peccata operibus legis poßis compensare, aut in desperationem ipsos, magnitudine peccatorum oppressos, immergi necesse est. Affert ista confusio etiam hoc damni, quod ingens illud malum, in quod genus humanum per peccatum lapsum est, uel extenuatur, uel etiam penitus obliuioni traditur.

Qu. Debentne utraeque doctrinae, nempe Lex et Euangelium, in Ecclesia Dei tradi? **Resp.** Maxime, obseruato tamen debito cuiusque ordine et ratione, nempe, ut per Legem omnes homines de peccato et seria poenitentia doceantur. Et uicißim, ut per Euangelium peccatoribus, anxias et trepidantes habentibus conscientias, remißio peccatorum gratuita per Christum, sola fide accipienda, annuncietur. Hoc enim pacto Christus ipse ministerium uerbi ordinat atque instituit. Lucae 24. Praedicate, inquit, poenitentiam et remißionem peccatorum in nomine meo. Porro diligentißime memorique memoria haec retineantur, poenitentiam seu contritionem, uoce legis, remißionem uero gratuitam peccatorum, uoce Euangelij tradi.

Caput X. De Iustificatione miseri peccatoris in conspectu et iudicio Dei,

siue de gratuita remißione peccatorum per fidem in Christum.

Qu. Quaenam fuit hominum iusticia ante lapsum, quam quidem omnes posteri Adae et Euae habuissent, nisi peccatorum gurgite absorpti fuissent? **Resp.** Obedientia purißima et perfectißma iuxta legem et uoluntatem Dei, interior et exterior, secundum corpus et animam hominis. Normam enim ac lucem Decalogi sapientißimus ac iustißimus Deus, hominum naturae initio indidit atque insaeuit. Porro praeter eam obedientiae normam, et singularem legem primis hominibus tradidit, de uitandis fructibus certae cuiusdam arboris, in horto Eden plantatae, annexa comminatione mortis, si uiolaturi eam legem essent.

Proinde, si huic uoluntati atque istis legibus Dei homines obtemperassent, non dubium est, quin hac obedientia iusti coram Deo fuissent habiti, atque in gratia et immortalitate in perpetuum permansissent.

Qu. Quae uero nunc, lapsu commisso, hominum iusticia esse debet? D 8.
Resp. Decalogus est immota et perpetua norma ac declaratio uoluntatis diuinae, in qua certis uerbis describit iusticiam Deus, quam ab omnibus hominibus exigit, eamque ipsam ob causam in natura hominum deprauata, adhuc relinquit legis suae quaedam semina, seu reliquias uel particulas quasdam, imo et legem suam in Sinai magnifice repetijt, ut uniuerso

generi humano innotesceret, etiam post horribilem lapsum et corruptionem, tamen a Deo eam iusticiam ab ipsis, nempe obedientiam Decalogi integram, et transgreßionis compensationem requiri.

Qu. Valetne homo iam post lapsum et corruptionem naturae suae, eam iusticiam a Deo postulatam, sua propria integraque legis impletione seu obedientia, et debita praeuaricationis compensatione, consequi? **Resp.** Nequaquam. Nam Lex interiorem et exteriorem obedientiam, ex toto corde, tota anima, et totis uiribus flagitat. Debitum uero immensum est, legis execratio intolerabilis, ira Dei grauißima, mors, Diabolus, infernus, nimis magnam potentiam super homines adepti sunt. Homines, quo ad totam ipsorum substantiam (proh dolor) nimium sunt deprauati, et quasi eneruati, ut impoßibile prorsus sit, ipsosmet integram et consummatam illam obedientiam, qualem lex Dei exigit, posse consequi. Directe igitur et manifeste uerbo Dei sententia fertur, uniuersum mundum esse reum, quia ex operibus legis non iustificetur omnis caro coram illo. Non esse distinctionem, omnes peccasse et egere gloria Dei, Rom. 3. Qua propter quod ad homines attinet, necesse fuisset ad unum omnes aeternae morti et damnationi subiacere.

Qu. Ecquis igitur eam Legis diuinae compensationem, atque omnimodam obedientiam, et remiſsionem peccatorum coram Deo, promeruit? **Resp.** Iesus Christus, uerus Deus et homo, in una persona existens, idque per paßionem suam et perfectißimam obedientiam, loco totius generis humani. Deus enim ut est iustißimus immutabiliter, et compensationem sufficientem pro transgreßione legis, et omnibus numeris absolutißimam obedientiam, ac breuiter integerrimam legis impletionem postulauit, neque uoluit genus humanum absque debita compensatione, satisfactione, et aequiualente precio, ullatenus in gratiam recipere. Cum autem nullus mortalium in terris unquam rei tantae, patiendo et satisfaciendo, potuisset
E 1. esse par, ideo ex immensa misericordia filius Dei ordinatus est Mediator, ea ratione, ut homo factus, omnia, quae lex ab omnibus hominibus suo iure postularet, ille unicus in sese deriuaret atque deuolueret, pleneque praestaret. Idcirco Dominus noster Iesus Christus, unitis ineffabili mysterio in una persona duabus naturis diuina et humana, immensum illud pondus omnium peccatorum, et damnationis omnium mortalium, in se unum recepit, atque in cruce passus est, summamque atque exuberantem obedientiam praestitit, eoque pacto iusticiam in lege requisitam ab hominibus, ipse pro hominibus plenißime peperit et consecutus est. Hisce denique peractis, uictor atque triumphator, etiam cum assumpta humana natura, coelum ingressus est uisibiliter, atque ad dexteram Dei locatus.

Haec igitur est perfecta, et plena iusticia coram iudicio Dei, seu absolutißima et uberrima legis impletio, patiendo et obediendo per Christum praestita.

Hinc meridiano sole, quod dici solet, clarius est, eam iusticiam, hoc est, integerrimam legis impletionem, absque hominibus, per solum, solum inquam Iesum Christum, uerum Deum et hominem, patiendo et obediendo partam esse.

Qu. Testimonia scripturae, quod Christus uerus Deus et homo, non alia ratione quam legis impletione, hoc est, patiendo et obediendo, iusticiam hominum coram Deo, et remiſsionem peccatorum pepererit?

Resp. Gene. 3. Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius, ipsum conteret caput tuum. -- Genesis 12. In te benedicentur omnes nationes terrae. — Esa. 53. Vulneratus est propter iniquitates nostras — — posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum. — Dan. 9. Septuaginta hebdomades abbreuiatae sunt super populum tuum — — ungatur Sanctus sanctorum. Item: Post hebdomades sexaginta duas, occidetur Christus. Matthaei 1. Vocabis nomen eius Iesum: Ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis suis. Matthaei 5. Non ueni soluere (legem) sed adimplere. Roman. 8. Quod impoßibile erat legi (eo quod infirmabatur per carnem), Deus — — ut iustificatio legis impleretur in nobis. — Philip. 2. Humiliauit semetipsum, factus E 2. obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. — Hebrae. 9. Sine sanguinis effusione non fit remißio. Item: Non per sanguinem hircorum aut uitulorum, sed — — redemptionem inueniens. Galat. 4. Vbi tempus completum est — — adoptionem filiorum reciperemus. — Idem significant et exprimunt typi de Isaac, agno paschali, serpente, Iona, et alij plures.

Qu. Estne haec iusticia Christi, seu Legis omnimoda impletio, humilitate, sanguine et obedientia ipsius parta, etiam nostra? **Resp.** Omnibus modis. Nostra enim uice passus est, nostra peccata baiulauit, ideo et iusticia, quam suis meritis peperit, nostra tota est. Sicut haec illustria dicta docent, Roman. 4. Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostri. — 1. Corinth. 5. Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iusticia Dei in ipso.

Idem docet mandatum praedicandi omnibus creaturis poenitentiam, et remißionem peccatorum in nomine Christi. Obsignant quoque et confirmant eam sententiam et applicationem iusticiae, omniumque meritorum Christi, Baptismus et Testamentum sacrosanctae coenae. Breuiter in hoc puncto omnia sita sunt, ut beneficia et merita Christi, quilibet sibi uendicet et applicet.

Qu. Quomodo hanc perfectam iusticiam, sanguine Christi partam et acquisitam, seu remiſsionem peccatorum assequimur: parta quidem est, uerum eam nunc distribui et applicari necesse est? **Resp.** Duo sunt media, unum, quo Deus eam Legis impletionem, a Christo factam, seu partam illam iusticiam distribuit ac impertit. Alterum, quo nos homines eam amplectimur, tantoque dono potimur.

Medium ipsius Dei est uerbum diuinum, praecipue uero Euangelium seu promißio gratiae, cui sunt sacramenta ab ipso Christo adiuncta et copulata. Nam hoc medio Deus, tanquam extensa manu Christi meritum adfert et offert, ac uirtute uerbi sui efficaciter impertit et applicat. Rom. 1. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Lucae 11. Beati, qui audiunt uerbum Dei. 1. Corinth. 1. Placuit Deo per stultam praedicationem saluos facere credentes.

Deinde medium, quo nos alienam istam iusticiam apprehendimus, E 3. nobis applicamus, totamque in nos traducimus, est fides in Christum, hoc est, ut in cordibus nostris firmißime statuamus, omni dubitatione repudiata et explosa, iusticiam Christi sanguine acquisitam, esse meam, tuam et omnium nostrum, non aliter ac si nos eam, eadem ratione qua Christus, perfectißime praestitissemus, perque eam nos coram Deo iustos censeri

ac accipi, et remißionem peccatorum habere. Iohannis 3. Qui credit in me, habet uitam aeternam. Marci 16. Qui crediderit et baptisatus fuerit, saluus erit. Iohan. 1. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomen eius.

Qu. Quae sunt causae, propter quas Deus remittit peccata, iustificat et acceptat nos? **Resp.** Duae sunt, nempe mera et inexhausta Dei misericordia, dilectio, gratia: Deinde etiam persolutio seu meritum Christi, absque operibus et meritis nostris. Hae causae semper sint in conspectu. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum — — uitam aeternam. In hoc celeberrimo et suauißimo dicto, duae illae causae diserte proponuntur, Primum nempe dilectio Dei, deinde mißio et meritum Christi. Eaedem in hoc etiam dicto luculenter comprehenduntur. Roman. tertio: Iustificamur gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorium, per fidem in sanguine ipsius.

Qu. Docemus fide nos iustificari, an non etiam fides est opus? **Resp.** Fides Dei donum est, et tantum manus, ut est dictum, seu organon, quo iusticiam Christi apprehendimus, nobisque applicamus.

Qu. Quibus uult Deus impletionem Christi imputare, et remiſsionem peccatorum gratuitam largiri? **Resp.** Omnibus peccatoribus in toto mundo, sine personarum discrimine. Verum peccatores esse necesse est, hoc est, tales, qui ex lege peccata cognoscant, et doleant se tantopere Deum offendisse, gemant ex intimo corde, atque gratiam unice expetant et implorent. Sic Christus inquit Matthaei 11. Pauperes Euangelisantur. Et Matt. 9. Non ueni ad uocandum iustos, sed peccatores ad poenitentiam. Matthaei 11. Venite ad me omnes, qui laborati et onerati estis, et ego reficiam uos. Rom. 4. Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iusticiam. Ezech. 33. Viuo
E 4. ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur et uiuat. Idem docent exempla Publicani, filij perditi, ouiculae errantis, latronis in cruce suspensi, et aliorum.

Qui autem non sunt peccatores, hoc est, securitati indulgent, nihil de sua damnatione sentientes, peccata extenuantes, defendentes, accumulantes, uel etiam qui opinantur, se propria sua dignitate et bonorum operum ornatu, in iudicio Dei consistere posse, non fiunt istius imputatae iusticiae Christi seu impletione legis participes, sicut inquit Christus Matth. 9. Non ueni uocare iustos: et Lucae 18. eiusmodi hypocritas, in arrogante Pharisaeo, quasi uiuis coloribus depingit.

Qu. Quis est ordo, quem Deus in iustificando peccatore obseruat? **Resp.** Iste. Primum uoce et ministerio legis peccata indicat, et in conspectum producit, ut ijs agnitis, simul consideratione irae et Dei poenarum commeritarum cohorrescamus, et ex toto pectore doleamus ac deploremus. Romanorum 3. Lex est cognitio peccati. Esa. 57. habitans cum contrito et humili spiritu.

Deinde uero uoce et ministerio Euangelij, consolationem suauißimam annunciat, nempe peccatorum remißionem et acceptationem, ex mera gratuita misericordia, per Christum, eamque Sigillis Sacramentorum omnibus euidentißime obsignat, praecipiens unicuilibet, ut credat. Ro. 5. Vbi abundauit delictum, superabundauit et gratia. Haec etiam Christus breui dicto complexus est. Marci 1. Poenitentiam agite, et credite Euangelio.

Qu. Testimonia, quod Deus eam iusticiam, sanguine Christi comparatam, seu gratuitam remiſsionem peccatorum, OMNIBVS hominibus, modo poenitentiam agant, et credant Euangelio, promptiſsime uelit imputare et donare. **Resp.** Ioel. 2. Rom. 10. Omnis, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Rom. 11. Conclusit Deus omnes in peccatum, ut omnium misereatur. Gal. 3. 1. Timoth. 2. Deus uult omnes homines saluos fieri, et ad agnitionem ueritatis uenire. Matt. 28. Euntes docete omnes gentes — —. 1. Iohan. 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus — — sed etiam pro totius mundi. Denique quia pro totius mundi peccatis Christus persolutionem praestitit, non dubium est, quin Deus paratißimus sit, ad id beneficium omnibus credentibus in Christum, applicandum. Quapropter nemo hominum in toto mundo, causam habet, quare se excipiat aut excludat. Porro quod non omnes tanti boni participes fiant, non quidem Deus in causa est, uerbo suo istum ingentem thesaurum E 5. perpetuo cunctis offerens, sed ipsemet homines, qui recusant credere.

Qu. Testimonia, quod GRATIS ex misericordia, absque nostris operibus et meritis, impletio Legis seu iusticia, sanguine Christi parta, imputetur, et remiſsio peccatorum donetur. **Resp.** Esaiae 55. Omnes sitientes uenite ad aquas — — uinum et lac. Lucae 15. Gaudium erit in coelo, super uno peccatore poenitentiam agente — — poenitentia. 1. Timoth. 1. Certus sermo, et dignus qui omnibus modis accipiatur — — primus ego sum. Ephe. 2. Gratia estis saluati per fidem — — ne quis glorietur. Idem probant et declarant exempla ueteris et noui Testamenti, quod ex proprijs operibus seu meritis, nemo unquam post lapsum sit saluatus et iustificatus, sed tantum gratis, ex mera misericordia, propter Christum. Roman. 4. Actor. 10.

Qu. Quare docemus SOLA nos fide iustificari, cum ista uox SOLA, non in scriptura, sic expreſse legatur? **Resp.** Scriptura diuina aequipollentibus uocabulis utitur, ut, sine lege, sine operibus, gratis, gratia, nisi per fidem in Christum, Iohan. 3. Roman. 3. 4. Galat. 2. 3. Excludit autem haec particula SOLA ex hoc articulo fidei, opera seu merita humana, et separat fermentum Pharisaeorum, Papistarum et omnium operariorum.

Qu. Omnes ne homines pariter, isto unico modo, nempe absque suis operibus, Sola imputatione et gratuita donatione meriti atque obedientiae Christi iustificantur, et accipiunt remiſsionem peccatorum coram Deo? **Resp.** Ita. Etsi enim dona uarient ac differant, tamen necesse est omnes, quotquot coram Deo iustificantur, in hisce duabus partibus esse pares. Primum, Omnes homines sine exceptione sunt peccatores maximi et miserrimi, iram Dei et aeternam damnationem meriti. In hoc gradu simul consistunt paresque sunt, Publicanus peccator, et Baptista Iohannes, Latro suspensus in cruce, et Abraham. Idem iudicium et de alijs esto. Deinde omnes sunt aequales et in altera parte, quod omnibus ex misericordia gratis iusticia per sanguinem Christi comparata imputatur, quam E 6. fide in Christum accipi necesse est. Sic omnes absque suis proprijs operibus, gratis a peccatis expurgantur.

Haec doctrina patet ex multis illustribus testimonijs, ut Roma. 11. Conclusit Deus omnes in peccatum, ut omnium misereatur. Rom. 3. Non est distinctio: omnes enim peccauerunt — — per fidem, in sanguine eius.

Item: Vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, et praepucium per fidem. Eamque ob causam Abraham, pater omnium credentium appellatur.

Qu. Eodem modo homines in ueteri ac nouo Testamento iustificatos esse et iustificari, unamque et eandem iusticiam et remiſsionem peccatorum, in ueteri ac nouo Testamento tradi, haec dicta probant. **Resp.** Gene. 15. Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iusticiam. Hoc dictum Paulus ad Romanos 4. allegat, subijciens: Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quod imputatum sit illi — — resurrexit propter iustificationem nostri. Acto. 20. Huic omnes Prophetae testimonium perhibent — — qui credunt in eum.

B 1. fusiore. **F.** Persuasum habeo, vt in Jesum Christum Dominum meum credam, nec rationis meae virium, nec vllius, quae in homine sit posita, molitionis, sed solius Spiritus sancti opus esse, et beneficium: qui quidem, Lege contusum, et occisum, sermone reconciliationis, quae est vox Euangelij, in vitam me vocarit, sua gratia collustrarit, fidei sanctitate insignierit: et in ea etiam nunc conseruet: ad quem modum Ecclesiam in terris totam vocat, colligit, collustrat, et in fide Jesu Christi vera conseruat. In qua Ecclesia mihi, et omnibus ad Christum cooptatis delicta omnia liberaliter, et prolixe condonat quotidie: et, cum summus mundo dies veniet, me, et mortuos, immissa in corpus anima, vniuersos ad vitam reuocabit: vt credentes aeternae vitae cum Christo beatitudine afficiamur. His nihil certius fieri, veriusque potest.

P. At in suscepta hac fide de Deo, in dies vt singulos progressus facias: quanam re tibi opus est? **F.** Imploratione nominis, auxiliique diuini: et mysteriorum, quae sunt sacramenta, crebra recogitatione, et vsurpatione.

P. Quae est precationis formula optima, et praestantissima? **F.** Ea quae a Christo ipso Jesu praescripta discipulis, oratio appellatur Dominica.

P. Ea oratio quot partibus constat? **F.** Tribus. Exordiolo, quae est Dei compellatio religiosa: Narratione, quae petitiones, seu postulata septem comprehendit; Et conclusione.

P. Quomodo igitur compellas Deum? **F.** Pater noster qui es in coelis.

P. Quid volunt sibi haec verba? **F.** Sine vlla ambiguitate statuendum, Deum verum nostrum Patrem, nosque eius veros esse liberos: ideoque ad illum animose preces adhibendas: nec, alia fiducia petendas ab eo res, et ad corpus tuendum, et animum conseruandum necessarias: quam videmus filiolos a patre suo aliquid rogitare.

P. Quid intelligis patrem nostrum in coelis esse? **F.** Ab omni mortalitatis conditione seiunctum cuncta potestate infinita complecti: vbique praesentem esse, cumulate animaduertere, scire, et intueri omnia, vota, atque etiam animorum motus intimos inspicere, preces audire, iuuare, ex periculis eripere, et conseruare.

P. Quae est petitio prima? **F.** Sanctificetur nomen tuum.

P. His verbis quidnam precaris? **F.** Licet Dei nomen procul omni dubitatione, vt Deus ipse, per se sanctum sit omni tempore, et augustum: rogare tamen nos: vt apud homines quoque sancte, et religiose colatur.

P. Quanam hoc ratione fit? **F.** Cum et verbum Dei, ac doctrina coelestis pure, sineque omni falsitatis admixtione docetur: et nos, filios vti Dei facere par est, de praescriptione illius piam, et sanctam viuendi rationem tenemus. Quod vt praestare possimus: munifica benignitate largire pater coelestis. Nam qui contra, quam verbum Dei praescribit, B 2. vel docet, vel viuit: ille prophanat inter nos, et ignominia afficit nomen diuinum. A quo scelere nos Pater, qui coelis incolis, prohibe.

P. Quae est petitio secunda? **F.** Adueniat regnum tuum.

P. Quid est regnum Dei? **F.** Regnum Dei oppositum dominationis Sathanae (quae est peccati, mortis, et aeterni exitij tyrannis) iusticia est, et pax, et gaudium per Spiritum sanctum.

P. Quid igitur petis his verbis? **F.** Quamuis Dei regnum veniat, et innotescat sponte, et vltro, sine nostris postulationibus: tamen precari, vt etiam ad nos veniat gloriose, ac successu, copiaque credentium magnifice augeatur.

P. Hoc quonam modo fit? **F.** Cum omnium rerum moderator, Princeps, et Dominus pater noster coelestis communicat nobiscum Spiritum suum sanctum: cuius beneficio fidem adhibeamus verbo diuino: et ad Dei voluntatem vitam agamus cum in hoc tum aeuo sempiterno.

P. Quae tertia? **F.** Fiat voluntas tua — sic etiam in terra.

P. Quid est voluntas patris coelestis? **F.** Voluntas patris coelestis est, vt quicunque videt Filium, et credit in illum: expectando bona conscientia, sub oneribus in ceruices ipsius incumbentibus, beatam spem, et aduentum gloriae magni Dei, non pereat: sed vltimo die exuscitatus vitam sempiternam adipiscatur.

P. Hic ergo quid precaris? **F.** Etsi benigna, et propitia voluntas Dei fit, etiamsi nulli rogemus: tamen optare, etiam apud nos vt perficiatur.

P. Hoc quando fit? **F.** Cum Deus consilijs venit contra, conatibusque omnium: qui interponunt sese, ne nomen ipsius sancte colatur: Eiusque regnum veniat: qualis est Satanae, Mundi, et carnis nostrae voluntas: nosque confirmat, et conseruat in verbo suo, fideque constantes ad extremum vsque vitae halitum: haec est benigna, et propitia Dei voluntas.

P. Quae est petitio quarta? **F.** Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

P. Qua de re hic Deum appellas? **F.** Vt in nos filios suos conferat hoc beneficij: vt, quem non rogatus largitur vicijs et sceleribus contaminatis hominibus panem quotidianum: eo nos cum gratiarum actione fruamur.

P. Quid vocas panem quotidianum? **F.** Omnia ea, quibus ad colendam, ac sustentandam hanc vitam opus habemus: qualia sunt: victus, amictus, aedes, agri, pecora, pecuniae, adhaec coniunx nostri amans, obsequentes liberi, familia morigera; praeterea vigilantes magistratus, Reip. administratio salutaris, temporum varietates oportunae, pax, quies, sanitas, disciplina, et educatio pueritiae, prosperitas, bona fama, existimatioque fideles amici, vicini boni, et quae sunt eiusdem generis.

B 3. **P.** Sed cur addis nostrum, et quotidianum, et hodie? **F.** Noster propter laborem: quotidianum, propter modum cupiditati imponendum: hodie vero, vt non dubitemus, Deum paratum esse ad dandum nobis quotidie quibus indigemus.

P. Quae est quinta? **F.** Et remitte nobis debita nostra — debitoribus nostris.

P. Qua de re his verbis imploras Deum? **F.** Ne pater coelestis, acrius intuens in peccata nostra, precantes suppliciter a se reijciat: neque enim vllis muneribus, et beneficijs digni sumus: vt qui, locum quod habere queat meriti apud Deum, praestare nihil possumus: verum ex misericordia nobiscum vt agat: et innata, genuinaque bonitate nobis postulata tribuat. Nos enim non solum minus, quam par est facimus: sed delinquimus etiam diebis singulis, et praeter poenas, et supplicia nihil quidquam meremur. Tum vero nos, imitatione ipsius, ex animo condonaturos alijs delicta ipsorum: et, a quibus offensi sumus, eos humanitate nostra complexuros.

P. Quid intelligis debita? **F.** Iniquitates, et peccata nostra: quod eorum poenam, ceu precium, Deo debemus: nec satisfacere vllo modo possemus: nisi gratuita misericordia propter Christum liberaliter illa pater coelestis remitteret.

P. Conditio addita estne meriti? **F.** Non, sed signi: tam certo nobis remissionem peccatorum a Deo contingere: quam certo alijs suas in nos iniurias condonamus.

P. Quae est sexta? **F.** Et ne nos inducas in tentationem.

P. Quid hic intelligendo flagitas? **F.** Deum quidem nec causam dare offensionis, nec in malum quenquam inferre: verum petere nihilo secius, ne negligat nos ille: sed conseruet potius, et tueatur: ne Satanae impressionibus, carnis propriae illecebris, et mundi illicijs labefactati de gradu constantis fidei deijciamur, spem abijciamus, et in scelera foeda, et flagitia detestanda prolabamur. Et si quando accidat, vt tentationibus

eiusmodi impetamur: depulsis, ac dissipatis copijs aduersariorum victoriam consequamur.

P. Quae est petitio septima? **F.** Sed libera nos a malo.

P. Quid vis tibi his verbis? **F.** In summa peto, vt nos pater coelestis liberet, et vindicet ab omnibus malis, periculisque corporis, animi, fortunarum, bonorum: et, cum mortalem vitam cum immortali commutabimus, finem viuendi beatum, et felicem largiatur: et ex valle hac miseriarum migrantes ad se in coelum recipiat.

P. Quae est precationis huius conclusio? **F.** Quoniam tuum est regnum — Amen.

P. Amen vox quid significat? **F.** Seclusa omni ambiguitate certum nobis, et persuasum esse debere, preces nostras gratas esse patri coelesti, B 4. et ab illo iam exauditas. Nam et ille ipse ad hunc vt modum precibus sacris demus operam iussit: et exauditurum se inuocantes promisit. Amen ergo idem est quod: certum hoc, ratum, et firmum erit.

P. Quid autem, nullane alia precandi formula vti licet? **F.** Licet vero, capita enim quaedam vniuersa, et summa proposuit nobis Christus, ad quae omnia, quae petenda, referri possunt.

P. Dixisti ad Religionis susceptae incrementum, seu progressum Fidei etiam Sacramentorum crebra recogitatione, vsurpationeque opus esse: quid ergo vocas Sacramentum? **F.** Sacrae rei, quae est gratia, seu promissio coelestis, signum.

P. Quot sunt Sacramenta? **F.** Duo, Baptismus et Coena Dominica: quibus adijciuntur Claues, seu Absolutio.

P. Quid est Baptismus? **F.** Baptismus aqua simplex, et communis non est — mandato connexa.

P. Quodnam est illud verbum? **F.** Euntes doctum omnes — Spiritus sancti.

P. Nomen hoc loco quidnam intelligis? **F.** Et vsurpationem inuocationemque diuini Numinis, et administrationis autoritatem, potestatisque vicem.

P. Quid est Baptismi fructus? **F.** Venia, et condonatio delictorum, vindicatio a morte, et Satanae, et donatio beatitudinis sempiternae: cuius compotes fiunt, quicunque verbo, et promissioni diuinae fidem habent.

P. Quodnam illud verbum est, et promissio? **F.** Qui crediderit — — — fiamus haeredes vitae, quae speratur, sempiternae.

P. Quid est Renascentia? **F.** Regeneratio, quae est ipsa iustificatio: qua remissis peccatis, aqua, et Spiritu procreati, ius adoptionis filiorum Dei per Jesum Christum consequimur.

P. Quid Renouatio? **F.** Sanctificatio, seu nouitas vitae: qua vetus homo paulatim aboletur, et nouus per Spiritum S. introducitur.

P. Ipsa autem in aquam baptismatis immersio cuiusnam rei habet B 5 significationem? **F.** Submergi, et extingui oportere veterem hominem in nobis poenitentia, et vitae emendatione quotidiana, cum peccatis, et carnis desiderationibus ad mundum deflexis omnibus: et in singulos dies emergere, et in vitam redire hominem nouum: qui iuste, et sancte viuat in seculorum perennitatem infinitam: quemadmodum his verbis docet Apostolus. Sumus vna cum Christo per Baptismum — et nos in vitae nouitate gradiamur.

P. Quid est coena Dominica? **F.** Est verum corpus, et verus sanguis Domini nostri Jesu Christi, pane et vino nobis, qui illius partium sumus, ab ipso Christo, vt ad sui memoriam illa edamus, et bibamus, instituta.

P. Quonam modo potest Christus nobis carnem suam dare comedendam, et bibendum sanguinem? **F.** Nescit Ratio, credit Fides: quae persuasissimum habet vera esse verba Christi; quae primum ab Euangelistis, deinde Paulo Apostolo in literas sunt relata.

P. Quae sunt illa verba? **F.** Dominus noster IESVS CHRISTVS — biberitis in mei commemorationem.

P. Quem vtilitas fructum praebet esus corporis Christi, et eiusdem sanguinis potus? **F.** Fructum declarant, et ostendunt ista verba. Pro vobis datur, et effunditur ad peccatorum veniam. Ea enim condonationem delictorum, vitam, et beatitudinem coenantibus pollicentur. Nam impunitatem peccatorum vita, et iusticia ex necessitate consequuntur.

P. At quonam pacto fieri potest, vt esus, et potus talium, tantorumque bonorum causa sint? **F.** Esus vero, et potus, hoc est, actio ipsa, nihil horum quidquam conficiunt: sed verba ista: pro vobis datur, et effunditur ad peccatorum veniam. Quae verba Coenae Sacrosanctae caput sunt: ita, vt quicunque fidem ijs adhibet, procul omni dubitatione, quam verba pollicentur, peccatorum veniam adipiscatur.

P. Quis dignus ad sacrum hoc conuiuium accedit? **F.** Cibalis sane abstinentia, et adhibitae praeparationes corporis, sunt quidem honestae disciplinae opus: verum ille solus dignus, et bene constituto est, et
B 6. animo pariter, et corpore: qui fidem adhibet his verbis: Pro vobis datur — fidem exigunt.

P. Ergo fides discrimen facit inter dignos, et indignos? **F.** Facit omnino.

P. Et vtrique tamen vere comedunt corpus, et bibunt sanguinem Christi? **F.** Quid ni? quod enim semel loquitur Christus iterare nescit: et non est vlla res, quam Deus praestare non possit.

P. Eos vero, qui Domini mensam participant, quodnam conuenit facere? **F.** Recordari beneficiorum Christi, eiusque mortem commemoratione grata prosequi.

P. Quem in finem? **F.** Primum, vt sine vlla haesitatione certum habere, exploratumque discant: cum nulla esset in tota rerum vniuersitate natura, quae cum Deo in gratiam nos posset ponere: vnigenam Dei filium necesse habuisse hominis munus subire, et supplicio, et sanguine suo nos expiare: deinde vere, et ex animo doleant de peccatis, eaque auersentur: et, omni spe salutis in misericordia diuina collocata, in Christo Jesu acquiescant: postremo, exemplo Christi, ad proximum omnia referant: et operam, curam, et studium diligens in iuuandis hominibus ponant.

P. Quid Filium Dei impulit, vt se pro genere humano ad mortem offerret? **F.** Interminatus amor erga patrem suum coelestem, et charitas in nos peccatores infinita.

P. Quid ad saepius iterandam Eucharistiae communionem nos debet impellere? **F.** Tum mandatum Christi: Hoc facite in mei recordationem: tum miseria nostra, viciositas, prauitas, exaestuans ex carne peccatum:

adhaec pericula, mundi illecebrae, et singulis nos momentis oppugnans hostis diabolus.

P. Quid sunt, quas appelasti, Claues? **F.** Relicta a Christo Ecclesiae potestas ministerij ligandi, et soluendi: hoc est, peccata retinendi, condonandique et regnum diuinum aperiendi, claudendique.

P. Recita testimonium scripturae sanctae? **F.** Sicut misit Pater meus — soluta erunt in coelo.

P. Quottuplex est haec potestas? **F.** Duplex. Publica, et priuata.

P. Quae est publica? **F.** Quae ad vulgus fit Christi nomine vitae correctionis, et peccatorum veniae denuntiatio.

P. Quae priuata? **F.** Poenitentium diuinae clementiae restitutio ad singulos applicans, et accomodans remissionem peccatorum.

P. Quid, altera ex parte quae respondet Clauibus, confessio? **F.** Peccatorum agnitio, enunciatio, et veniae postulatio.

P. Quot modis fit Confessio? **F.** Tribus. Nam naturae nostrae B 7. 15 viciositatem et peccata recogitantes, aut dolenter, suppliciterque ad Deum enarramus miserias, et delicta nostra, et propter Christum nobis vt ignoscat pater clementissimus precamur: aut offensi proximi gratiam, et beneuolentiam reconciliare nobis studemus: aut denique ministro Ecclesiae ritu Christiano nos deferentes, exponimus ei, quae maxime animum anxium habent, et sollicitum: et priuatim applicari nobis delictorum remissionem postulamus.

P. Quibus autem de verbis ministro Ecclesiae defers? **F.** Ego edoctus, et conuictus lege divina in peccatis me conceptum, et in hanc vitam editum confiteor: et nunc ad normam edictionum Dei non viuere, esse impium, caligante, insipiente, ac torpente animo, stultum, mendacem, inimicum Dei et ad omnem denique rem bonam ineptum — — — et cum Ecclesia credentum precare pro me Deum: idem officij pro te, et fratribus vniuersis expectaturus.

P. Minister vero Ecclesiae quid ad haec tibi solet respondere? **F.** Talia ferme. Omnium rerum Princeps Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi miseretur tui — — Abi igitur, et noli amplius peccare: in B 8. hoc sedulo dans operam, vt luceat lux tua apud homines: vt tua recte facta videant, et collaudent patrem nostrum coelestem.

P. Macte pietatis indole Fili: et faxit Dominus, Deusque noster Jesus Christus, vt tui primum, deinde Dei, et Filij eius cognitione in dies singulos auctus, ad vitam conserueris, Spiritum sancti beneficio, beatam, et immortalem. **F.** Amen.

Libri Primi Finis.

Aus dem zweiten Buch der Rudimentorum Doctrina Christiana.

Discipulus. Nunc de altera ministerij Ecclesiastici parte vt disseratur, F 1. age quaenam vis est vocabulorum mysterij, et sacramenti? **Praeceptor.** Venerationis arcanae, abstrusae, occultae, seclusaeque rei, quam fas non est enunciando proferre ad eos, qui alieni sunt a religione: Latine initia appellant.

D. Duo esse potissimum Christianorum initia, et mysteria dubitandum non est: sed adeone necessaria fuit eorum institutio? **P.** Necessaria modis omnibus. Primum, Symbola vt essent, ac nata professionis, et ad Charitate connectendum inter ipsos, et exemplo confirmandum eos, qui dedissent nomen Christo: et ab alijs gentibus omnibus eosdem distinguendum. Deinde, his vt intermedijs, quasi per alueum, aut canalem quendam gratia ad nos, quae est coelestis misericordia, manaret: ad fidemque diuinitus verbo excitatam dies in singulos fieret accessio. Postremo, vt, in imbecillitate naturae, nostri animi haberent, tanquam adminiculum aliquod sub sensum cadens, et sermonem promissionis ante oculos quasi ponens, ad quod adniterentur.

D. Quid est Sacramentum? **P.** Inaspectabilis Gratiae forma aspectabilis: quae est actio instituta a Christo, vt sub rerum corporatarum inuolucris, et quasi velis, diuinam propter promissionem, salutem procuret, obses, et testimonium existens reconciliati, placatique Patris coelestis: ac pignus sacrum beneficia Dei praeterita refricans, praesentia demonstrans, et futura denuncians.

D. Quae intelligis praeterita? **P.** Supplicij cruciatum, Mortem, et Satisfactionem Christi Jesu pro peccatis omnium mortalium.

D. Quae est praesentia? **P.** Condonationem peccatorum: quae assignatur nobis gratis, Justiciam, Spiritus primitias, et vitae, in qua ambulare nos par est, Nouitatem.

D. Quae futura? **P.** Corporum excitationem, et vitam immortalem.

D. Quibusnam rebus constant Sacramenta? **P.** Materia, et Forma, hoc est, Elemento et verbo, tum promissionis, tum mandati.

D. Quid Elementum? **P.** Signum externum, et in sensus incurrens, quale est in Baptismate Aqua, in Coena sancta Panis, et Vinum.

D. Quae sunt verba promissionis? **P.** In ablutione mystica. Qui crediderit seruabitur. In conuiuio vero sacrosancto. Hoc est corpus meum, quod pro vobis deditur. Hic est sanguis — ad peccatorum remissionem.

D. Quae mandati? **P.** Lauate omnes gentes — Spiritus sancti. Et Accipite, Comedite: Bibite ex hoc omnes: Facite in mei memoriam.

D. Quid est Baptismus? **P.** Lauacrum aquae in verbo vitae a Christo institutum: in quod Homo, qui peccator est, et filius irae mergitur in nomine Patris, et Filij et Spiritus sancti: in obsignationem Gratiae, remissionisque peccatorum, iusticiae assignatae confirmationem, Spiritus
F 2. donati pignus, et spem denique vitae immortalis.

D. Quae est circumcisionis Judaicae, et Baptismi Christianae conuenientia et inter se congruentia? **P.** Abscissio praeputij sigillum fuit iusticiae in Christum affuturum: Ablutio vero diuina in Christum, qui iam venit, et, promissa quae fuerat maioribus, salutem absoluit, et consummauit: vt, impetati, mundanisque cupiditatibus vale dicto, frugaliter, et iuste, pieque viuamus in hoc mundo, expectantes speratam beatitudinem, aduentumque gloriosum magni Dei, et seruatoris nostri Jesu Christi.

D. Ergo eadem ratione omnium seculorum sancti salutem assequuntur? **P.** Prorsus eadem: In quod enim Patriarchae, Prophetae, et pij reliqui testamenti veteris futurum expectantes crediderunt, in illud

nos iam exhibitum semen mulieris confisionem, vt fiamus iusti, collocamus: quoniam Legis operibus mortalium nemo fit iustus.

D. Quibus figurarum inuolucris praesignificatus est Baptismus in testamento veteri? **P.** Diluuij, Maris rubri transitu, Nahamanis Syri in Jordane ablutione.

D. Quibus alijs vocabulis hoc Sacramentum veteres scriptores Ecclesiastici appellant? **P.** Vocant Sacramentum Fidei, Donum, Munus gratuitum, Vnctionem, Illuminationem, Expurgationem, Amictum, Solutionem, Plantationem, crucem Christi.

D. Sed cur Apostolus Baptisma appellat Lauacrum regenerationis, renouationisque Spiritus S.? **P.** Quod, a parentibus vt edimur in hanc lucem filij irae, Deique hostes in sempiternam miseriam, et interitum: sic ablutione baptismatis necesse est nos, condonatis peccatis, filios misericordiae, et amicos Dei virtute Spiritus sancti regigni, et renasci ad vitam sempiternam.

D. Cur ita? **P.** Quia nisi ex aqua, et Spiritu, qui natus non fuerit, non potest in diuinum regnum intrare inquit ad Nicodemum Christus. Quare vetus noster homo ad mortem sepeliatur oportet baptismo vna cum Christo: vt in vitam redeat nouus: qui in sanctitate, et iusticia coram Deo viuat seculis infinitis.

D. Jamne non solus sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato, sed etiam baptisma? **P.** Abluit etiam baptisma peccatorum sordes: sed vt instrumentum: hoc est, Propheta quemadmodum loquitur, aqua ex domo Domini profluens: et verbo quae offertur nobis, remissionem peccatorum obsignans: et Christi, cuius sanguis sanctos, et inculpatos praestat Deo, nos iusticia induens.

D. Eluuntur igitur in baptismate vniuersa peccata? **P.** Prorsus, non vt non sint amplius (non enim omnino hac in vita a naturae morbo liberamur) sed partim, propter Christum haud imputata, perniciem, aculeo videlicet fracto, vt non afferant nobis: partim, vt in corpore nostro mortali haudquaquam regnent: aptos nos, et idoneos reddente, quo perfusi sumus: Spiritu sancto, per crucem, et mortem ad reuersionem in vitam sanctam, et immortalem. F 3.

D. Quare Petrus Apostolus baptisma vocat bonae conscientiae stipulationem? **P.** Propter verborum conceptionem, seu sponsionem solennem, ac mutui foederis inter Deum, et Hominem obligationem.

D. Quanam sese Homini Deus sponsione obstringit? **P.** Se impunitate promissa omnium peccatorum, gratis in charum, et dilectum filium accipere, qui lauacro veniae abluitur: et iusticia, qua praeditus est filius suus Jesus Christus, insignire.

D. Quas ad res Homo sese vicissim deuincit Deo? **P.** Ad fidem, et, diuino beneficio, respondentem oboedientiam.

D. Quare addit Apostolus, per Christi resurrectionem? **P.** Vt sciamus efficacem esse Lauationem sanctam propter in vitam reuersum, et ad dextram Patris regnantem, Christum: qui factus est a Deo credentibus sapientia, iusticia, sanctitas, et liberatio.

D. Quem par est vsum esse Baptismi per omnem vitam? **P.** Vnum consolationis exadscriptione in Ecclesiam: qua ius ciuitatis Christianae, abluti qui sunt aspersione piaculari, consecuti, a reliquis gentibus vniuersis

segregantur. Alterum excitationis fidei, certo statuentis reuera se in gratiam reconciliatam cum Deo, morte et satisfactione Jesu Christi: et sanctificari nunc Spiritu diuino ad vitam seculis omnibus duraturam. Tertium commonefactionis: vt quia aqua salutari ex tyrannide Satanae erepti, et in regnum Filii Dei, quem induimus, translati sumus: de caetero in nouitate vitae gradiamur: et in sanctitate expectemus iudicium, et nullis seculis aeuum terminandum. Quartum spei ex cruce, aerumnis, rebus tristibus, ac morte denique emersionis.

D. Quid de illis fit peccatis, quae, postquam sumus inserti per lauacrum regenerationis Christo, contrahimus: nam certe nemo est, qui non aliqua culpa teneatur erroris humani: nemo est, qui non peccet, inquit Rex Sapiens? **P.** Baptismi vis, et efficacitas pertinet per totam vitam hominis: et quia semel quod locutus est Deus, iterare nescit: irritam facere promissionem, ac foedus ex Dei parte coeleste, nostrae in lubrico vitae mortalis curriculo prolapsiones non possunt.

D. Ais ergo baptismi iteratione non opus esse ijs, qui postquam semel initiati sunt Christo, peccatis sese contaminauerunt? **P.** Non magis, quam iterata genitalium mutilatione Dauidi, post commissum adulterium, et homicidium.

D. Qua re igitur illis opus est? **P.** Nulla, nisi lotione pedum.

F 4. **D.** Quid pedum lotionem intelligis? **P.** Quia in vitae huius itinere, peregrinationeque salebrosa, et lutulenta offenderunt, et prolapsi sunt: quo emundentur, ad sanitatem, et frugem bonam reuersionem, et operum priorum praestationem.

D. Quae sunt illa opera? **P.** Eadem, quae et Dei: vt fidem nimirum ei habeant, quem misit ille, Jesu Christo. Nam si confitemur peccata nostra: ita ille fidelis est, et iustus, vt nobis veniam det peccatorum, nosque ab omni culpa expiet, inquit Apostolus.

D. Quid si quis enorme aliquod in se peccatum admiserit, idque ex constituto? **P.** Non est abbreuiata manus Domini, et quae nullis spacijs includitur, nullis finibus terminatur clementia: sed et misericordia Dei maior est omnium hominum delictis. Quare nullum tam atrox scelus, nefarium crimen, detestandum flagitium, adeoque ademtione regni coelestis puniendum facinus fieri potest: quod non benignitate dies Deus remittere queat propter Christum ex animo ad vitae correctionem dolenti.

47. Die Catechesis des Hiob Magdeburg von 1560.

Catechesis seu Capita doctrinae sacrae cum breui explicatione D. Lutheri, graece et latine. Hiobo Magdeburgensi interprete. Basileae per Joannem Oporinum. 1560.

Αἱ δέκα ἐντολαί.

Ἡ πρώτη. Οὐκ ἔσονταί σοι Θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ. — τουτέστι· Δεῖ πρὸ πάντων ἡμᾶς φοβεῖσθαι τὸν Θεόν, καὶ ἀγαπᾷν αὐτόν, καὶ αὐτῷ μόνον πιστεύειν.

Ἡ δευτέρα. Οὐ λήψῃ τὸ ὄνομα κυρίου, τοῦ Θεοῦ σοῦ ἐπὶ ματαίῳ. — τουτέστι· Δεῖ ἐν φόβῳ καὶ ἀγάπῃ τοῦ Θεοῦ, οὐ μόνον φεύγειν ἡμᾶς, τάς τε ἐν τῷ τοῦ Θεοῦ ὀνόματι γενομένας κατάρας, καὶ τὰς ἐπιορκίας, καὶ τὰς τῶν μαγειῶν κακοτεχνίας, καὶ πάντα τὰ ψεύδη καὶ ἀπάτας· ἀλλὰ καὶ ἐν ἅπασι κακοῖς τὸ Θεῖον ὄνομα διὰ προσευχῆς ἐπικαλέσασθαι, καὶ δοξάζειν, καὶ τούτῳ εὐχαριστεῖν.

Ἡ τρίτη. Μνήσθητι τὴν ἡμέραν τῶν Σαββάτων, ἁγιάζειν αὐτήν. — τουτέστι· Δεῖ ἐν φόβῳ καὶ ἀγάπῃ τοῦ Θεοῦ ἡμᾶς μὴ καταφρονεῖν κηρύγματος τοῦ Θείου λόγου· ἀλλὰ τοῦτο ὁσίως σέβεσθαι, ἀσμένως ἀκούειν, καὶ προθύμως μανθάνειν.

Ἡ τετάρτη. Τίμα τὸν πατέρα σοῦ, καὶ τὴν μητέρα σοῦ, ἵνα εὖ σοὶ γένηται, καὶ ἵνα μακροχρόνιος γένῃ ἐπὶ τῆς γῆς ἀγαθῆς, ἧς ὁ κύριος ὁ Θεός σοῦ δίδωσί σοι. — τουτέστι· Δεῖ ἐν φόβῳ καὶ ἀγάπῃ τοῦ Θεοῦ ἡμᾶς μήτε τοὺς γονεῖς, μήτε τοὺς δεσπότας ἡμῶν ὑπερφρονοῦντας ἀτιμάζειν, οὐδ' εἰς ὀργὴν αὐτοὺς καθιστάναι· ἀλλὰ κατ' ἀξίαν τιμᾷν, καὶ ὑπηρετεῖν αὐτοῖς, καὶ εὐπειθεῖς ἡμᾶς ἐν εὐσεβείᾳ καὶ φιλοστοργίᾳ αὐτοῖς παρέχειν.

Ἡ πέμπτη. Οὐ φονεύσας. — τουτέστι· Δεῖ ἐν φόβῳ καὶ ἀγάπῃ τοῦ Θεοῦ ἡμᾶς, μὴ βλάπτειν τὸ τοῦ πλησίου σῶμα, μηδὲ κακοποιεῖν·

Decem praecepta.

Primum. Non habebis Deos alienos coram me. — Hoc est: Timendus prae omnibus, et amandus Deus est, et in illum omnis collocanda fiducia.

Secundum. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. — Hoc est: Timendus et amandus Deus est, ne quem sub nomine eius execremur, ne iuremus, ne magorum artes exerceamus, ne mendaciis et fraude aliquem fallamus: sed in omnibus rebus adversis illud nomen ut invocemus, oremus, laudemus, illique agamus gratias.

Tertium. Memento ut diem Sabbati sanctifices. — Hoc est: Timendus et amandus Deus est, ne sacras conciones, et ipsius verbum negligamus: sed ut illud sancte veneremur, libenter audiamus et discamus.

Quartum. Honora patrem et matrem, ut bene tibi sit, et sis longaeuus in terra bona, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. — Hoc est: Timendus et amandus Deus est, ne parentes nostros et dominos despiciamus, neve ad iracundiam illos provocemus: sed ut in summo honore illos habeamus, illis serviamus et obsequamur, ita ut chari nobis sint, et in precio.

Quintum. Non occides. — Hoc est: Timendus et amandus Deus est, ne violemus corpus proximi, aut in ipsum iniuriosi

ἀλλὰ βοηθεῖν, καὶ ἐπαρκεῖν, καὶ παρίστασθαι αὐτῷ ὁπωσοῦν ἐν τῷ σώματι κινδυνεύοντι.

Ἡ ἕκτη. Οὐ μοιχεύσεις. — τουτέστι· Δεῖ ἐν φόβῳ καὶ ἀγάπῃ τοῦ Θεοῦ ἡμᾶς, ἐν λόγοις τε καὶ πράξεσι ἁγνῶς καὶ καθαρῶς τὸν βίον διάγειν, καὶ τὴν ἑαυτοῦ γαμετὴν φιλεῖν καὶ τιμᾶν ἕκαστον.

Ἡ ἑβδόμη. Οὐ κλέψεις. — τουτέστι· Δεῖ ἐν φόβῳ καὶ ἀγάπῃ τοῦ Θεοῦ ἡμᾶς, τὰ τοῦ πλησίου χρήματα μὴ ἀφελέσθαι, μηδὲ ταῦτα δόλῳ καὶ ἀπάταις νοσφίζεσθαι, ἀδικοῦντας ἐν ταῖς συναλλαγαῖς, μᾶλλον δὲ τὴν ὑπάρχουσαν αὐτοῦ οὐσίαν πλείω ποιεῖν καὶ φυλάττειν.

Ἡ ὀγδόη. Οὐ ψευδομαρτυρήσεις τὴν τοῦ πλησίου σοῦ μαρτυρίαν ψευδῆ. — τουτέστι· Δεῖ ἐν φόβῳ καὶ ἀγάπῃ τοῦ Θεοῦ ἡμᾶς τοῦ πλησίου μὴ καταψεύδεσθαι, μήτε κατηγορεῖν, καὶ καταλαλεῖν αὐτοῦ, μήτε γλώσσῃ φιλοψόγῳ διαβάλλειν· ἀλλὰ διαβληθέντος ὑπεραπολογεῖσθαι, ἀγαθὰ καὶ πρέποντα περὶ αὐτοῦ λέγειν, καὶ εἰς τὸ βέλτιον τρέπειν ἐξηγουμένους ἅπαντα.

Ἡ ἐννάτη. Οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν οἰκίαν τοῦ πλησίου σοῦ. — τουτέστι· Δεῖ ἐν φόβῳ καὶ ἀγάπῃ τοῦ Θεοῦ, τῇ οὐσίᾳ καὶ τῷ οἴκῳ τοῦ πλησίου μὴ ἐπιβουλεύειν ἡμᾶς· μηδὲ τῶν δικαίων προφάσει τινὶ ἰδιοποιεῖσθαι. ἀλλὰ προθυμουμένους τὰ χρήματα αὐτοῦ διαφυλάττειν.

Ἡ δεκάτη. Οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίου σοῦ, οὐδὲ τὸν ἀγρὸν αὐτοῦ, οὐδὲ τὸν παῖδα αὐτοῦ, οὐδὲ τὴν παιδίσκην αὐτοῦ, οὔτε τοῦ βοὸς αὐτοῦ, οὐδὲ τοῦ ὑποζυγίου αὐτοῦ, οὐδὲ ὅσα τοῦ πλησίου σοῦ ἐστί. — τουτέστι· Δεῖ ἐν φόβῳ καὶ ἀγάπῃ τοῦ Θεοῦ μὴ πρὸς ἡμᾶς ἐφέλκεσθαι, μήδ' ἀπαγαγεῖν ἀπὸ τοῦ πλησίου τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, οὐδὲ τὸ δουλικὸν καὶ ὑπηρετικόν, ἤ τι τῶν κτηνῶν αὐτοῦ· ἀλλὰ νουθετεῖν αὐτούς, ἵνα παραμένωσι, καὶ ποιῶσι τὰ δέοντα.

Περὶ τῶν ἐντολῶν τούτων ταῦτα λέγει ὁ κύριος ἐν τῇ τῆς ἐξόδου εἰκοστῷ. Ἐγώ εἰμι κύριος ὁ Θεός σου, Θεὸς ζηλωτής, ἀποδιδοὺς ἁμαρτίας τῶν πατέρων ἐπὶ τέκνα, ἐπὶ τρίτην καὶ τετάρτην γενεὰν τοῖς μισοῦσί με· καὶ ποιῶν ἔλεος εἰς χιλιάδας τοῖς ἀγαπῶσί με, καὶ τοῖς φυλάττουσι τὰ προστάγματά μου. — τουτέστι· ἀπειλεῖ ὁ Θεὸς καὶ ἐπικηρύττει ζημίαν ἅπασι τοῖς τὰ προστάγματα ταῦτα παραβαίνουσι. διόπερ δεῖ ἡμᾶς μὴ εἰς αὐτὰ ἁμαρτάνειν, τὴν ὀργὴν αὐτοῦ φοβουμένους. τοῖς δὲ πειθομένοις τὴν χάριν ἑαυτοῦ καὶ ἀγαθὰ πάντα ὑπισχνεῖται. τοὔνεκα δεῖ ἀγαπᾶν αὐτόν, καὶ ταῖς ἐντολαῖς ταύταις σπουδαίως ἐμμένειν.

Σύμβολον τῶν ἁγίων Ἀποστόλων. Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν παντοκράτορα, ποιητὴν τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς. — τουτέστι· πιστεύω, ἐκ τοῦ Θεοῦ τὴν γένεσιν ἐμὲ ἔχειν, σὺν ἅπαντι τῷ γιγνομένῳ, ὃς σῶμά μοι, καὶ τὴν ψυχήν, τοὺς ὀφθαλμούς, τὰ ὦτα, καὶ τὰ ἄλλα μέλη, αὐτόν τε τὸν λόγον, καὶ τὰς αἰσθήσεις πάσας ἔδωκε· καὶ νῦν ἔτι τηρεῖ, ἐπιμελούμενός μου τῶν ἐσθήτων, τῶν ὑποδημάτων, τῆς τροφῆς, καὶ τῆς οἰκίας. πρὸς δὲ τούτοις, τῆς γυναικός, σὺν τοῖς παισί, ἀγρῶν τε καὶ τῶν θρεμμάτων, καὶ πάντων τῶν ἐπιτηδείων πρόνοιαν ἔχων, ὅπως ἂν ταῦτα ἱκανῶς καθ' ἡμέραν ἑκάστην ὑπάρξῃ. διὰ δὲ τὴν θείαν καὶ πατρῴαν, ἣν πρός με ἀνάξιον ἔχει εὔνοιαν καὶ ἔλεος, ἀπαλλάττει μὲ τῶν κινδύνων, καὶ ἐκ κακῶν ἁπάντων σώζει ῥυόμενος. τούτου ἕνεκα τὴν χάριν αὐτῷ εὐποιοῦντι ὀφείλω, ἔτι δὲ ἔπαινον καὶ ὑπακοήν. ταῦτα ἀληθέστατά ἐστι. Καὶ εἰς Ἰησοῦν Χριστὸν υἱὸν αὐτοῦ μονογενῆ, κύριον ἡμῶν, συλληφθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου, τεχθέντα ἐκ μαρίας τῆς παρθένου. παθόντα ὑπὸ

simus. Sed ut opitulemur illi, et adsimus laboranti quavis corporis molestia.

Sextum. Non moechaberis. — Hoc est: Timendus et amandus Deus est, ut casti simus et modesti cum in sermone, tum in reliqua vita: et ut diligamus singuli coniuges, eosque colamus.

Septimum. Non furtum facies. — Hoc est: Timendus et amandus Deus est, ne proximi nostri peccuniam aut bona surripiamus, aut fucosis mercibus, aliisque actionibus fraudulentis nobis ea vendicemus. Sed ad augendas facultates eius, et conservandam rem familiarem, prompti simus.

Octavum. Non loqueris falsum testimonium contra proximum tuum. — Hoc est: Timendus et amandus Deus est, ne de proximo dicamus mendacium, aut iniuste illum deferamus, neve existimationem eius violemus lingua futili. Sed ut illum excusemus, bene de illo loquamur, et in meliorem partem interpretemur omnia.

Nonum. Non concupisces domum proximi tui. — Hoc est: Timendus et amandus Deus est, ne aedes et bona proximi dolo et fraude appetamus, neve iuris aliqua specie occupemus ipsi. Sed ad conservanda ea ut prompti et parati simus.

Decimum. Nec desiderabis uxorem eius, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quae illius sunt. — Hoc est: Timendus et amandus Deus est, ne ulla ratione abalienemus, et ad nos alliciamus uxorem proximi, servos aut quicquam ex ipsius familia: sed ut monendo eos retineamus in officio.

De his praeceptis omnibus, dicit Deus Exodi XX. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me: et faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, et custodiunt praecepta mea. — Hoc est: Minatur Deus poenas omnibus iis qui has leges perrumpunt. Itaque eius ira nobis metuenda est, ne ab iis discedamus. Gratiam vero suam et amplissima praemia proponit omnibus satisfacientibus. ob quam causam diligendus est, et in ipsum omnis collocanda fiducia, et libenti animo legi divinae parendum.

Symbolum Apostolorum. Credo in unum Deum, patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae. — Hoc est: Credo me cum tota rerum universitate a Deo creatum esse, qui corpus mihi et animam, oculos, aures, et reliqua membra, nec non rationem, sensusque omnes, et largitus est, et conservat. Vestibus mihi insuper et calciamentis, cibo et potu, aedibus, uxore et liberis, agris, pecoribus, et caeteris bonis, ad conservandam vitam necessariis, abunde cotidie prospicit. Proque sua paterna et divina benignitate atque misericordia, praeter meum meritum, indignum me in omnibus periculis protegit, et in adversis tuetur ac defendit. Ob quae beneficia et gratias illi debeo maximas, et celebrandus a me, summaque oboedientia colendus est. Haec certa et verissima sunt. — Et in Jesum Christum, filium eius unicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Passus sub

Ποντίου πιλάτου, σταυρωθέντα, θανόντα καὶ ταφέντα. κατελθόντα εἰς ἅδου, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν. ἀνελθόντα εἰς οὐρανούς, καθεζόμενον ἐν δεξιῶν τοῦ πατρός, ὅθεν ἐλεύσεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. — τουτέστι· Πιστεύω Ἰησοῦν Χριστὸν Θεὸν εἶναι ἀληθινόν, καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων αἰώνων. ἔτι δὲ τεχθέντα ἐκ μαρίας τῆς παρθένου ἄνθρωπον τέλειον, ὄντα κύριον τὸν ἐμόν, δι' ὃν ὁ ταλαίπωρος ἐγὼ καὶ κατακριθεὶς ἐσώθην. ὃς καὶ περὶ ἐμοῦ ἀγωνιζόμενος ἐνίκησε, καί με ἐλυτρώσατο ἀφ' ἁ[ρ]μαρτιῶν πασῶν, καὶ τοῦ θανάτου καὶ τῆς τοῦ διαβόλου δυνάμεως, οὔτε χρυσῷ, οὔτε ἀργυρίῳ, ἀλλὰ τὸ αἷμα αὐτοῦ τιμιώτατον ὑπέρ μου ἐκχύνων, παθών τε καὶ θανὼν ἀναίτιος, ἵνα καὶ αὐτὸς ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ ὤν, γένωμαι αὐτοῦ οἰκεῖος καὶ ὑπηρετήσω αὐτῷ δίκαιος καὶ ἄμωμος καὶ μακάριος ἐν τῇ αἰωνίῳ ζωῇ· ὥσπερ ἐκ τῶν νεκρῶν αὐτὸς ἀνέστη, ζῇ τε καὶ ἄρχει εἰς πάντας αἰῶνας. ταῦτα ἀληθέστατά ἐστι.

Πιστεύω εἰς πνεῦμα ἅγιον, ἁγίαν ἐκκλησίαν καθολικήν, ἁγίων κοινωνίαν, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, σαρκὸς ἀνάστασιν, καὶ ζωὴν αἰώνιον· ἀμήν. — τουτέστι· Πιστεύω τοῦ πνεύματος ἁγίου ἔργον εἶναι τὴν πίστιν μοῦ, καὶ τὴν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπίγνωσιν, ἔξω λογισμοῦ καὶ ἀνθρωπίνης δυνάμεως ἁπάσης. ὃ ἐκάλεσέ με διὰ τὸ τοῦ εὐαγγελίου κήρυγμα, καὶ τοῖς δώροις ἑαυτοῦ ἐφώτισεν, ἐν δὲ πίστει ἀληθινῇ ἡγίασέ τε καὶ διεφύλαξε. ὥσπερ κατὰ πᾶσαν τὴν γῆν τὴν ἐκκλησίαν καλεῖ τε καὶ συναθροίζει, φωτίζον αὐτὴν καὶ ἁγιάζον. ἐν δ' αὐτῇ τῇ ἐκκλησίᾳ ἅπασι τοῖς πιστεύουσι πάσας τὰς ἁμαρτίας καθεκάστην ἱκανῶς ἀφίησι, καί με ἐκ τῶν νεκρῶν ἡμέρᾳ τῇ ἐσχάτῃ ἐγείρων, δώσει ζωὴν αἰώνιον σὺν ἅπασι εἰς τὸν Χριστὸν πιστεύουσι. ταῦτα ἀληθέστατά ἐστι.

Προσευχὴ κυριακή. Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. — τουτέστι· τούτοις τοῖς ῥήμασι προσκαλεῖ ἡμᾶς ὁ Θεὸς, εἰς τὸ πιστεύειν πατέρα εἶναι αὐτὸν ἀληθινὸν, καὶ παῖδας αὐτοῦ ἡμᾶς γνησίους, ἵν' ὥσπερ παῖδες πατρὶ ἀγαθῷ, καὶ ἡμεῖς προσευχώμεθα αὐτῷ θαῤῥοῦντες, καὶ ἀγαθὴν ἐλπίδα ἔχοντες.

Ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου. — τουτέστι· τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ ἅγιον μὲν καθ' αὑτό ἐστι· αἰτούμεθα δὲ τὸν ἐν ἡμῖν ἁγιασμόν. ἁγιάζετε δὲ διὰ τὴν τοῦ θείου ῥήματος διδαχὴν καθαράν τε καὶ ὑγιῆ, καὶ διὰ τὸν βίον ὅσιον, πρέποντα ἡμῖν τοῖς τοῦ Θεοῦ υἱοῖς. Τοῦτο σὺ δὸς ἡμῖν, ὦ πάτερ οὐράνιε. ὅσις δὲ μήτε καθαρῶς διδάσκει, μήθ' ὁσίως τὸν βίον διάγει, δι' αὐτὸν τοῦτον τὸ θεῖον ὄνομα βεβηλοῦται. ἀλλὰ σύ, ὦ πάτερ οὐράνιε, τοῦτο τὸ κακὸν διακώλυσον.

Ἐλθέτω ἡ βασιλεία σοῦ. — τουτέστι· ἡ τοῦ Θεοῦ βασιλεία μηδ' αἰτουμένων ἡμῶν αὐτομάτως ἔρχεται· ἀλλ' ἱκετεύομεν, ἵνα καὶ πρὸς ἡμᾶς ἔρχηται. τοῦτο δὲ γίνεται, ὅταν τὴν τοῦ πνεύματος ἁγίου δωρεὰν ἡμῖν διδῷ ὁ πατὴρ οὐράνιος, καὶ αὐτοὶ διὰ τὴν χάριν αὐτοῦ τῷ ῥήματι αὐτοῦ ἁγίῳ πιστεύοντες, θεοφιλῆ καὶ τὸν ἐν τῷ παρόντι βίον, καὶ τὸν ἄλλον αἰώνιον διαβιῶμεν.

Γενηθήτω τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. — τουτέστι· ἡ τοῦ Θεοῦ εὐδοκία γίνεται μήτ' αἰτουμένων ἡμῶν· ἀλλ' ὅμως δεόμεθα, καὶ ἐν ἡμῖν γενέσθαι αὐτήν. τοῦτο δὲ γίνεται, ὅταν ἀπείργῃ ὁ Θεός, καὶ ἀκυροῖ πᾶσαν κοβουλίαν καὶ θέλημα κωλύον ἁγιάζειν τὸ θεῖον ὄνομα, καὶ ἐλθεῖν τὴν βασιλείαν αὐτοῦ οἷά πέρ ἐστι τὸ τοῦ διαβόλου θέλημα καὶ τοῦ κόσμου, καὶ τῆς σαρκὸς τῆς ἡμετέρας. ἀλλ' αὐτὸς στηρίζει ἡμᾶς,

Pontio Pilato, crucifixus, mortuus [est] et sepultus: descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis: ascendit ad coelos, sedet ad dextram Dei patris omnipotentis: inde venturus est iudicare vivos et mortuos. — Hoc est: Credo Jesum Christum verum esse Deum, et a patre ab aeterno genitum: verum item ex Maria virgine hominem natum, eundemque Dominum meum, qui me hominem perditum, et sempiternae poenae ac morti addictum, a peccatis, a morte, a potestate diaboli, non auro vel argento, sed sacrosancto et precioso suo sanguine profuso, passionis suae ac mortis innocentia redemit, sibique recuperavit, ut ipsius iam totus factus, sub ipso vivam et vere iustus ac innocens in aeterna beatitudine perpetuo ipsi serviam. Sicut ipse mortuus revixit, et in omni aeternitate vivit et regnat. Haec certa et verissima sunt.

Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam aeternam: Amen. — Hoc est: Credo fidem et agnitionem Christi nec rationis meae, nec humanae alicuius in me virtutis, sed sancti Spiritus esse opus. Per quem Evangelii voce vocatus, et cuius gratia illuminatus, veraque fide sanctus et conservatus sum: ut et per totum terrarum orbem Christi ecclesiam vocat, colligit, illuminat, et in vera fide conservat. In qua mihi cum omnibus in Christum credentibus delicta omnia benigne ignoscit cotidie: et die extrema a mortuis credentes nos excitabit, ut aeternae vitae cum Christo faciat participes. Haec certa et verissima sunt.

Oratio Dominica. Pater noster, qui es in coelis. — Hoc est: Vult nos his verbis in initio ad credendum allicere Deus, et se patrem verum, et nos veros eius esse filios: ut omni timore abiecto, plena ipsum fiducia invocemus, non aliter quam filioli dilecti parentem suum charissimum.

Sanctificetur nomen tuum. — Hoc est: Oramus, ut nomen Dei, quod per se sanctum est, a nobis quoque sancte et religiose colatur. Quod tum fit, quum sacrarum literarum doctrina pure et sincere traditur, et nos convenienter verbo Dei, ut filios Dei decet, pie et sancte vitam agimus. Quod tu nobis largire, o coelestis pater. At qui aliter vel docet, vel vivit, is nomen Dei inter nos profanum facit. A quo scelere tu fac, aeterne pater, ut procul abesse possimus.

Adveniat regnum tuum. — Hoc est: Regnum Dei etiam ultro advenit nobis non orantibus: verum oramus, ut ad nos veniat. Fit id autem, quum Spiritum suum sanctum nobis largitur coelestis pater, cuius gratia illuminati credamus doctrinae sanctae, et pie cum in hac tum in altera aeterna vita vivamus.

Fiat voluntas tua, quemadmodum in coelo, sic etiam in terra. — Hoc est: Bona et propensa Dei propitii voluntas fit, etiamsi nos non oremus: petimus tamen, ut a nobis quoque fiat. Tum autem fit, quum consiliorum omnium et voluntatis pravae conatus infringit Deus, et comprimit, quibus profanum fit nomen eius sacrosanctum, et ipsius regnum exterminatur. Cuius modi sunt, voluntas diaboli, mundi et carnis nostrae. Contra quos ipse nos corroborat, et ad extremum usque vitae spiritum

καὶ μέχρι τῆς τοῦ βίου τελευτῆς τῷ λόγῳ αὐτοῦ πιστεύοντας διαφυλάττει. αὕτη ἡ τοῦ Θεοῦ εὐδοκία ἐστί.

Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον. — τουτέστι· ἄρτον τὸν ἐπιούσιον ὁ Θεὸς δίδωσι καὶ τοῖς κακοῖς ἅπασιν, ἄνευ τῆς δεήσεως ἡμετέρας. αἰτούμεθα δὲ ἡμᾶς ἐπιγνῶναι, καὶ μετ' εὐχαριστίας λαβεῖν τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον. πάντα τὰ δὲ τὰ ἐπιτήδεια καὶ πρὸς τοῦτον τὸν βίον ἁρμόδια, ἄρτος ἐστὶ ὁ ἐπιούσιος, δηλονότι ὁ σῖτος καὶ πόθος, τὰ ὑποδήματα καὶ οἰκήματα, οἱ ἀγροί, αἱ ἀ[γ]γέλαι σὺν τοῖς ἄλλοις κτήμασι. πρὸς δὲ τούτοις ἡ γυνὴ ἀγαθή, οἱ παῖδες εὐπειθεῖς, οἱ δοῦλοι ὑπήκοοι, οἱ ἄρχοντες ὅσιοι καὶ δίκαιοι, ἡ ἀρχὴ μὴ χαλεπή, ἡ εὐημερία, ἡ εἰρήνη, ἡ ὑγιεία, ἡ παίδων ἀγωγή, ἡ δόξα καλή, οἱ φίλοι ἐσθλοί, οἱ γείτονες πιστοί, καὶ τὰ ὅμοια.

Καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν. — τουτέστι· αἰτούμεθα, ἵνα μὴ παρακούσηται ὁ πατὴρ οὐράνιος περὶ ὧν δεόμεθα, ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν ὀργιζόμενος· οὔτε γὰρ ἄξιοι τούτων ἐσμέν, οὔτε ὡς μισθὸν ἀπαιτούμεθα. ἀλλ' ὅπως διδῷ κατὰ τὸ ἔλεος αὐτοῦ ἡμῖν τοῖς καθεκάστην πολλάκις ἁμαρτάνουσι, καὶ ἐν ταῖς αἰτίαις μεγίσταις οὖσι. παρ' ἡμῶν δ' ἦν καὶ τοὺς ἄλλους ἀνυποκρίτως τῆς ἀφέσεως τεύξεσθαι εἰκός, καὶ σπουδάσαι ἡμᾶς προθύμως εὐεργετεῖν τοὺς καὶ εἰς ἡμᾶς ἐξαμαρτάνοντας.

Καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν. — τουτέστι· ὁ Θεὸς μὲν οὐδενὶ τοῦ πειρασμοῦ αἴτιος γίνεται· δεόμεθα δὲ αὐτοῦ διαφυλάττειν ἡμᾶς, καὶ τηρεῖν, ἵνα μὴ ἐξαπατῶσιν ἡμᾶς ὁ διάβολος καὶ ὁ κόσμος καὶ ἡ σὰρξ ἡμετέρα, καταστήσαντα εἰς τὴν ἀπιστίαν, καὶ ἐλπίδος ἀγαθῆς στερήσαντα, καὶ αἴσχους τινὸς ἢ κακίας αἴτιοι ἡμῖν γενόμενα. ἢν δέ ποτε πειρασθῶμεν ὑπ' αὐτῶν, ὡς ἐν μάχῃ ἀριστεύοντες, τῆς νίκης ἐγκρατεῖς γενώμεθα.

Ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. — τουτέστι· ἐνταῦθα συλλήβδην δεόμεθα τοῦ πατρός, οὐρανίου ῥύσασθαι ἡμᾶς ἀπὸ πάντων τῆς τε ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος κακῶν, ἅμα καὶ τῶν κτημάτων, καὶ τῆς δόξης. καὶ ἵνα ἐν τῇ τοῦ βίου τελευτῇ διδῷ ὁσίως ἀποθνήσκειν, ἵλεώς τε ἐκ τῶν δεινῶν καὶ τῆς ταλαιπωρείας τοῦ ἀνθρωπίνου βίου πρὸς ἑαυτὸν εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναλάβῃ.

Ἀμήν. ταύτῃ τῇ λέξει βεβαιῶμεν τὴν πεποίθησιν τοῖ τῷ οὐρανίῳ πατρὶ εὐαρέστους εἶναι, καὶ οἵας ἐξακουσθῆναι ταύτας τὰς εὐχάς. αὐτὸς δὲ οὕτως ἡμᾶς προσεύχεσθαι ἐκέλευσε, καὶ αὐτὸν προσδέξεσθαι τὴν δέησιν ἡμῶν ὑπέσχετο. ἀμὴν, ἀμὴν τουτέστι, ναί, ναί, καὶ οὕτως γένοιτο.

Περὶ Βαπτίσματος. Οὐ μόνον ὕδωρ ἐστὶ τὸ βάπτισμα, ἀλλὰ ὕδωρ τὴν τοῦ Θεοῦ ἐντολὴν ἔχων. οὕτως γὰρ λέγει ὁ Χριστὸς ἐν τῷ τοῦ Ματθαίου ἐσχάτῳ· Πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρός, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Τὸ δὲ ὄφελος καὶ ὁ καρπὸς ὃν ἅπασι τοῖς πιστεύουσι πορίζει τὸ βάπτισμά ἐστι, ἡ τῶν ἁμαρτιῶν ἄφεσις, καὶ ἡ ἀπὸ τοῦ θανάτου καὶ τοῦ διαβόλου ἀπολύτρωσις, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος, ὥσπερ ἐπαγγελία καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ ῥήματα ἐν τῷ τοῦ μάρκου ἐσχάτῳ λέγουσιν· ὁ πιστεύσας καὶ ὁ βαπτισθεὶς σωθήσεται, ὁ δὲ ἀπιστήσας κατακριθήσεται. — ἐστὶ δὲ τοσαύτη δύναμις οὐχ ὕδατος, ἀλλὰ τοῦ Θείου ῥήματος, ὃ σὺν τῷ ὕδατί ἐστι, καὶ τῆς πίστεως τῆς πειθομένης τῷ Θεοῦ ῥήματι· ἄνευ γὰρ τοῦ Θείου ῥήματος τὸ ὕδωρ μόνον ὕδωρ ἐστί, καὶ μὴ βάπτισμα. σὺν δὲ τῷ

verbo et fide firmos et constantes conservat. Haec bona et propensa Dei propitii voluntas est.

Panem nostrum cotidianum da nobis hodie. — Hoc est: Panem cotidianum largitur Deus nec orantibus nobis, etiam improbis. verum oramus, ut eius beneficium agnoscamus, eoque cum gratiarum actione fruamur. Panem autem cotidianum vocamus, omne id quod ad alendum est sustentandum corpus necessarium est: ut sunt, cibus, potus, vestes, calcei, aedes, agri, pecora, cum reliquis bonis et facultatibus. Itemque uxor bona, liberi oboedientes, servique fideles. Tum pii et suorum amantes domini, imperia salutaria, bonae et serenae tempestates, pax, sanitas, disciplina, existimatio bona, amici boni, et vicini fideles et id genus alia.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. — Hoc est: Oramus, ne pater coelestis delictis nostris offensus, has preces nostras repudiet: qui nec his digni sumus, nec merita petimus. Sed quum cotidie multum peccemus, et poenas tantum mereamur, ut pro benignitate sua nobis haec largiatur. Vicissim autem nos ex animo delicta aliis condonabimus, et benigne illis faciemus.

Et ne nos inducas in tentationem. — Hoc est: Non tentat quidem quenquam nostrum Deus: verum oramus, ut contra diaboli, carnis nostrae et mundi fallacias atque corruptelas ipse nos tueatur, et conservet, ne amissa in ipsum fiducia aut desperemus, aut in magnam aliquam turpitudinem et flagitium prolabamur: et si quando ab iis impugnemur, ut vincamus, reportemusque victoriam.

Sed libera nos a malo. — Hoc est: His verbis summatim petimus, ut ab incommodis omnibus tum corporis et animae, tum fortunarum et famae, nos Deus liberet: faciatque, ut animam agentes, mortem pie obeamus, et ipsius gratia adiuti ex hac miserrima hominum vita ad coelos demigremus.

Amen. Monet nos hoc verbum, gratas Deo, et exauditas esse preces nostras certissime. Petimus enim, iussi ab eo, qui se nos exauditurum promisit. Amen, amen: quod est, Etiam, etiam et ita fiet.

De Sacramento Baptismi. Baptismus non aqua sola est, sed cum verbo et mandato Dei coniuncta aqua, et connexa. Ita enim apud Matthaeum capite ultimo Christus inquit: Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Fructus autem baptismi est, delictorum venia, liberatio a morte et diabolo, et aeterna beatitudo. quem fructum credentes omnes percipiunt, ut verbum Dei promittit: Qui crediderit (inquit apud Marcum extremo capite Christus) et baptizatus est, salvus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur. Tanta igitur vis non aquae est, sed verbi Dei cum aqua coniuncti: et fidei, quae adhibetur verbo, quod cum aqua est. Neque enim sine verbo Dei aqua Baptismus, sed sola aqua est. At verbum Dei facit, ut sit Baptismus: hoc est, aqua, in qua vita et gratia Dei

ῥήματι τοῦ Θεοῦ, βάπτισμά ἐστι· τουτέστι, τὸ τῆς ζωῆς ὕδωρ, τῆς θείας χάριτος μεστόν, καὶ λουτρὸν τῆς παλιγγενεσίας ἐν τῷ ἁγίῳ πνεύματι, ὥσπερ πρὸς τὸν τίτον λέγει ὁ ἀγαθὸς Παῦλος· οὐκ ἐξ ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνῃ, ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, ἀλλὰ κατὰ τὸν αὐτοῦ ἔλεον ἔσωσεν ἡμᾶς, διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίης, καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου, οὗ ἐξέχεεν ἐφ' ἡμᾶς πλωσίως διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ σωτῆρος ἡμῶν, ἵνα δικαιωθέντες τῇ ἐκείνου χάριτι, κληρονόμοι γενώμεθα κατ' ἐλπίδα ζωῆς αἰωνίου. πιστὸς ὁ λόγος. — Σημαίνει δὲ τὸ βαπτίζειν, δεῖν ἐν ἡμῖν τὴν τοῦ παλαιοῦ ἀνθρώπου φύσιν διεφθαρμένην σὺν ταῖς ἁμαρτίαις, καὶ ἁπάσαις ταῖς ἐπιθυμίαις ὑπὸ τῆς μετανοίας καὶ ἐγκρατείας βυθίζεσθαι καὶ νεκροῦσθαι. πάλιν δὲ τὸν νέον ἄνθρωπον ἐγερθῆναι καθ' ἑκάστην, ὃς δίον τε καὶ καθαρὸν ἐνώπιον τοῦ τὸν Θεοῦ βίον εἰς τὰς αἰῶνας διάγῃ, ὥσπερ πρὸς τοὺς ῥωμαίους ἐν τῷ ἕκτῳ λέγει ὁ ἅγιος παῦλος. — Συνετάφημεν οὖν αὐτῷ διὰ τοῦ βαπτίσματος εἰς τὸν θάνατον, ἵνα ὥσπερ ἐγέρθῃ ὁ χριστὸς ἐκ νεκρῶν διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρός, οὕτω καὶ ἡμεῖς ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν.

Περὶ δείπνου κυριακοῦ. Τὸ δεῖπνον τὸ κυριακὸν ἀτρεκῶς καὶ τῷ ὄντι τὸ σῶμά ἐστι καὶ τὸ αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν, ἐν τῷ ἄρτῳ καὶ τῷ οἴνῳ ὑπὸ αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ διαταχθέν· ἵνα ἡμεῖς χριστιανοὶ ὄντες φάγωμεν καὶ πίνωμεν. καὶ οὕτως γράφουσιν οἱ ἅγιοι εὐαγγελισταί, ὁ ματθαῖος, ὁ μάρκος, ὁ λουκᾶς, καὶ ὁ ἅγιος παῦλος· Ὁ κύριος Ἰησοῦς ἐν τῇ νυκτί, ᾗ παρεδίδοτο, ἔλαβεν ἄρτον, καὶ εὐχαριστήσας, ἔκλασε, καὶ ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ λέγων· λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον. τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. ὡσαύτως μετὰ τὸ δειπνῆσαι λαβὼν τὸ ποτήριον, καὶ εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς, λέγων· λάβετε καὶ πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες. τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστί, ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. τοῦτο ποιεῖτε, ὁσάκις ἂν πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. — τὸ δὲ φαγεῖν καὶ πίνειν τίνα ὠφέλειαν παρέχεται, φανερόν ἐστιν ἐκ τούτων τῶν ῥημάτων· ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον καὶ ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. ὅτι δηλονότι ἐν τῷδε τῷ δείπνῳ τοῖς ῥήμασι τούτοις τῶν ἁμαρτιῶν ἄφεσις, σὺν τῇ τῆς ζωῆς αἰωνίου μακαρίᾳ λήξει ἡμῖν δίδοται. τῇ γὰρ τῶν ἁμαρτιῶν ἀφέσει ἡ ζωὴ καὶ τὸ μακάριον ἕπεται. — τῶν δὲ τούτων ἀγαθῶν τυγχάνομεν οὐκ ἀπὸ τοῦ φαγεῖν καὶ πίνειν, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ῥημάτων, ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, καὶ ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, κεφάλαιον ὄντων τοῦ δείπνου ἐν τῷ φαγεῖν καὶ πίνειν. καὶ ὁ πιστεύων τούτοις, τυγχάνει, ὥσπερ λέγουσι, τῆς τῶν ἁμαρτιῶν ἀφέσεως. — νηστεύοντες δή, καὶ ἄλλῃ τινὶ προπαρασκευῇ χρώμενοι, σωφρόνως οἱ μὲν ποιοῦσι. ὁ πιστευθεὶς δὲ ἐκ τῶν ῥημάτων τούτων, ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, καὶ ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, μόνος ἄξιός ἐστι, καὶ καλῶς παρασκευασμένος. ὁ δὲ ἄπιστος ὢν ἀνάξιος, καὶ οὐ καλῶς παρασκευασμένος, ὅτι τὸ ῥῆμα, ὑπὲρ ὑμῶν, τὴν πίστιν ἀπαιτεῖ ἁπάντων.

ΤΕΛΟΣ.

redundans est: et lavatio, qua Spiritu sancto renascimur. ut Divus Paulus ad Titum tertio capite: Per lavacrum, inquit, regnerationis, et renovationis Spiritus sancti nos salvos fecit, quem effudit in nos opulenter per Jesum Christum salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius haeredes simus secundum spem vitae aeternae. Certus sermo est. —

Admonemur autem, dum immergimur, oportere naturae nostrae veteris et corruptae concupiscentias et peccata poenitendo submergimus cotidie atque exstingui, et prodire nos homines novos, et reviviscere, ut iusti et mundi coram Deo perpetuo vivamus. Idque significari baptismo, Divus Paulus docet ad Rom. 6. — Consepulti enim sumus cum illo, per baptismum in mortem: ut quemadmodum Christus surrexit a mortuis per gloriam patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.

De Coena Domini. Sacramentum altaris sub pane et vino, verum corpus et sanguis est Domini nostri Jesu Christi, ab ipso institutum ut edamus et bibamus nos, qui nomen eius profitemur. Ita enim Evangelistae, S. Matthaeus, S. Marcus, S. Lucas, et D. Paulus testantur: Dominus noster Jesus Christus, in ea nocte qua traditus est, accepit panem, et postquam gratias egisset, fregit ac dedit discipulis suis, dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in mei commemorationem. Similiter et postquam coenavit, accepto calice, cum gratias egisset, dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. hic calix novum testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite, quotiescunque biberitis in mei commemorationem. — Huius Sacramenti fructum haec verba ostendunt: Pro vobis traditur, et effunditur in remissionem peccatorum. Quae delictorum veniam, vitam et beatitudinem nobis pollicentur. Vita enim et beatitudo cum delictorum venia colligata sunt artissime. — Tanta autem bona contingunt nobis, non quod edamus aut bibamus: sed quod his ipsis verbis, Pro vobis traditur et effunditur in remissionem peccatorum, quae sunt huius Sacramenti caput, dum manducamus et bibimus, fidem adhibemus, quae ipsa, ut verba promittunt, delictorum veniam adipiscitur. — Qui ieiunia aliasque exteriores praeparationes adhibent, faciunt ii quidem disciplinae opus. sed dignus is solus est tanto munere, qui verbis his credit: Pro vobis traditur et effunditur in remissionem peccatorum. At qui dubius est, nec iis credit: is nec dignus, nec bene instructus est: propterea quod haec verba, Pro vobis, ardentem cordis fidem requirant.

FINIS.

48. Luthers Katechismus ausgelegt von M. Dresser, 1581.

Catechismus paruus D. Martini Lutheri cum scholiis et nonnullis textibus biblicis de festis anni, Item precationibus scholasticis Matthaei Dresseri. Ex ludo inclyto Misnae. . . . Anno M. D. LXXXI.

a 2. Amplissimis Viris, uirtute et prudentia praestantibus, Consulibus et Senatoribus Reipub. quae est Dresdae, Dominis et amicis suis officiose colendis, S. P. D. Matthaeus Dresserus.

MAGNA, ME puero, opinio fuit, et est fortasse multorum etiam nunc, Catechismum MARTINI LVTERI ad paruulos solum pueros, qui literas in scholis discunt, pertinere, adolescentibus vero alium vberioris doctrinae Catecheticae librum esse proponendum. Hinc adeo factum est, vt complures et quidem diuersi exierint, atque in scholas emanarint libelli explicationem partium Catechismi continentes. Etsi autem horum ego iudicium non improbo, neque vllius studium augendae atque ornandae doctrinae Catecheticae reprehendo: tamen, quod pace mihi liceat dicere, hoc effici inde videtur, vt non solum de manibus excutiatur adolescentibus Catechismus LVTERI, sed
a 3. distrahantur etiam diuersitate explicationis discentium animi. Quamobrem graui sane et sapienti consilio Saxoniae Princeps, AVGVSTVS, Imperij Romani Septemuir edicto sanxit, ne alius in hisce ludis Illustribus Catechismus, quam MARTINI LVTHERI vsurpetur, aut a discentibus exigatur. Cuius quidem edicti caussam quamuis mihi subdito inquirere minus liceat: Eo tamen prodesse intelligo, vt forma vna et certa in scholis retineatur, velut *ὑποτύπωσις τῶν ὑγιαινόντων λόγων*, quod S. Paulus fieri iubet.

Opinio saltem eorum minuenda mihi esse videtur, qui Catechismum Luteri sic extenuant, vt adolescentes eo contentos esse non posse existiment, sed vberiore et accuratiore scripto Catechetico illis opus esse censeant. Non enim quia paruus is est liber, et breuiter summatimque religionis nostrae capita persequitur, iccirco longiore in hoc genere scripto opus est. Suntque duae huius meae sententiae rationes, vt mihi quidem videtur, non reprehendendae. Primum enim Catechismi hoc est proprium, vt quae copiosissime dici possunt, ea breuiter strictimque exponat. Quod nisi
a 4. faciat, ipso splendore et copia orationis extra Catecheticae doctrinae modum prodit, nomenque suum sustinere non potest. Haec res adeo mouit D. Luterum, vt dedita opera prolixitatem vitaret, et admirabili breuitate res longe lateque diffusas complecteretur. Ac uere si iudicare volumus, hoc munus est eloquentiae maximum, pro re nata posse orationem contrahere atque astringere. Ex quo Luterum ipsum accepi in quadam ad Wolffgangum Capitonem epistola, quasi gratulantem sibi scripsisse, nihil sibi suorum scriptorum tam placere, quam Catechismum, et recte quidem. Nam in hoc incredibili luce et breuitate orationis tota biblia comprehendit. Deinde non minus in Luteri Catechismo traduntur rerum definitiones, diuisiones, causae effectus, pugnantia, quam in aliorum prolixioribus libris, si quis ea scite satis et literate possit elicere. Et haec ipsa quidem sic pertractat Luterus, vt identidem ad fontes digitum intendat, et ex vi sensuque verborum doctrinam siue interpretationem omnem erudat.

a 5. Quod cum ita sit: relinquitur sane, alio libello Catechetico scholis nostris opus non esse, praeter hunc LVTERI Catechismum: cum eiusmodi prorsus sit, vt adultiori-

bus etiam cum commodo praelegi possit, et si penitus inspiciatur, omnia etiam quae ad hoc genus doctrinae pertinent, in eo inueniantur.

Hoc ego cum interpretatione Catechismi D. LVTERI mihi propositum haberem, atque spectarem: tantum me consecutum esse arbitror, vt verborum et rerum momenta atque pondera in eo cognoscere atque intelligere discipuli mei coeperint, nec catecheticum librum alium desiderent. Quid enim impedit, quo minus talibus fundamentis iactis, mox vel locorum communium, vel contextuum Bibliorum enarratio suscipi, ac percipi etiam ac discentibus commode possit?

Accommodare autem conatus sum interpretationem meam ad ipsum autorem, qui vt in exponendo, de industria breuis fuit, sic me quoque perstringere breuiter atque attingere in interpretando necessaria oportere existimaui. Vberiorem vero explicationem ad capita doctrinae Christianae, quae post Catechismum adultioribus discipulis tradere a 6. coepi, reseruo.

Factum est autem studio quodam simplici, nec a pietate abhorrenti, vt hasce meas in Catechismum D. Luteri commentationes pueriles ad collegium, senatumque theologicum in Academia Vuitebergensi mitterem: vt si forte probaretur haec expositionis meae forma, typis describeretur, quo vsui esse discipulis meis magis posset. Laboriosum est enim toties eadem dictare discentibus: perniciosius vero multo commutatis verbis, aut variatis sententijs efferre atque inculcare. Hic cum honeste liberaliterque de hisce dictatis meis iudicaret consilium theologicum eaque ad editionem officinae non grauatim apparerent, in publicum hasce meas lucubrationes prodire passus sum.

Cumque ad vos etiam spectatissimi viri, Consules atque Senatores Reipub. Dresdensis, ex parte aliqua, doctrina, quae in hoc Illustri ludo traditur, pertineat, propterea quod filios vestros, Illustriss. Princip. Elect. Saxo. concessu, frequentes huc a 7. mittitis: non alienum vel a vestra amplitudine, vel etiam a professione mea esse putaui, si interpretationem talem Catechismi LVTERI vobiscum communicarem. Idque eo primum, vt nomine atque consensu vestro, tanquam patrocinio atque ornamento commentarioli mei vtar: Tum vt doctrinae Catecheticae, quam percipiunt in hoc ludo filij vestri, exemplum expressum vobis exhibeam, ex quo iudicare de tota doctrinae artium ac literarum forma, quae beneficio ac munere DEI in hac schola sonat, possitis. Vtinam vero probari vobis ex omni parte cum doctrinam ipsam, tum etiam hoc appellandi vos consilium meum, cognoscam. Nihil erit, mihi credite, quod reportare me posse putem amplius aut iucundius. Valete. Ex ludo VII virali, Misenae. 4. Idus Julij. Anno 1581.

Expositio Catechismi D. Lutheri. C 4.

Qu. Quid significat Catechismus, vel Catechesis? Resp. SIGNIFICAT doctrinam viua voce traditam: quod sit cum docens interrogat, et discens respondet, et audita repetit, a verbo *κατηχέω*, quod est, voce erudio. Inde est *κατηχητής*, qui nouitios in fide christiana erudit. Et *κατηχούμενος* discipulus doctrinae christianae. Item verbale nomen *κατήχησις* vel Catechismus, latine puerilis institutio, Eine Kinderlehr oder mündliche vnterrichtung der einfeltigen in der Christlichen Lehr. Vt cum Praeceptor vel Parens tradit et inculcat discipulis vel liberis suis decem praecepta Dei, Symbolum, Orationem Dominicam, vel verba institutionis Baptismi, vel Coenae sanctae: ea doctrina est Catechesis,

vel Catechismus: quia est institutio puerilis, vel colloquium docentis et discentis.

Qu. Quid est Catechismus? Resp. Catechismus est doctrina, siue institutio rudiorum in religione Christiana, quae fit viua voce.

Qu. Quis est vsus Catechismi Lutheri? Resp. I. Catechismus Lutheri est epitome totius doctrinae Christianae, parua quidem numero verborum, sed magna pondere rerum siue doctrinae. II. Est regula fidei, et iudicij de omnibus partibus doctrinae Christianae, et de controuersijs Ecclesiae. Quicquid enim cum Catechismo congruit, id verum est, et amplectendum: Quod vero a doctrina Catechismi discrepat aut dissentit, id falsum est et reijcendum.

Exemplum. ANtinomi die Gesetzstürmer contendunt legem in Ecclesia non esse docendam. Haec est doctrina impia et falsa. Nam in prima parte Catechismi de Decalogo praecipitur, et flagitatur ab omnibus hominibus obedientia erga legem DEI. Ex quo sic argumentatur
C 5. Christianus: Doctrina de obedientia erga DEVM, et vero cultu DEI, dilectioneque proximi, est necessaria in Ecclesia. Lex est talis doctrina. Igitur lex est necessaria in Ecclesia. II. Pontificij calumniantur doctrinam Ecclesia reformatae, quasi bona opera reijciat aut prohibeat: cum nos sola fide in Christum iustificari affirmat. Verum Catechismus diserte hanc calumniam refutat, qui in principio statim bona opera iuxta Decalogum exponit et vrget. III. Religio Turcica confitetur quidem vnum Deum: sed negat tres personas diuinitatis. Hoc falsum est: quia Catechismus noster recitat tres articulos fidei nostrae, in quibus confitemur DEVM patrem, filium, et Spiritum sanctum. IIII. Papistae docent neminem oportere absque vlla omnino dubitatione apud semet-ipsum statuere se esse iustificatum: vt habent decreta concilij Tridentini. Sed hoc impium est, quia tertius articulus fidei in Catechismo diserte ait: Credo remissionem peccatorum: et addit: Hoc certissime verum est. V. Nonnulli naturalibus viribus humanae voluntatis tribuunt vim seu facultatem applicandi i. e. praeparandi se ad gratiam DEI. Sed Catechismus noster in tertio articulo fidei ex S. Scripturis negat simpliciter, nos proprijs rationis nostrae viribus ad Christum accedere posse, aut illi credere: Sed a Spiritu sancto illuminari, per Euangelium vocari etc. VI. Anabaptistae negant infantes esse baptisandos. At Catechismus noster docet omnes gentes esse baptisandas. Infantes sunt gentes. Ergo sunt baptisandi. Alioqui haeredes regni coelorum fieri non possunt. VII. Sacramentarij negant in coena sancta nos ore percipere corpus et sanguinem Christi. Sed Catechismus noster docet, nos in coena sacra manducare corpus Christi, et bibere sanguinem eius, secundum expressa verba testamenti Christi.

C 6. De ordine Partium Catechismi. PRimo loco Decalogus ponitur, quia legem DEI ante omnia nosse oportet, vt quae opera DEVS a nobis requirat, sciamus, Deut. 6. Erunt verba legis tibi in corde tuo, et acues ea — semper et vbique. Acues, id est, inculcabis, seuere exiges. II. Symbolum siue fides Christiana. Quia enim legi DEI non obedimus, vt quidem debemus: fide ad Christum mediatorem confugere nos oportet: vt per ipsius mortem et meritum remissionem peccatorum, salutem et vitam consequamur. III. Oratio dominica, vt quae, et quo-

modo petenda sint, sciamus. IIII. Accedit Sacramentum Baptismi, vt quo pacto, et cur baptisati simus cognoscamus. V. Additur Sacramentum coenae, cuius vsum praecedit confessio peccatorum, et absolutio, vt habeamus certum pignus, vel sigillum gratiae DEI, iustitiae et vitae aeternae.

De Prima Parte seu Capite Catechismi, Decalogo.

DEcalogus est sermo siue oratio, decem mandatorum siue praeceptorum DEI.

Qu. Vnde sumpta est appellatio Decalogi? Resp. Ex 10. capite Deuteronomij, vbi haec praecepta DEI vocantur decem verba. Nominatur etiam lex DEI moralis, quia docet, et praecipit de moribus et vita, explanans quae opera DEVS a nobis postulet, et quae prohibeat.

REGVLA. In negatiuo praecepto semper inclusum est affirmatiuum. Ergo in quolibet praecepto duplex sententia continetur, negatiua et affirmatiua. Negatiua quidem prohibet ea opera, quae vitare vel omittere debemus. Affirmatiua vero praecipit ea opera, quae DEVS a nobis vult fieri. Vt primum praeceptum est propositio seu sententia negatiua quidem, dum prohibet Idolatriam: sed inclusa est simul etiam affirmatiua, quae C 7. requirit veram agnitionem DEI, timorem, et fidem.

Diuisio Decalogi. DEcalogus diuiditur in duas tabulas primam et secundam: Idque eo fit, quod DEVS ipse Decalogum in duabus lapideis tabulis conscripsit, et Moysi tradidit. Exodi 31. Prima tabula complectitur tria praecepta, 1. 2. et 3: praecipitque verum DEI cultum. Secunda tabula comprehendit septem sequentia praecepta, sancitque cultum proximi, hoc est, praescribit officia seu opera, quae erga proximum exercere oportet.

Analysis siue Explicatio Primi praecepti. Non habebis Deos alienos etc. Hoc praeceptum prohibet habere Deos alienos. Ergo econtrario iubet habere vnum verum DEVM.

Qu. Cur nominat hoc Praeceptum DEOS: cum tantum vnus sit DEVS? Resp. Quia DEVS est ὁμώνυμον, id est, vox plura significans. Cuicunque enim rei penitus confidit homo, eam pro DEO habet. Cuiusmodi sunt opes, potentia, robur, et Idola omnia. Qui igitur vni horum confidit, DEVM ex eo facit.

Habere Deos alienos, est confidere siue spem suam collocare in eas res, quae non sunt DEVS, vt, opes non sunt DEVS: quicunque igitur confidit opibus, is habet alienum DEVM, id est, colit id loco Dei, quod DEVS non est. Daniel. 12. Philip. 3. Habere verum DEVM, est agnoscere, colereque vnum illum DEVM conditorem et conseruatorem rerum omnium, et ab eo solo pendere, opemque et salutem ab illo petere et expectare Deut. 6.

Explicatio Lutheri: Debemus DEVM supra omnia timere — — illi confidere. Sunt igitur tres virtutes summae, quas primum praeceptum a nobis requirit: 1. Timor DEI. 2. Dilectio. 3. Fides. Timor DEI est virtus, verbo DEI obedire studens, et ne vlla in re eum offendat, C 8. 45 cauens. Dilectio est virtus, qua DEVM vicissim amamus, propter summum et paternum illius in nos amorem, et grata illi facere, quanta

possumus, studemus. Fides est Fiducia, in DEI bonitate, et misericordia fixa et locata 1. Cor. 13 (sic!). His cognatae sunt virtutes, agnitio DEI, humilitas, spes, et patientia.

Qu. Quid est humilitas? Resp. Humilitas est virtus cognata timori DEI, qua agnoscimus propriam indignitatem, et DEO reuerenter nos subijcimus, nec quenquam despicimus.

Qu. Quid est spes? Resp. Spes est cognata fidei, expectans scilicet promissa DEI bona.

Qu. Quomodo differunt fides et spes? Resp. Fides amplectitur praesens bonum: spes vero expectat futurum.

Patientia est virtus, modeste ferens aduersitates, dolores, et iniurias, subinde mitigationem et liberationem a Deo expectans.

Quicunque igitur sic timet DEVM, ita amat, adeoque confidit illi, vt nihil in vita sua pluris faciat, quam DEVM, is primo praecepto obtemperat.

Porro cum timore DEI pugnat Epicureus contemtus DEI, cum dilectione DEI pugnat odium DEI. Cum fide pugnat incredulitas, hypocrisis, securitas, superstitio, et idolatria, id est, cultus Daemonum et aliarum rerum prohibitarum. Quicunque igitur DEVM contemnit, fastidit, odit, vel spem suam in res alias, vt opes, potentiam, siue praesidium humanum, sapientiam propriam, voluptates, magis quam in DEVM collocat, is violat primum praeceptum: quia alienum DEVM habet atque colit. — Epicurus est, qui vitae huius commoda sectatur, neglecto DEO. — Superstitio est falsa opinio, tribuens rei vim, sine causis Physicis, et sine ordinatione DEI.

Examen primi Praecepti. Qu. Quot sunt consideranda in
D 1. quolibet Praecepto? Resp. Quatuor. 1. Doctrina ipsa. 2. Gratiarum actio. 3. Confessio. 4. Precatio. Primum enim considerandum est, quid doceat praeceptum DEI: vt primum praeceptum docet, esse vnum verum DEVM, qui vnice a nobis diligi et coli velit. Secundo gratias agere debemus DEO, quod tanta bonitate voluntatem suam nobis manifestauit. Tertio, addenda est confessio: Fateor autem, o DEVS, me praecepto, et voluntati tuae nequaquam obedire, nec ita te diligere, aut tibi confidere, vt primum praeceptum requirit. Tandem accedat precatio: Quare te oro, o DEVS, vt mihi peccatori sis propitius, propter Filium tuum mediatorem.

II. Praeceptum. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

Nomen DEI est DEVS ipse, et verbum eius, per quod cognoscitur. Nomen enim est, quod naturam rei declarat. Assumere nomen Domini in vanum significat irreuerenter DEVM appellare, vel ignominia ipsum afficere, vel abuti verbo DEI. Contra DEI nomen recte vsurpare, significat DEVM vere inuocare, adorare, et laudare.

In vanum Id est, temere, inutiliter, irreuerenter.

Haec inexplicatione Luteri perspicue traduntur. Exponit enim vtramque sententiam, primum negatiuam, quae prohibet ea, quae facere non debemus, vt sunt, maledicere per nomen DEI, iurare, incantare, mentiri aut fallere per nomen DEI. Contra vero affirmatiua docet, quae facere nos velit hoc secundum praeceptum, videlicet inuocare nomen DEI, adorare et gratias illi agere.

Sunt igitur virtutes siue opera, quae requirit hoc praeceptum: 1. Inuocatio DEI. 2. Confessio. 3. Jusiurandum. Inuocatio DEI continet petitionem bonorum corporalium et Spiritualium, ac gratiarum actionem pro omnibus beneficijs a DEO acceptis. Psal. 50. Confessio est manifesta praedicatio DEI, et verbi ipsius coram Deo et hominibus, quodcunque periculum tandem sequatur. Matt. 10. Jusiurandum complectitur precationem, vt DEVS sit testis veritatis, et imprecationem siue obligationem ad poenam mendacij. Deut. 6. 10. D 2.

Qu. Proba iusiurandum pertinere ad secundum Praeceptum Decalogi. Resp. Precatio pertinet ad secundum praeceptum Decalogi. Jusiurandum complectitur precationem. Ergo iusiurandum pertinet ad secundum Praeceptum Decalogi.

Contra. Quod Christus prohibet, non est faciendum. Christus prohibet iusiurandum, cum inquit: Omnino non iuretis, Matth. 5. Ergo omnino iurandum non est. Resp. Respondeo ad minorem, in qua est fallacia a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Nam Christus non prohibet omne iusiurandum, sed id duntaxat, quod temere fit. Tres sunt species iusiurandi concessi seu legitimi: 1. Cum magistratus praecipit. 2. Cum vocatio postulat, causa tuendi famam vel vitam. 3. Cum alioqui controuersia expediri non potest. Vnde ad Hebraeos 6. dicitur: Omnis controuersiae finis est iusiurandum.

Qui ergo DEVM vere inuocet, confitetur, et recte iurat, is obedit secundo praecepto. Qui vero inuocare DEVM recusat, vel frigide inuocat, nec confitetur DEVM, et religionem veram, vel peierat, vel magiam exercet, is violat secundum praeceptum.

Discrimen primi et secundi praecepti. Primum praeceptum postulat cultum DEI, vigentem in corde. Secundum vero flagitat cultum DEI, expressum voce, Rom. 10. Corde creditur ad iusticiam, scilicet in primo praecepto: Ore fit confessio ad salutem, scilicet in secundo praecepto.

Examen Secundi Praecepti. IN secundo praecepto requiris a me, o DEVS, veram inuocationem, confessionem, et vsum nominis tui. Pro hac paterna declaratione voluntatis tuae gratias tibi ago. Fateor autem me multo esse infirmiorem, quam vt huic praecepto tuo satisfacere possim. Quamobrem te oro propter filium tuum, vt effundas in me Spiritum gratiae et precum, qui suscitet in me studium verae inuocationis et confessionis in omni tempore et loco.

III. Praeceptum. Memento vt diem Sabbati sanctifices. D 3.

Sabbatum est idem, quod quies, vel cessatio, siue uacatio. Est vox hebraea. Sabat apud hebraeos significat, idem quod quies. Germanice Feyer oder ruhe tag.

Qu. Vnde orta est Sabbati appellatio? Resp. A quiete DEI. Nam DEVS quieuit septimo die creationis, ab omni opere, quod fecerat, Genesis 2. Sanctificare significat DEO, et rebus siue vsibus diuinis destinare atque tribuere. Est igitur sanctificare Sabbatum, abstinere ab alijs operibus, et solius DEI cultui vacare.

Obiectio. Sabbatum est dies septima, quam vocamur diem Saturni. Christiani non sanctificant diem Saturni. Christiani igitur non sanctificant Sabbatum. Respondeo primum ad maiorem: quae vera est secundum legem ceremonialem siue ordinationem Moysi, quae ad nos in nouo testamento non pertinet. Deinde respondeo ad minorem: Christiani sanctificant eum diem, quem Ecclesia in nouo testamento ordinauit. Quare et Christiani sanctificant Sabbatum, si septimum diem cuiusque hebdomadis cultui diuino tribuant, Siue is dies sit Saturni siue Solis, dum modo septimus dies, id est, ex septem diebus vnus sit.

Argumentum contra Judaeos. Qui sanctificat septimum diem, sanctificat Sabbatum. Christiani sanctificant septimum diem. Ergo Christiani sanctificant Sabbatum.

Qu. Quem cultum DEVS a nobis flagitat in die Sabbati? Resp. DEVS non vult aliter coli, quam iuxta verbum suum, Ezech. 20. Est itaque necessaria verbi DEI tractatio in Sabbato. Act. 13. Porro ad verbi DEI tractationem opus est ministerio Euangelij, et Ecclesiastico ordine, vt decenter verbum DEI possit doceri, et disci Rom. 10.

Qu. Quot sunt partes ministerij in Ecclesia? Resp. Duae: Docere, D 4. 10 et audire siue discere. Psalm. 45. Matth. 25. Docere est officium Sacerdotis, siue Pastoris, item administrare Sacramenta, absoluere a peccatis agentes poenitentiam, et retinere peccata contumacibus, Johan. 20. Audire vero est munus discentis, item venerari, et ornare ministerium in Ecclesia quibuscunque officijs, et subsidijs. 1. Cor. 14. Vtriusque autem docentis et discentis commune officium est, ornare doctrinam Verbi moribus pijs, cauereque ne vel professionem suam, vel ministerium deforment dictis aut factis, quibus gloria DEI laeditur.

Qu. Quae sunt Virtutes siue opera tertij Praecepti? Resp. Studium, meditatio, et tractatio verbi DEI in Ecclesia publica et priuata siue domestica. Item veneratio et conseruatio ministerij, siue ministrorum Ecclesiae et Scholarum. Leuit. 26. Contra vero peccata, siue vitia tertij praecepti sunt, contemtus verbi et Sacramentorum. Item ministrorum Ecclesiae et scholarum. Num. 15. Herem. 17. Nehem. 13.

Qu. Nullumne licet opus facere in Sabbato? Resp. Licet.

Contra. Sabbatum est quies. Opus non est quies. Igitur Sabbatum non admittit vllum opus. Respondeo ad minorem, quae intelligi debet de opere eo, quod impedit ministerium verbi seu cultum DEI. Alia vero opera, quae neque cultum DEI impediunt, neque proximum offendunt, non sunt prohibita in Sabbato, sed mandata potius a DEO, in hoc dicto: Misericordiam magis volo, quam sacrificium. Hoseae 6.

Qu. Estne beneficentia erga proximum prohibita in Sabbato? Resp. Non.

Proba. Misericordia est mandata in Sabbato. Beneficentia erga proximum, est opus misericordia. Igitur beneficentia erga proximum est mandata in Sabbato. Lucae 14.

Qu. Licetne praeliari in Sabbato? Resp. Licet.

Proba. Misericordia est mandata in Sabbato. Defensio legitima in casu necessi- D 5. tatis, est opus misericordiae. Ergo defensio legitima siue bellum, est mandatum in Sabbato, praesertim in casu necessitatis, vbi dimicandum est pro aris, id est, religione, et focis. 1. Maccab. 2.

Qu. Quomodo differt hoc praeceptum a praecedentibus? Resp. Tertium praeceptum sancit et postulat, cultum ceremoniarum in Ecclesia.

Qu. Quare nos Christiani pro Sabbato sanctificamus diem dominicum, qui Solis dies appellatur? Resp. Christiani propter duas causas sanctificant diem dominicum: I. Propter memoriam resurrectionis Christi ex morte, quae die Dominico facta est. Ethnici hunc diem Soli tribuerunt: Christiani eundem diem Soli iusticiae, qui est Christus, consecrarunt. Apocal. 1. II. Sanctificant Christiani dominicam diem, propter libertatem Christianam. Non enim sumus alligati ad ceremonias legis in Ecclesia Judaeorum.

Examen III. Praecepti. DOces me, o DEVS, in tertio Praecepto, quod non aliter a me coli velis, quam pia meditatione, et tractatione verbi tui in Sabbato: tum vero vsu Sacramentorum tuorum. Pro hac

luce, gratias tibi ago, quod videlicet verbi tui doctrinam et noticiam conseruas. Verum intelligo, quam frigide amem verbum tuum, et meam socordiam ac negligentiam ingenue confiteor. Tu ergo excita in me verum et ardens studium verbi tui, et accende desiderium Sacramentorum tuorum: vt te vere celebrem, obedientia mea ergo hoc tertium Praeceptum.

Secunda Tabula Decalogi. Qu. Quare incipit secunda tabula a cultu parentum? Resp. Quia parentum status seu ordo est fundamentum societatis ciuilis, ex quo reliqui ordines deducuntur, aut promanant. Cum igitur secunda tabula de cultu proximi siue officijs ad conseruationem et salutem societatis ciuilis pertinentibus, praecipiat: recte parentum honos primo loco sancitur. — — —

De Vsu Decalogi. Qu. Potestne lex iustificare hominem? F6b
Resp. Lex non iustificat hominem: quia requirit integram obedientiam, quam nemo hominum in hac corruptione naturae potest praestare.

Qu. Quid ergo prodest lex, siue Decalogus? Resp. Vsus legis tres sunt. Primum regit disciplinam, id est, flagitat obedientiam, et coërcet omnes homines Christianos et Ethnicos. Secundo monstrat et accusat peccata, denuncians iram DEI et poenam. Tertio docet, quae opera sint facienda Christianis, quique cultus DEO placeant. Porro singula praecepta partim vetant, partim praecipiunt.

Qu. Quid vetant? Resp. Peccata siue vitia et mala opera.

Qu. Quid est peccatum? Resp. Peccatum est defectus, vel inclinatio mala, et actio pugnans cum lege DEI, et promerens poenas F 7.
praesentes et aeternas, nisi remittatur propter Christum. Vel, vt Joannes definit, capite 3: ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. Peccatum est iniquitas, vel transgressio legis.

Qu. Quid praecipiunt? Resp. Bona opera et actiones DEO placentes.

Qu. Estne Lex abrogata? Resp. Non tota abrogata est, sed ceremonialis et forensis tantum. Moralis vero lex siue Decalogus non est abrogatus: quia est regula aeternae vitae, obligans omnes homines vel ad obedientiam vel ad poenam. Sunt igitur tres partes legis Moysi: Moralis, das da leret, wie man leben sol. Ceremonialis, das da leret von Kirchenordenungen et Forensis siue Judicialis, das da leret von weltlichen Rechte.

Qu. Propter quas causas assidue meditandus et repetendus est Decalogus? Resp. Propter quatuor fines. I. Vt sit Regula vitae, id est, consiliorum, studiorum, et actionum nostrarum. Sicut scriptum est Ezechielis 20. In praeceptis meis ambulate, Item: Lucerna pedibus meis verbum tuum, id est, Lex tua quasi fax quaedam praeluceat monstretque mihi, quae cogitare et facere debeam. Psal. 119. II. Vt sit speculum peccati. Quia ex lege cognoscitur peccatum, tanquam ex speculo. Rom. 3. Per legem agnitio peccati. III. Vt quaeramus Mediatorem, qui legem pro nobis impleuit. Quia lex est paedagogus ad Christum, Gal. 3. IIII. Vt votis ardentibus petamus restitutionem conformitatis cum lege in nobis, secundum promissionem DEI, Jerem. 31. Dabo legem meam in corda eorum, quod est: reddam eos conformes legi meae.

Qu. Quot modis Christus impleuit legem? Resp. Quatuor modis. I. Docendo, quae sit vera sententia legis, quidque requirat a nobis, videlicet non externam tantum, sed internam etiam obedientiam, et puritatem. II. Faciendo, seu integram obedientiam praestando legi. Fecit enim omnia quae lex efflagitat. Philip. 2. Christus est factus obediens
F 8. patri — — crucis. Matth. 5. Non veni, vt soluerem — — implerem. III. Sustinendo poenas pro peccatis nostris. Esa. 53. Vere languores nostros — — sustinuit. Rom. 4. Mortuus est Christus propter peccata nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram. IIII. Instaurando legem in credentibus per Spiritum sanctum, quem effundit in corda nostra, vt nouam obedientiam erga legem DEI excitet.

Qu. Quo igitur confugiendum est nobis, cum ex lege iustificari non possimus? Resp. A DEO irato scilicet propter peccata nostra, ad Deum misericordem, hoc est, propitium et placatum per mortem, obedientiam, et intercessionem filij, secundum Augustinus. Est igitur proxima et expeditissima via a Decalogo ad Symbolum seu fidem Christianam, quae petit remissionem peccatorum, iusticiam et vitam propter Christum.

Secunda Pars Catechismi: Symbolum.

Qu. Quid significat Symbolum? Resp. SYmbolum interdum significat signum siue tesseram militarem: sed hoc loco significat formulam fidei, Ein formular des glaubens.

Qu. Quid est Symbolum? Resp. Symbolum est formula fidei, vel comprehensio articulorum fidei Christianae.

Qu. Cur vocatur Symbolum Apostolicum? Resp. Quia ab Apostolis collectum est, vel certe summam doctrinae Apostolicae continet. Appellatur etiam fides Christiana: quia est norma seu regula fidei Christianorum.

Qu. Cur quotidie recitandum est Symbolum? Resp. I. Vt recordemur magnorum beneficiorum DEI patris, filij redemtoris, et Spiritus sancti. II. Vt exuscitetur in nobis fides vera. III. Vt seiungamus nos a Judaeis, Turcis et alijs profanis hominibus, qui non credunt in DEVM patrem, filium, et Spiritum sanctum. IIII. Vt Symbolo vti possimus tanquam fundamento totius doctrinae Christianae, et singularum eius partium, de DEO, de tribus personis diuinitatis, de creatione, de
G 1. redemptione, de persona Christi, et beneficijs eius, de Spiritu sancto, de conuersione hominis, de Ecclesia, et vita aeterna.

Qu. Quot sunt articuli fidei in Symbolo? Resp. Tres. Primus de Creatione, Secundus de Redemptione, Tertius de Sanctificatione.

Articulus Primus. Vt vnus est quidem DEVS, sed tres personae distinctae, non confusae: ita sunt tres articuli fidei. Primus de creatione, quae tribuitur DEO patri. Secundus de Redemptione, qui (sic!) adscribitur filio. Tertius de Sanctificatione, quae assignatur Spiritui sancto.

Credo, id est, omnem spem et fiduciam meam colloco.

In DEVM, scilicet patrem, filium et Spiritum sanctum. Nam DEVS est nomen commune patri, filio, et Spiritui sancto. Genes. 1.

DEVM patrem, Per Appositionem. Nam posterior vox est declaratio prioris. In DEVM, qui est pater, filius, et Spiritus sanctus. Idque etiam indicat distinctio, quae ponitur post vocem DEI.

Patrem, Id est vere me amantem, curantem, alentem, et seruantem.

Omnipotentem, Id est, qui tam potens est, vt possit ac velit me defendere ab omnibus malis et hostibus, quantumuis minas et ignem spirantibus: imo tunc etiam cum opis nihil reliquum esse videtur.

Qu. Quare creatio tribuitur DEO patri, cum sit commune opus DEI Patris, Filij, et Spiritus sancti? Resp. Quia creatio rerum est opus, siue signum et nota, monstrans patrem. Jon. 1. Amos 4.

Explicatio Luteri. Luteri explicatio per distributionem Rhetoricam exponit et declarat beneficia creationis. Primum beneficium est vita ipsa, seu corpus et anima. Secundum est victus, cum omnibus bonis ad vitae cultum necessarijs. Tertium est defensio a malis. Quartum gratia et misericordia. Quicquid enim nobis dat DEVS, gratis dat. Vltimo additur clausula de gratiarum actione pro tantis beneficijs. In fine est Epiphonema: Hoc certissime verum est: quod prodest ad excitandam et confirmandam fidem. G 2.

Argumentum. Qui credit in DEVM creatorem coeli et terrae, vere credit. Judaei, Ethnici, et Turci credunt in DEVM, creatorem coeli et terrae. Ergo Judaei, Ethnici, et Turci recte credunt. Respondeo ad maiorem, per distinctionem. Nam maior intelligi debet de DEO, sicut se patefecit in verbo suo, nempe quod sint tres personae diuinitatis, Pater, filius, et Spiritus sanctus. Deinde minorem nego, quia Judaei, Ethnici et Turci non credunt in DEVM, patrem, filium, et Spiritum sanctum.

Aliud. Homo est creatus a DEO. Homo est malus. Igitur malum est creatum a DEO. Respondeo. Nego consequentiam: quia in minori est fallacia accidentis. Nam Deus non creauit hominem malum, sed bonum. Quod igitur mali est in homine, id ex DEO non est, sed afflatum est homini a Diabolo tanquam venenum seu labes quaedam.

Aliud. Ex nihilo nihil fit. Ante creationem rerum nihil fuit. Ergo DEVS condere mundum non potuit, sed secundum Aristotelem, ab aeterno fuit. Respondeo. Concedo maiorem de agente naturaliter, non de DEO, qui est agens liberrimum, et omnipotens.

De Sacramento Altaris.

Qu. Quare Coena Domini vocatur Sacramentum Altaris? Resp. SAcramentum Altaris nominatur, quia ad Altare distribuitur. Vocatur enim testamentum Christi, quia est voluntatis Christi iusta sententia, de eo, quod post mortem suam vult fieri. J5b.

Qu. Quid vero vult fieri Christus post mortem suam? Resp. Jubet nos edere corpus suum pro nobis datum, et bibere sanguinem suum pro peccatis nostris effusum, idque facere in commemorationem sui.

Qu. Quot sunt res siue partes Sacramenti Altaris? Resp. In hac definitione expresse nominantur tres partes. I. Est verum corpus, et verus sanguis Christi. II. Est panis et vinum. III. Est actus mandu- candi et bibendi a Christo ordinatus. Irenaeus cap. 34. lib. 4. ait: Sacramentum Altaris, vel Eucharistia, vt ipse vocat, constat ex duabus rebus, terrena et coelesti. Res terrena sunt elementa, panis et vinum. Coelestis, est corpus et sanguis Christi. J 6.

Qu. Qualis haec est definitio Luteri? Resp. Est causalis. Materialis causa est duplex. Vna est panis et vinum. Altera verum

corpus et sanguis Christi. Nam ex his duabus rebus fit, et constat Sacramentum Coenae. Verum corpus, et verus sanguis Christi opponitur, et excludit *μετωνυμίαν*, quam fingunt Sacramentarij. Significatur item per corpus verum, corpus praesens, non absens. Efficiens causa Sacramenti Coenae est Christus DEI filius, qui non solum instituit hanc coenam, sed ipsemet etiam adest, et dato pane et vino, dat nobis suum corpus et sanguinem, estque efficax in credentibus et sumentibus. Formalis causa coenae sanctae, est ipse ritus a Christo ordinatus, qui consistit in pronunciatione verborum CHRISTI, et in exhibitione atque sumtione panis et vini, item corporis et sanguinis Christi. Modum vero ipsum, quo id fiat, vt dato et sumto pane atque vino detur atque sumatur, verum corpus, et verus sanguis Christi, scire non possumus, sed simpliciter, et sine dubitatione siue discepatione nos credere decet verbis Christi, quae nos fallere non possunt. Joh. 15. ad Tit. 1.

Qu. Quid significat manducare ac bibere? Resp. Significat proprie id, quod sonat, nempe ore percipere iuxta mandatum Christi. Accipite, Comedite. Item bibite.

Traditus est, Id est, proditus.

Accepit panem, Hic diserte nominatur elementum panis, Vocatur etiam vna species Sacramenti.

Cum gratias egisset, Hoc verbum docet coenam Christi esse coenam gratiarum actionis. Nam edentes et bibentes in hac coena, debemus gratias agere Christo. Inde *εὐχαριστία* ab Ecclesia nominatur, quod est gratiarum actio.

Fregit, Id est, distribuit, phrasi hebraica. Esa. 58. Frange esurienti panem tuum, id est, distribue.

J 7. Accipite, Comedite, Haec sunt verba actiua. Ideoque Sacramentum definitur, quod sit actio a Christo instituta.

Hoc est corpus meum, Hic expresse nominatur corpus Christi, ex quo liquet, in Sacramento coenae esse duas res, nempe panem et corpus Christi. 1. Cor. 11. *ἔλαβεν ἄρτον — — τοῦτο μου ἐστὶ τὸ σῶμα.*

Quod pro vobis datur. Haec verba declarant corpus Christi, quod reuera non sit aliud in hac coena, quam vox ipsa denotat, nempe verum corpus Christi et substantiale, non signum corporis Christi. Non enim signum corporis Christi pro nobis datum est, crucifixum et mortuum, sed uerum et viuum corpus Christi.

Syllogismus est perspicuus: In coena sancta accipimus corpus Christi, quod pro nobis datum est. Signum corporis Christi non est pro nobis datum. Ergo in coena sancta non accipimus signum corporis Christi, sed viuum eius corpus.

Commemoratio, hoc loco significat idem, quod memoria vel recordatio.

Hoc facite in mei commemorationem, Id est, Credite me pro peccatis vestris mortuum esse, et in tali fide celebrate beneficium meum, et gratias agite.

Bibite ex hoc omnes, Vox omnes ostendit hoc beneficium ad omnes homines pertinere.

Hic calix, id est, vinum per Synecdochen, quia continens ponitur pro contenso.

Nouum Testamentum, id est, foedus vel pignus, de remissione peccatorum accipienda gratis propter meritum Christi. Testamentum signifiat foedus, quod DEVS nobiscum fecit.

In meo sanguine, Id est, cum meo sanguine, vel per et propter meum sanguinem, Psal. 78. Jacob seruiebat in Rachel, id est, propter Rachel. Zachariae 9.

In sanguine testamenti educes vinctos, id est, per vel propter. Roman. 4.

Justificati in sanguine ipsius, id est, per vel propter sanguinem J 8. eius. Non igitur vinum solum, sed vinum cum sanguine Christi coniunctum est seu efficit nouum testamentum.

Obiectio. Facere significat sacrificare, apud Virgilium et Ciceronem, pontificij in confutatione Augustanae confessionis haec verba ponunt: Facere in hebraea, Graeca, et Latina lingua significat sacrificare. Christus iubet nos facere. Christus igitur iubet nos sacrificare, id est, missam celebrare. Nego consequentiam, quia est aequiuocatio in verbo facere, quod in testamento Christi neque potest, neque debet aliter accipi, quam in significatione propria et vsitata, secundum verba actiua praecedentia, accipite, comedite, bibite.

Qu. Quid vero prodest sic etc. Quid docet hoc caput? Resp. Docet de vsu seu fructu Sacramenti coenae.

Qu. Quis est vsus seu fructus Sacramenti Coenae? Resp. I. Est applicatio, et quasi obsignatio remissionis peccatorum, vitae et salutis, in singulis credentibus. II. Est confirmatio fidei nostrae. Ideo enim vtimur sacra Coena, vt fides nostra languida confirmetur, et augeatur. III. Est commemoratio siue recordatio mortis Domini, cum pia gratiarum actione. IIII. Est nota professionis nostrae Christianae, discernens uos a Turcis et Judaeis, qui hoc Sacramentum aspernantur et reijciunt. Item Symbolum, ein kenne zeichen, mutuae dilectionis.

Qu. Qui potest corporalis etc. Quid docet haec quaestio? Resp. Docet de modo consequendi verum vsum siue effectum Coenae sanctae.

Qu. Quis est effectus Coenae sanctae? Resp. Remissio peccatorum. Nam vsus huius Coenae hoc efficit in nobis, vt certi simus de remissione peccatorum.

Qu. Quae res requiruntur ad consequendum istum effectum? K 1. Resp. I. Actio ipsa, quae consistit in manducando et bibendo, iuxta mandatum Christi. II. Verbum Christi, Accipite, comedite — — datur. Item bibite — — in remissionem peccatorum. III. Fides, quae verbo Christi credit.

Qu. Quid significat ieiunare? Resp. Jeiunare est caste, et moderate viuere, vt animus vacare possit precationi, et meditationi verbi.

Qu. Quid significat ieiunium? Resp. Jeiunium non significat inediam siue abstinentiam cibi et potus, vel abstinentiam a certis cibis.

Proba. DEVS non vult nos perdere corpus nostrum. Inedia perdit corpus. Ergo DEVS non praecipit inediam. Corpus suum praeparare est habitu et gestu decenti accedere ad Coenam. Hoc modo decet nos omnes ieiunare, et corpus praeparare, quotiescunque Sacramento Altaris vtimur.

Qu. Quis digne vtitur Sacramento Altaris? Resp. Qui in fide vera vtitur. Vel secundum Paulum, qui seipsum probat, et corpus Domini discernit, hoc est, qui poenitentiam agit, et credit se accipere

corpus et sanguinem Christi pro se effusum in remissionem peccatorum: Quotiescumque enim comederetis — donec venerit, inquit Apostolus. 1. Cor. 11.

Qu. Quae sunt causae impulsiuae, quae nos excitare debent ad expetendum vsum sacrae coenae? Resp. I. Est mandatum Christi, iubentis nos accipere, comedere, bibere, corpus et sanguinem suum: idque facere in sui commemorationem. II. Commoda amplissima: quod corpus suum nobis ad manducandum, et sanguinem ad bibendum praebet: Secundo
K 2. remissionem peccatorum applicat et obsignat in nobis, dato tanto pignore et sigillo. Tertio fidem confirmat. Quarto ad gratiarum actionem exuscitat.

Qu. Quis indigne vtitur? Resp. Qui sine poenitentia et fide vtitur, et securus est, nihil aut parum differre existimans Coenam Domini, ab alijs coenis, quibus corpus pascitur, iuxta illud 1. Cor. 11. Quisquis ederit — reus erit — Domini. Item, Qui edit aut bibit indigne, — Non dijudicans corpus Domini. Precatio ad Filium DEJ, vt digne vtamur sacramento. JVbes me, o fili DEJ, accipere et comedere corpus tuum, et bibere sanguinem tuum in hoc Sacramento Coenae tuae, idque facere in tui commemorationem. Ego vero sentio et cognosco in me nihil nisi meram indignitatem atque imbecillitatem. Ergo fidem veram in me excita et auge, vt vere credam hoc, quod manduco, esse verum corpus tuum, quod pro me datum est: et quod bibo, esse verum sanguinem tuum, quem pro me effudisti in remissionem peccatorum meorum. Et fac denique, vt vera gratiarum actione praedicem hoc beneficium tuum, et fructus feram tibi iucundos, mihi vero et proximo salutares. Amen.

---

49. Des Camerarius *Κεφάλαια Χριστιανισμοῦ* von 1545.

Capita pietatis et religionis christianae uersibus graecis comprehensa ad institutionem puerilem . . . A. Joach. Camer. Pab. . . . Lipsiae in officina Valentini Papae. Anno M.DXLV.

ΚΕΦΑΛΑΙΑ ΧΡΙΣΤΙΑΝΙΣΜΟΥ προσφωνηθέντα τοῖς παιδίοις.

Δεῦτε φίλοι παῖδες θείων ἀδαήμονες ἔργων,
Ὄντε κακαῖς ἀπάταις κόσμου φρένες ἠερέθοντες,
Αἰεὶ γὰρ θνητοῖς θυμῷ φίλον, αἴσυλα ῥέζειν,
Τῶν δ' ἄπ' ἐπουρανίων μάθε τ' ἄσματα θέσκελα μύθων.
Υμμε γάρ ἐστι μάλιστα δέον ταῦτ' εἰδέν' ἅπαντα
Πρωθήβους θ' ἁπαλούσθ', οὓς οὔπω ὀνείδε' ὄνοσσαν
Οὔστε θεὸς φιλέει, καὶ κήδεται ἔξοχα ἄλλων,
Τοῖσι δ' ἔνι ζωὴν εὑρήσεται ἄφθιτον αἰεί,
Αφθιτον ἀθάνατον μεγάλου δώρημα θεοῖο.
Τόνδ' ἄρ ἀμειβόμενοι σφετερῷ τάδε θέσθ' ἐνὶ θυμῷ,
Πατρὸς ἐφημοσύνῃ θείας γνωρίσματα βουλῆς.

Ηστε ἄπ᾽ ἐκγεγάασθ᾽ ὑμέων φίλα τέκνα γονήων
Ηστε ἄπ᾽ ἐν ζωοῖσιν ἀρούρης καρπὸν ἔδεσθε.
Πρῶτον δὴ γαῖάντε καὶ οὐρανὸν εὐρὺν ὕπερθεν,
Τούστε κατειβομένους ποταμούς, καὶ κῦμα θαλάσσης,
Ανθρώπωντε γένος, καὶ θηρία γαῖαν ἔχοντα,
Αἰθέρος οἰωνούστε καὶ ὕδατος ἰχθύας ἐντός,
Ω ἔπε᾽ αἰδίῳ θεός ἐστιν ὁ πάντα τελέσσας.
Καὶ νῦν ποιηθέντα μόνος τάδε πάντα διοικεῖ
Οὐδ᾽ αὖτως τε ἐᾷ χωρεῖν εἰκῆτε φέρεσθαι
Η ἄλλους τινας ἰθύνειν, νῆ᾽ ὡς ἐνὶ πόντῳ
Μαψιδίως ἐφορῶν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο.
Αὐτὸς δ᾽ αἰὲν ἐφεστήκει, αὐτόστε κυβερνᾷ
Οἴακα χερσὶν ἔχων, οὐδὲ γλυκὺν ὄμμασιν ὕπνον
Δεξάμενός ποτ᾽ ἀπειρηκὼς δύναται γὰρ ἅπαντα.
Οὐδ᾽ ἄρα χαλκείου πτύχες οὐρανοῦ ἐννέα πᾶσαι
Ην ὁδὸν ἐξάνυον προκυλινδόμεν᾽ ἔνθα καὶ ἔνθα
Εἰ μὴ ὁ τοῦτε νόος καὶ χεὶρ κράτερ᾽ ἦγε ποιητοῦ.
Οὐδ᾽ ἐνὶ γῆς ἐρατοῖς ἄνθη καὶ λήϊα κόλποις
Θῆλεν ἂν ἐμμαπέως, εἰ μὴ θεὸς ἦν ὁ φυτεύσας.
ἀλλ᾽ ὅδε πάντα κρατῶν θεὸς ἄμβροτα μήδεα εἰδώς
Οὐ θηλήμων ἐστί, φίλον τέκνος, ἀλλ᾽ ἐλεήμων,
Οὐκ ὀλετὴρ οὐκ ὠμηστής, πιστὸς δὲ καὶ ἐσθλός.
Ος γένος ἀνθρώπων ὄφιος ψευδέσσι πεποιθὸς
Ῥήμασι, καὶ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὀλωλὸς
Εἰς βίον ἐξ ὀλέθροιο κατ᾽ αὖθ᾽ ὤρθωσ᾽ ἐλεηθείς,
Οὐδ᾽ ἠνέσχετ᾽ ἰδὼν ἐφθαρμένον ἔργον ἑαυτοῦ
Πλάσματος ἀγχιθέοιο, τὸ κείνου χεῖρες ἔκαμνον
Εμμεναι ἀθανάτου θεοῦ εἰκόνα, καὶ νόμον ἄλλον
μηδέν᾽ ἔχειν ἢ ῥήμαθ᾽ ἑοῦ κτίσεω ὑπακούειν,
Ωστε μόν᾽ αὖτ᾽ ἔρδειν καὶ μήδεσθαι φρεσὶν ἧσιν
Οσσα πατὴρ ἐθέλει καὶ βούλεται ἠδ᾽ ἐκέλευσε.
Τῶν καὶ ἐνὶ κραδίῃ ξύγγραμμα πάροιθεν ἔθηκεν
Καὶ τόδ᾽ ἀμαυρωθὲν πρὸς ἀπειθείας βροτολοιγοῦ
Αὖθ᾽ ἀναπλαξὶ νέωσε δυοῖν, ὀνύχεσσι χαράξας
Κεῖν᾽ ἰδίαις προτέροιο νόον ψηφίσματα, μήτις
Αγνοίῃ φαίη πρᾶξαι τόδε, τοῦδ᾽ ἀμελῆσαι.
Τούτων δὴ κεφάλαια κατὰ στόματος προφέρεσθαι
Πολλάκι χρὴ τοὺς παῖδας ἀπὸ φρενὸς ὧδε λέγοντας.
Παντοκράτωρ θεὸς οὐράνιος προλέγει τάδε πᾶσι.
Αὐτὸς ἐγὼ θεός εἰμι μόνος, καὶ ἀπεκτὸς ἐμεῖο
Οὐδείς ἐστι θεός, σὺ δ᾽ ἐμοὶ μέμνησο λατρεῦσαι
Μούνῳ, μὴ δὲ παρὲξ θεῖον τοῦδ᾽ ἄλλο σέβισσε.
Κύριός εἰμι σέθεν. μὴ τοὔνομα βάζε ματαίως
Μὰψ ἐπὶ χείλεσ᾽ ἑλὼν ἐμὸν οὔνομα αἰὲν ἄχραντον.
Σάββαθ᾽ ἑορτάζειν ἁγναῖς μνήθητι χήρεσσι,
Καὶ καθαρᾷ μᾶλλον τηρῶν φρενὶ ἱερὸν ἦμαρ.
Εὐδαίμων δ᾽ ἐπὶ γῆς ἶν᾽ ἔῃς πολλοὺς τ᾽ ἐνιαυτούς.
Ζώῃς μακρόβιος, πεφύλαξο τοκῆας ἀτιμᾶν,
Ἀλλ᾽ αἰὲν πέρι κῆρι τίειν σπούδασσον, ὅπως καὶ

Εὖ σέο τῶν παίδων πατέρ' ὀψιγόνων σέ τις ἔρδη.
Μὴ φόνον ἐργάζῃ. μοιχείας ἁγνὸς ἔησθα,
Μὴ κλέψῃς. μὴ μαρτυρίαν ψεύδεσσ' ἐπένεγκον.
Μὴ τοῦ πλησίον ἰμείρῃ ποτὲ σεῖο γυναικός,
Ομμασι κιβδήλοισιν ὁρῶν, καὶ ἐπίφρονι θυμῷ
Εγκισσῶν. μήδ' αὖτ' ἐθέλης πάντων τι γενέσθαι
Σοὶ κείνων θεὸς ὅσσα τεῷ ποτ' ἔδωκε πολίτῃ,
Οὐ δόμον, οὐκ ἀγρούς, βοῦν, παιδίσκην, θεράποντα.
Πάντων γὰρ πρώτιστα κακῶν ἐπιθυμίη ἐστί.
Καὶ κατὰ δὴ τάδε τηρηθέντα κρῖτὴς θεὸς ἔσται
Ημεῖς δ' οἱ τάλανες κενεοφροσύνῃσι νόοιο
Τυφλοὶ καὶ χωλοὶ, μήτ' εἰς καλὸν αὖτ' ἀτενίσσαι
Μήτε τρέχειν δυνάμεθ' ἀρετῆς ὁδὸν ὀρθοκέλευθον.
Ἀλλ' ἡμῖν εὖ βούλεθ' ὁμῶς ὅδε καίπερ ἀλιτροῖς,
Εἰ μὲν ἀποστρεφόμεσθα κακοῦ μετὰ δ' αὖ μελόμεσθα
Οττι θεοῦ πρότερον σαρκὸς τιθέμεσθα θέλημα,
Συγγνώμην τ' ἀγαθὸς μεταποιεῖται νοέουσι.
Οὐ γάρ φησι βροτῶν ἐθέλειν μόρος, ἀλλ' ἵνα πάντες
Αϊδίου μετέχωσι βίου ζώοντες ἄμεινον.
Ταῦτ' ἄρα τοι ξύνες, ἠδὲ τεῷ ἔνι κάτθεο θυμῷ,
Μηδέτ' ἄχος μελέτω σῇσιν φρεσὶ μηδέτι τάρβος,
Ελπεο δ' ἐκφυγέειν τε κακὸν καὶ βέλτιον εὑρεῖν.
Τῶν καὶ ἐὸν φίλον υἱὸν ἀπ' οὐλύμποιο καρήνων
Σοὶ ἀγαθὰ φρονέων προέηκεν μάρτυρα εἶναι,
Ος καί σ' οὐ κακὸν ὀσσόμενος πατρὶ δ' ἧκε πιθήσας
Παρθενικῆς ἱερὴν κατὰ γαστέρ' ἀμύμονος ἐσδύς.
Ηδ' ὑποκυσσαμένη τέκεν ἀθανάτου θεοῦ υἱόν,
Πνεύματος ἔξ ἁγίου πατρὸς μεγάλου ἰότητι
Οὐδέτιν' ἢ Θέμις ἐστὶ βροτῶν, ποτε ἀνδρὶ μιγεῖσα
Αλλ' ἐπεὶ οὖν προφόως δ' ἦγεν θεὸς ὃν φίλον υἱόν,
Μήτηρ μὲν καλέσασκεν ἰησοῦν πατρὸς ἐφετμῇ
Τὸν πάντων σωτῆρα βροτῶν, τὸν χριστὸν ἀληθῆ.
Ως ἄρα θειότοκος γόνος ἑβραίων ἐπὶ γαῖαν
Θνητὸν ἔχων δέμας ἠδὲ φυὴν ἄλλ' ὥσπερ οἱ ἡμεῖς
Αγγελιῶν πατρὸς μεμνημένος αἰὲν ἐφοίτα,
Αρνύμενος ψυχὰς μερόπων ζωῆσε χατίζων
Ημετέρας, ἔχε γὰρ θάνατος καὶ μοῖρα κραταίη.
Τῷ καὶ ἵνα ῥύσῃ ὑπεμείνατο κῆρα μέλαιναν,
Σταυρωθείς τε ἐὸν βίον ὤλεσεν, ὥστε σαῶσαι
Ανθρώπων θνητῶν δειλῶν γένος ἐξ ἀΐδαο.
Οἳ καταβησάμενος δῆσ' αὐτὸν καὶ θεράποντα
Αργαλέον μόρον ὄντ' ἐχθρὸν πάντεσσι βροτοῖσι.
Λῆσε δ' ἐν ἀῤῥήκτοις δεσμοῖς τάτε τεύχε' ἐσύλα,
Καὶ ξίφε', ἠδ' ἰοὺς στιβαρῇς κατέαξε χέρεσσι,
Τὰς τ' ἀνόμους πράξεις ἀσεβῶν θ' ὁρμήματα ἔργων,
Οἷς πάρος ἀνθρώπων ἀκορέστως φῖλ' ὀλέκοντο.
Οὕτως ἀνθρώπων τε φονεὺς καὶ δεῖμ' ἀϊδωνεὺς
Καὶ θάνατος πρὸς τοῦδε δάμη βίῃ ἀμεγάρτῳ.
Αὐτοῦ δ' ὅττε τάφῳ ἐνὶ νεκροῦ σῶμα τριταίου

Κρύπτ' ἐχθροῖς μετὰ χάρμα φίλοισι δὲ πένθος ἄλαστον,
ἀμφότεροι γὰρ ἔφαν τόνδ' οὐκέτ' ἐσαϊὲν ἰδῆσαι,
Ἐκ τότ' ἄρ' οὖν θανάτου πυλέων στυγνοῦ τ' ἀχέροντος
Ζωὸς ἀνέστη ἐών, καὶ γὰρ θεὸς αὐτὸν ἔγειρε,
Ἡμῶν θ' ἡγεῖσθαι χ' ἡμῖν βασιλεύεμεν αἰεί.
Τῷ καὶ ἀπ' αἰθερίας ᾧ πατρὶ παρήμενος ἕδρας
Πάντα κατασκοπιᾷ τε καὶ αὐτῷ πάντα μέμηλε.
Τοῦτον γοῦν, φίλε παῖ, τόσσον σ' ἀγαπῶντα δίωκε,
Ηδ' ἐφέπου καλέοντι σέθ' αὖ ὅδε πάντα διδάξει
Αττα σὲ χρὴ πράττειν, βροτέων γὰρ ἀπ' ἤνδανεν ἔργων
Οὐδείς πω κτίστῃ πάντων ὅσα δῆτ' ἐγένοντο,
Ἀλλ' ὅδ' ἑοῖ πισύνους καὶ ἐφέλκει καὶ μεταπλάττει,
Εἰς κραδίην ὃν πνεῦμα βαλὼν θεῖόν θ' ἅγιόν τε.
Τοῦδ' ἄπο θαρσυνόμεσθα μένος τ' ἔχομεν φρεσὶν ἠΰ
Ηδ' αὐτὸν τολμῶμεν ἁμαρτωλοί περ ἐόντες,
Ημέτερον πατέρα κράξαντες τέκνα καλέσσαι
Αὐτοῦ γάρ τ' ἐσμὲν λαός τ' ἔθνος τ' ἀγαπητόν,
Αὐτὸς ὅσ' εἰς ἀγέλην πρόβατ' εἰς θ' ἓν πῶϋ ἔκλεισεν.
Τὶ μόνος αὐτοῦ μεῖνον ἀκουσάμενος θεοῦ ὄσσαν,
Οὐδ' ἅλιον τοῦ δ' ἔσσετ' ἔπος πότε γ' ὅττικεν εἴπῃ.
Ἐξ ἄρα σοῦ βάλε πάντα φόβον καὶ τάρβεα θυμοῦ
Καὶ μούνῳ πίστευε λόγῳ θεὸς ὄντιν' ἐνίσπῃ.
Κεῖνος δ' οὐ μὲν ἄνευθε μένων ἀλλ' ἄγχι παραστάς
Παντόσ' ὅπου φυλακόςγε δέῃ σεῦ κήδε' ἀπωθεῖ.
Ος δὴ καὶ πετεινὰ δι' αὐγαλέοιο νομεύων
Ηέρος ἔνθα καὶ ἔνθα ποτώμενα, ὧδε κυβερνᾷ
Ωστε τροφὴν εὑρεῖν, καὶ νήπια τέκν' ἀτιτάλλειν,
Στρουθία τε ψαρούς τε κολοιούς τε κόρακάς τε.
Μήδε τις ἰξευτὴς μάλα περ πεπνυμένος ἐλθών
Τοῦγε θεοῦ ἀέκοντος ἀπ' αἰθέρος εἶχε κατασπᾶν
Τῶνδ' ἓν ἀτιμότατον θεὸς ἦν χεῖρ' ὅτταν ὑπερσχῇ,
Αλλ' ὅγ' ὑμᾶς φιλέει, ἐλθεῖν τε πρὸς αὐτὸν ἀνώγει.
Ηνίδε καὶ ὅσσοις λειμῶνες τηλεθόωσι
Καλοὶ μυδαλέοι θέρεος ζαθεῇ ὑπὸ αἰγλῃ
Ανθεσι, τοῖς τε ἰοῖς καὶ πορφυρέοισι ῥόδοισι,
Καὶ λευκοῖσι κρίνοισι καὶ ἱμερόεσσ' ὑακίνθοις.
Τίς δ' ἄρα πω βασιλεὺς ὃς ἐν ἀνθρώποισι κέκαστο
Πλούτῳ καὶ δυνάμει, τοῖςπερ γανόωσιν ἄνακτες,
Τῶν δ' ἓν' ἴσην ἐσθῆτ' ἐπιειμένος ἐν θρόνῳ ἧστο;
Καὶ τάδε που θέρεος γαίης φθίνοντος ἂν οὕδας
Πάντα μαραίνονται τάγε μὴ βροτοὶ ἐφθαν ἄραντες
Ως μὲν φῦλλα θεὸς κοσμεῖ τάδ' ἐόντ' ἀμενηνά,
Τῆς δέ τε σεῖο τριχῶν κεφαλῆς θεὸς οἶδεν ἀριθμόν
Καί σοι ἀεὶ παρμέμβλωκεν νύκτας τε καὶ ἦμαρ.
Τίπτ' οὖν ἠὲ μόρον κακὸν ἤε τι ἄλλο δέδοικας;
Τοιοῦτον πάσαις ἐνὶ πομπὸν ὁδοῖσι κιχήσας.
Θάρσει. ζήσεις γὰρ καὶ εἰν ἀΐδαο δόμοισιν.
Οὐδὲ μελαγχλαίνου πεδάαν κῆρες θανάτοιο
Τοσσοῦτόν σε δυνήσονθ', ὥς μὴ δεσμὸν ἀλύξαι.

Ητοι γὰρ χρόνος ἐσθ', ὅθ' ἑὴν ἐς σάρκα ἕκαστος
Λύσσεται ἐκ νεκρῶν, ζωὸς κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός.
Εσθλ' ἵν' ἐγερθέντες βίον ἄφθορον αἰὲν ἔχωσι,
Νικηταὶ κόσμου τ' ἀΐδος τ' ἐρέβευς τε μόρου τε,
Οὐκ οἷοι, διὰ δὲ χριστὸν Θεοῦ υἱὸν Ἰησοῦν.
Τούσδε κακοὺς νὺξ κυκλώσει ἔρεβός τε σκότος τε.
Αὐτὸς δ', ὦ φίλοι, αὖτε κρινεῖ, οὕτως ὅ φιλήσας,
Αἰθέρος ἐκ προφανεὶς νεφέων πυρόεντος ὁμίχλης
Χερσὶ κεραυνὸν ἔχων, σὺν πλήθεϊ οὐρανιώνων.
Ενθα διακριθέντας ἑὸν ποτὶ δῶμα κατάξει
Αὐτῷ πιστεύσαντας, ἑῷ τ' ἔπει ἐμβεβαῶτας,
Λειδίσσων ἐχθρούς, κακίαν τ' ἀπο πᾶσαν ἀμύνων.
Τῶνδε μετ' οὐ τέλος οὐδὲ χαρᾶς ἔστ' οὐδὲ πόνοιο.
Οἱδ' ἀγαθ' ἔξουσιν τιμὴν καὶ δόξαν ὀπίσσω
Οττ' εὐεργεσίησι γέρας καὶ κῦδος ὀπήδει.
Οἱδ' ἀσεβεῖς κλαύσουσι κακῶν ἕνεχ' ὅσσα ἔωργαν.
Οὐδ' ἔτι παυσωλὴ ἀχέων ἔσετ', οὐδ' ἀλεωρή.
Ταῦτ' ἐνὶ βάλλεο φρεσσί τε ᾗς καὶ μήποτε λήθῃ
Σεῦ ἄπο αἱρείτω, μηδ' αὖ περὶ τῶν δ' ἀπορήσεις.
Μύσος γὰρ χαλεπόν, ψεῦδος φάσκειν Θεοῦ αὐδήν.
Τοῦτο γεμὴν ἔσετ' οὔθ' ἅλιόνγ' ἔπος οὔτ' ἀτέλεστον.
Ενθ' ἄρα τῷδε βίῳ θείου μένετ' ἐντὸς ὁμίλου.
Ενθα λόγος Θεοῦ οὐράνιος κηρύσσεται αἰέν
Αψευδὴς, ἀμετάβλητος, Θεὸς αὐτὸς Ἰησοῦς
Ητ' αὐτοῦ διδαχὴ στομάτων σωτήριος ἠχεῖ
Πρεσβυτέρων ἄπο. καὶ μετὰ λαοῖς ἱρὰ δίδονται
Σημεῖ' εὐνοίας πατέρος βασιλῆος ἀνάρχου.
Αὐτοῦ θ' υἱέος ἐκ γενετῆρος ἀειγενέταο,
Αἴδιον διὰ πνεῦμ' ἅγιον πιστῶν παράκλητον.
Πρῶτον μὲν γνώσῃ παλινόρσου λοῦτρα βίοιο,
Καὶ γένεσιν θνητοῖσιν ἄνωθε φορούμενον ὕδωρ
Νάματος ἀγλαοποιοῦ, ἁμαρτονίβοιο, διαυγοῦς.
Δεύτερον αὖ δύναμιν κλειδοῦχον, τῇ ἔπι κεῖται
Ανθρώποισιν ὄλυμπον ἀνοίγειν ἠδ' ἀποκλεῖσαι.
Καὶ τρίτον οὐράνιον δεῖπνον, τῷ κύριος αὐτὸς
Εστιάων τε τροφή τε πάρεστι, διδοῖ γὰρ ἔδεσθαι
Σῶμ' ἴδιον (μέγα θαῦμα βεβήλοις) αἷμά τε πίνειν
Τοῖς ἐπὶ ταῦτ' ἀχθεῖσιν ἐν ἐκκλήτῳ συνομίλῳ.
Ενθα μέν, ὅστις ἁμαρτήσεις καταδάκρυα λείβων
Εκ κραδίης θρήνοισι κατεῖπεν, τόν δ' ἀπολῦσαν
Ῥῆμα Θεοῦ πιστῶν αὖθις κοινωνὸν ἔθηκεν.
Ενθα δὲ πᾶς τις ποιεῖτ' εὐχὰς ἠδὲ δεήσεις
Κύριος ὡς ἐκέλευσε καὶ ἐξεδίδαξε μαθητάς,
Ωστε προσεύχεσθ' ὧδε. πατὴρ ὢ ὢν ἐν ὀλύμπῳ
Τοὔνομα σεῖ' ἁγιασθήτω, πάτερ ἡμέτερ', αἰεί.
Ερχέσθω σέθεν ἀρχέβιος βασίλει' ἀπέραντος.
Καὶ τὸ θέλημα γενηθήτω τεόν, ὡς ἐν ὀλύμπῳ
Οὕτω καὶ γαίης ἔπι πανταχοῦ. ἄρτον ἐπ' ἦμαρ
βόσκων σῆς ἀγέλην πάρεχ' ἡμῖν ἄφθονον αὐλῆς.

Πάντως δ' ἡμετέρας ἄφες ὦ πάτερ ἤπι' ὀφειλάς
Καὶ γὰρ ἰδοὶ τόδε ποιοῦμεν πρὸς τοὺς πέλας ἡμεῖς.
Μήδ' ἡμᾶς πείραζε κακοῖς μογεροὺς πρὶν ἐόντας,
Ῥῦσον δ' ἐκ καμάτων θ' ἡμᾶς ἐκ τοῦτε πονηροῦ,
Ὦ πάτερ, ὦ βασιλεῦ ἔνδοξ' ἀρετῇ δυνάμει τε.
Οὕτως οὖν τις ἐπιστρωφάσθω. Τῷ δ' ἄρ' ἔπειτα
Ὄλβος ἀπειρέσιος ζωὴ τ' αἰώνιος ἔσται.
Οὐ δὲ βλαβήν τι δύναιτο κακόν ποτ' ἐνεγκέμεν οὐδέν,
Ἵλεω εὑρόντ' αἰῶνος κόσμοιο θ' ἅπαντος
Κύριον, ἀρχηγόν, βασιλῆα, δι' υἱέος ὕπερ
Μεσσεντὴν ἔχομεν πρὸς ἐκεῖνον μοῦνον, Ἰησοῦν
Ἐλθόντ' εἰς χθόνα θνητὸν ἀπ' ἀθανάτοιο γενέθλης
Εἵνεχ' ἁμαρτωλῶν, ἵνα τοι σώσειεν ἀλιτρούς.
Χαῖρε θε' ἄμβροτε χριστέ βροτῶν μόνε σῶτερ Ἰησοῦ,
Χαῖρε καὶ ἡμετέρας εὔνους ἀπόπαυε μερίμνας.
Ἰωαχεῖμος καμεράριος.

---

50. Des Camerarius Catechesis von 1551 resp. 1563.

Catechesis seu initia doctrinae in ecclesia Christi graece, iterum nuperedita et nunc primum in sermonem Latinum conuersa. . . Lipsiae in officina Voegel.

De libello catecheseos (quae sunt initia doctrinae ecclesiasticae) Graeco in Latinum Sermonem conuerso, ad Lectores.

Hier heißt es nach einer langen Ausführung über den Fürsten Georg von Anhalt: Sed quia sciebat esse unam, ueram sanctamque ecclesiam tanquam castam uirginem, sponsam filij Dei Domini nostri Jesu Christi, plurimum referre arbitrabatur, eorum qui in utraque illa gente pij doctores fuissent, quorumque scripta ad nos peruenissent, de ueritate celestis doctrinae perpetuum et catholicum consensum et ipsum extare, vt secundum sacrarum litterarum oracula propheticis et apostolicis libris comprae-hensa, de hoc ipso, controuersiarum quaestionumque commotarum quasi caligine iam offusa, quod uerum, certum, rectum esset, clarius eluceret. Itaque autor hortatorque et impulsor fuit, vt ijs capitibus, quorum consummatione explicari initia doctrinae christianae solent atque debent, perscriberetur graeco sermone ratio atque tractatio illius in his regionibus. Quod opusculum non ita diu ante obitum illustriss. Principis Georgij, approbatione et laeticia illius singulari, Lipsiae est editum. Et nunc denuo aliquanto accuratius. Atque est intellectum Latinam etiam interpretationem requiri, quam hic libellus modo exhibet. Sane in graecis opera data fuit, vt ijs uerbis atque orationis quoque figuris omnia exponerentur, quibus autores doctrinae Ecclesiasticae vsi essent. In latinis vero tam solicite, et, vt ita loquar, anxie seruatum hoc non est, ac tentatum potius, vt sententia Graecorum explanaretur. Itaque etiam scrip-turae loca non ijsdem omnia verbis quibus extant in libris autenticis referuntur. Nam interpretationem diuersam alicubi fore explicationis instar, visum est. Facient autem quemadmodum speratur, quod operae precium sit, studiosi religiosae pietatis, si Graeca cum Latinis contulerint. Ita enim cognitio scientiaque perfecta capi poterit earum rerum quae huius libelli expositione traduntur. De quo plura commemorari non est necesse, experimentum autem profecto neque illiberale neque poenitendum est futurum. Perscr. Anno Christi. M. D. LXIII. Mense Sextili.

De doctrina salutis, quod est Euangelium.

Quo tandem igitur deferemur, aut quomodo saluabimur? Nunquid vniuersi simul interituri sumus? Minime nos quidem interituri sumus vniuersi, sed saluabimur potius obtemperantes verbo Dei et oboedientes sermoni. Nam diuinae literae vbique Saluatorem nominant Deum, cunctorum quidem hunc quodammodo, sed fidelium simpliciter. Ac scriptum est perspicue, Quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit. De hoc igitur iam dicendi tempus, omnia enim quae supra dicta, et alibi commemorata sunt, ea nihil afferunt prorsus vtilitatis, non adiunctis his, perinde ac si quis de ciuitate fortunata, aut agro fertilissimo multum cum aliquo collocutus, nihil explicet veritatis neque de situ, neque de via qua aditus sit, neque de ratione incolendi aut parandi, ac potius, quod neque accedere neque assequi quisquam possit, et alias plurimas difficultates enarret. Nam hic nihil quicquam profecerit, ac fefellerit tantummodo illum, aut studiose illuserit, aut extrema molestia atque desperatione compleuerit. Cum igitur in supra dictis annotatione nostra indicatum auxilium sit, conantibus nobis considerare quae esset legis perfectio, illuc nunc reuertamur. Et sine dissimulatione dicamus, quod proprijs viribus et suis, nemo omnium hominum possit perficere diuinas praeceptiones. Et ideo Christus pronunciat hominibus salutem non esse parabilem. Proinde relinquitur veritatis salutaris sermo, et diuina gratia curans nos et ad Deum nobis iam propitium redditum adducens. Et haec est secunda doctrina, et nouum pactum, et altera praeceptio, per quam ab initio genus nostrum eripuit de morte sermo Dei. Et hoc ipsum Euangelium est regni Dei, cuius per verbum participes et haeredes, omnes qui verbum suscipiunt, et in illo filij Dei fiunt adoptione, quemadmodum Johannes ait, Quicunque susceperint eum ijs dedit potestatem, vt fierent filij Dei, credentibus in nomen ipsius. At verbum hoc est aeternum, Ergo est Deus ipsum quoque. Hic igitur est filius Dei, qui semper pro genere humano fuit supplex et intercessor, et deprecator, qui et placauit iram patris, et illi reconciliauit miseros, sanctificationem et hostiam atque sacrificium ipse se ipsum offerens, et tradens pro hominibus. Hoc verbum Dei semper fuit, et veritatem de Deo patefecit mundo, et accenso lumine in tenebris demonstrauit uitam. Huius interpretationes sunt doctrinae pronunciatae a patribus, regibus, sacerdotibus, Prophetis. Hic est qui Adamum praecipitatum in mortem per peccatum, eripuit ex inferno,
D 1. promissa victoria aduersum tunc victorem anguem, a se homo cum factus esset. Hic est qui iustum Noham in arca conseruauit. Hic est qui apparuit Abrahamo, et de semine benedicto, quod futurum erat vt ipse existeret, praedixit. Hic est qui Lotum de exitio Sodomorum liberauit. Hic est qui locutus fuit cum Mose, et iussit educi Israelitas ex Aegypto. Et ne deinceps omnia enumerare conemur, Hic est vnicus interpres sapientiae, et Dux copiarum Dei, fuitque cum hominibus semper. Hic homines edocuit veritatem de Natura et voluntate Dei, promissa sua in carne temporibus opportunis praesentia et curatione in terra. Est autem doctrina haec. Deum esse vnum et indistractum et immutabilem et inuariabilem et aeternum, cuius sint tres hypostases, id est proprietates seu personae, patris et filij et spiritus sancti. De quo scilicet postea plura

dicentur. Sed voluntas huius est, quemadmodum omnia condidit per filium, ita etiam reparare per eundem quae perierant, et resuscitare quod collapsum fuerat, et sanare morbo correptum, et reformare corruptum. Et haec est doctrina fidei, non executionis operum secundum designationem legis. Nihil enim definit de operibus, quibus peractis aut omissis felix et beatus fieri aliquis possit, sed iubet tantum misericordiam Dei apprehendere, et audire loquentem Dominum, et credere, quod verbum aeternum filius Dei Deus vnus sit et solus saluator omnium, quicunque accipiunt salutem quae distribuitur, neque refutant donum Dei in fiducia erga ipsum. Oportet autem eum qui salutem consequi debeat reperiri in hoc conuentu fidelium, et non abalienare se a diuina gratia et beneficentia filij Dei, et consolatione sancti spiritus, aut ita vt prorsus infidelis sit, aut in fidei imbecillitate secure et negligenter perseueret. Quemadmodum autem vetus legalis pacti constitutio, cum formidine et operibus coniuncta, obiurgatrix est et poenarum exactrix, ita noui cum fide et caritate, consolatrix est et absolutrix, ista semper et fuit et erit vera pietas honorque et cultus Dei. Aliae autem religiones vniuersae, tantum abest vt placeant Deo, vt nihil ad iram prouocet magis omnium quam illae. Nemo fuit autem vnquam, neque futurus est gratus Deo, nisi in communitate huius pacti, et extra hoc saluari nemo poterit quisquam. Fuit autem scilicet haec doctrina occultior et secretior, antequam verbum Dei carnem assumeret, et coram cum hominibus versaretur, et nobis in praesentia hac exquisitione opus non est. Ea vero quae tendunt ad salutem nostram verbo illo in Mundum iam misso, consideremus et discamus, seperantes immensum in modum has doctrinas, Legis inquam operum et fidei seu gratiae, quod est Euangelium salutis. Non enim inter haec tantum D 2. montes et mare spaciosum, vt dicitur, sed quam longe celum a terra distat, tantum inter haec duo diuini sermonis capita interuallum esse existimandum, et accurate intelligendum est, tam principia quam finem, inter quae maximum est discrimen: siquidem et veritatem attingere propositum est, et ex hac omnis salus existit, quae est redemtio et liberatio filij Dei, sicut scriptum est, veritas liberabit vos. Eius igitur legis quae proprie mandatorum dicitur, constitutio, principium habuit sententiam atque voluntatem iusti Dei, et eius, qui vt condiderat ad similitudinem suam hominem, sic vellet et postularet vt in hac permaneret, et finis additus est, elaborare et seruare et perficere omnia quae iniuncta sunt secundum voluntatem legislatoris. Hoc autem cum iam propter peccatum quod procreationis initio et primi satus origine nobiscum accreuerat, nullo studio nullisque viribus humanis praestari posset, reliquum erat scilicet, vt supplicium sustinerent peccatores, et vt morte quidem multaretur corpus, Anima autem cruciatus et tormenta sufferret sempiterna. Terrenam enim partem oportebat in terram reuerti ac resolui, vnde fuerat accepta, spiritualem autem quam Deus contulisset, inspirato in faciem primum conditi hominis spiramine vitae, quod recessisset a Deo, per se quidem horrendis supplicijs coherceri, et rursum indutam corpore vna cum hoc in infinitis afflictionibus perdurare, erat consentaneum. Tunc igitur Dei filius auertit intercessione sua interitum hominum, et placauit iram patris, et a se ipso obtulit satisfactionem. Atque ita secunda gratiae et caritatis Dei vox, et verbum alterum prolatum, et nouum pac-

tum sancitum fuit, non iam cum ijs qui operibus vacarent aut legitimis edictionibus misere conficerentur, in perpetua formidine ac trepidatione, sed ijs qui expectarent misericordiam Dei, et credentibus in filium, et per oboedientiam ac religionem degentes vitam reliquam pie et sancte super terra, semper decertantes aduersus diabolum, et bellum gerentes cum carne, hoc est ipsi secum, ductore quidem et principe sancto spiritu, modeste autem et ordine sequentibus illis ipsis. Hi enim idonei redduntur ad exequendam voluntatem Dei, non tamquam ex sese, sed in eo qui perfecit omnia, filio Dei. Omnis enim palmes qui non manserit in vite, infructuosus et aridus, in ignem proijcitur. Et ipse filius Dei dicit, sine me nihil potestis facere. Probatur autem tunc Deo pietatis studium, et id quod reliquum est peccati, et naturalis ac cognatae prauitatis, non imputatur credentibus in filium, in quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum. Qui nos aliquando abalienatos et inimicos cogitatione in operibus malis, nunc reconciliauit in corpore carnis
D 8. suae per mortem, vt redderet nos sanctos et irrepraehensibiles et inculpatos coram se, permanentes quidem in fide fundatos et stabiles, et non recedentes a spe Euangelij, inquit sanctus Paulus scribens Colossensibus. Et idem in epistola ad Romanos ita ait, Nihil igitur iam condemnationis ijs qui sunt in CHRISTO IESV, non ambulantibus secundum carnem, sed secundum spiritum. Nam lex spiritus vitae in CHRISTO IESV, liberauit me a lege peccati et mortis. Nam quod lex non poterat, in quo per carnem erat infirma, Deus misso filio suo — sed secundum spiritum. Verbum enim gratiae ac misericordiae et caritatis, proprium est et peculiare filij. Et hoc nouum pactum quod ipsius semper fuit, ex quo filius Dei assumsit genus humanum (cui et affuit semper, neque desijt vnquam praeses esse illius, neque ipsum reliquit expers respectus sui) confirmatum fuit et obsignatum sanguine filij DEI, qui nostram carnem vere et re ipsa assumsit, et qui factus est homo de semper virgine Maria, quemadmodum et deinde dicetur. Huius etiam, quemadmodum et veteris erant cum alia tum circumcisio, signa sunt, formale quidem, communicatio corporis et sanguinis ipsius accedentia autem imprimis ipsumque baptisma, et potestas clauium. De quibus quidem proprio et conueniente loco plurimus disseremus, in praesentia vero ea quae adhuc desunt supra dictis adijciemus.

V 7. ## De sacramentis quae sunt Graecis Mysteria.

DIcendum est aliquid hoc loco de ijs quoque quae sacramenta Latine, Graece mysteria appellantur. Cum autem res propter cumulatas fallacias, magis ignorantiae quidem quam improbitatis (quae tamen nihilo minus et ipsae mortiferae sunt) prolixam disputationem requirat, nos vt tali in institutione ab ea copia quae in medio est solis necessarijs recisis, breuiter ea commemorabimus, quorum simpliciores quoque ignaros esse non opportet. Ac primum, quemadmodum par est, de nomine dicemus. Mysterium igitur (siue ab verbo idem significante quod in sermone Latino Mutio, cuius futurum tempus est myso, seu ab alio verbo, quod significat oculos claudo seu conniueo, interposita litera S quemadmodum in nomine, in quo significatio est conspuendi) proprie significat venera-

tionem arcanam, quam non liceat enunciando proferre ad externos. Qualia initia quaedam fuerunt arcana apud Ethnicos, vt Eleusinae, et in Samothracia. Quique participes essent horum symmystae, non participes vero amyeti vocabantur. Translate autem quicquid non apparet, et ignoratur, et est occultum, dicitur mysterium. Et scriptoribus quidem Ecclesiasticis, Mysterium est, Actio oculis exposita, contemplationem habens spiritualem. Paulus vero Apostolus vsus est dictione hac in vtraque significatione. Cum enim ait: Dei verbum esse mysterium occultatum a saeculis et generationibus, indicat id quod eatenus ignoraretur et occultum esset, tam de assumenda a verbo humanitate, quam vocatione Gentium. Similiter vbi ait: Loquimur sapientiam Dei in mysterio, occultatam illam, et de resurrectione inquiens: Ecce mysterium vobis dico, id ostendit quod vulgo notum et perspicuum non esset. Cum vero ait, Mysterium istud magnum est, Ego autem dico in Christum et Ecclesiam, intelligi vult aliud dici quod deducat ab apparente ad maius quippiam. Omnes autem ferme Ecclesiastici scriptores, vt diximus, vsi sunt nomine tantum in hac significatione, et sic apud Dionysium ponitur (quicunque tandem hic est, et vndecunque librum illum excerpendo effecit, nisi ipse forte exposuit inuenta cogitationum suarum) in illis quibus exposuit quadam doctrinae arcanae ratione ea quae absoluerentur ritu initiorum seu arcano modo peragerentur, in sui nimirum temporis Ecclesiastica consuetudine, cum sic quidem de his scripserit, vt illa disputatio exquisita consideratione indigeat, neque quae dicuntur temere sint admittenda. Sed de his quaeretur fortasse, volente Deo, quando curae erit non ficte et ex animo, vt dicitur, praesidentibus correctio status Ecclesiastici. Hoc autem fieri non potest, priusquam audiatur et intelligatur veritas sanae doctrinae, et eijciantur mendacia, et quaeratur sola gratia Dei. Ista igitur in praesentia omittamus, et videamus quae Mysteria appellarit proprie Ecclesiasticae doctrinae vsus. Sunt autem duo haec potissimum: Baptisma et Coena Dominica, quam aliqui tremendam nominarunt, propter primam illam, qua vna cum discipulis suis Christus coenauit, eam enim plurimi tremendam appellare consueuerunt. Interdum et nomine eo vocant, quo mutata figura significatur, quod iam agantur vere ea, quae in vetere TESTAMENTO figurate essent prius quasi imaginibus expressa. BAPTISMA quidem vt mutatam figuram obtineat, siue conseruatarum octo animarum in aqua, quemadmodum in prima et secunda epistola Petri scriptum est, seu transitus Israelitarum per mare, sicut ait Epiphanius, A Mose, scilicet et mari incepisse figuram, a Johanne apertam esse figuram, in Christo perfectum esse donum: Coena vero Dominica vt habeat antegressam figuram, prolatum a Melchissedeco panem et vinum, sicut idem vult Epiphanius. Vel quemadmodum alijs visum, agni manducationem in Paschate. Oportet igitur constituta definiendo significatione ita dictione seu nomine vti, ne forte ambiguitas caussam nobis det fallaciae. Vocamus ergo nunc Mysterium, actionem praecepto mandatam verbis expressis, et ordinatam a Christo, quaeque necessario in Ecclesia peragenda sit semper, in confessione fidei communis, obsignantemque promissionis sermonem, et renouantem reminiscendo efficacitatem gratiae diuinae. Ex quibus sane patet, quod quae proprie Mysteria vocantur, ea sint duo ista, immutabilia propter expressa verba ordinationis atque

V 20 8.

mandati, sacram actionem doni effugientis visum et omnem sensum corporis, atque gratuiti muneris, oculis et sensibus subijciens, in Ecclesiastica communione, vtentium secundum verbum Domini, qui ordinauit. Quod enim in his cernitur foris, id corpore, quod interius autem occultatur, id spiritualiter percipitur, et applicatur illud quidem sensu, hoc vero fide.

X 1.

De Baptismate.

BAPTISMA itaque lauacrum est aquae ad sensum, ordinationem habens verbi Dei iubentis baptissari omnes gentes, et promittentis peccatorum remissionem, secundum haec. Profecti igitur instituite — sancti Spiritus. Et quemadmodum illi apud Judaeos ante Christi aduentum in carne, signum habuerunt circumcisionem, quod esset sigillum iusticiae fidei in eum qui venturus erat, ita Baptisma sigillum est iusticiae fidei in eum qui venit, et consummauit salutis promissionem, vt sancti et puri decaetero expectemus iudicium et vitam futuram sempiternam. Non tantum ergo sigillum fuerit, secundum Theologum tanquam conseruatio et consignatio dominij ijs qui alterius potestati subditi sint: Sed sigillum cunctis Gratiae, et confirmatio promissionis, et ratificatio spiritualis diuini doni, quae mersione corporis peragitur. Quapropter et sanctus Paulus lauacrum appellat regenerationis et renouationis spiritus sancti, quem, inquit, Saluator noster Deus, qui per istud lauacrum nos saluos fecit secundum misericordiam suam, effudit in nos opulente, per Jesum Christum, saluatorem nostrum, vt iustificati — vitae aeternae. Et Apostolus Petrus ait, baptisma saluos facere, quatenus sit stipulatio ad Deum per resurrectionem Jesu Christi. Quod plane proponit fidei in baptismate confirmationem, qua interrogat Deum conscientia et orat cum fiducia, non magis fugiens neque pauens, sicut Adam conscius peccatorum suorum sibi. Appellarunt autem baptisma (in quo consepelimur cum Christo, vt ait Apostolus Paulus, et abolentur per aquam ac spiritum sanctum, sordes peccati.) Theologi veteres, Donum. Datur enim liberaliter cum prius nos nihil attulerimus: Et gratuitum munus, confertur enim hoc delicti et lapsus remissio obnoxiis poenae persoluendae: Et vnctionem propter spiritualem sanctificationem, et regni principatum: Et illuminationem. Expulsio enim est tenebrarum et ignorantiae et ortus illustris veritatis spiritualis: Et amictum, nam qui baptissantur ij induunt nouam creaturam: Et solutionem seu liberationem, vincula enim baptissatis sunt detracta. De nomine vero lauacri et sigilli, dictum est. Et similiter ex ijs quae sunt commemorata, intelligere aliquis possit, cur initia et initiorum institutio seu doctrina, actio haec appellata fuerit. Est autem eximium nomen luminis, et illuminationis, quod tunc illuminentur tenebricosa omnia, a lumine spiritualis cognitionis, et veritatis coelestis. Et epistola scripta ad Hebraeos appellat illuminatos semel, eos
X 2. quibus baptissari contigerit. Atque fieri omnino posse negat, vt hi prolapsi renouentur ad poenitentiam, id est, quemadmodum plurimi interpretati sunt, vt rebaptissentur. Nam et renouatio est haec actio, et ita nominatur. In Christo enim noua est creatura, et lauacrum est istud renouationis spiritus sancti, vt prius est dictum. Habemus igitur et

actionem et vsum renouationis istius integrum simul aqua cum affunditur, simul cum recitatur verbum Dei, secundum ordinationem eius qui iussit. Atque est praecipue Baptisma hoc quod diximus, consequens autem est, et accidit his vt et nota quaedam sit ista, de qua constet confessio, et coniunctio fidelium, atque adeo ad Deum conuentio de vita alia. Significat autem nomen Baptismi etiam abstractionem et demersionem subter aliquid humidum, vt cum ait Josephus, Aristobulum fratrem Mariamnes mortuum fuisse, cum iussu Herodis a Gallis mergeretur in piscina. Significat et diffusionem ac aspersionem, vt cum de ebrijs hoc verbo vtimur, qui madidi sunt a potu. Non est autem hoc obscurum, quod eos qui illuminarentur, ter demergi constitutum fuerit, propter Arianos. Nouimus vero vnum solum salutare baptisma. Quod vna sit, secundum sanctos patres, Mors pro mundo, et vna de mortuis resurrectio. Quamobrem vsurpatam iterum lauacri huius purificationem et rebaptissationem non admittit catholica Ecclesia Christi. De baptismo autem paruulorum, satis nobis sit, cum Ecclesiae catholicae ritus, tum verbum Dei quod plane docet etiam paruulos admitti a saluatore, et quod extra communionem Ecclesiasticam nemo saluus fiat, quodque huius principium atque fundamentum sit Baptisma. Estque paruulorum fides vel communis Ecclesiae, vel peculiaris etiam diuinitus donata, quemadmodum prorsus et in aetate prouectio. Non enim ista humana cogitatio est. Confessio autem seu professio ore suscipientum seu recipientum tunc merito fit, tanquam in plena copia Ecclesiasticae cognitionis et religiosae mentis, quemadmodum scimus, et antiquissimam hanc traditionem habemus, vt eum qui noui quippiam moliri hic audeat, neque religiosum neque Christi amantem esse statui, sed post admonitionem vnam atque alteram, tanquam haereticum, secundum apostolicum praeceptum, vitari oporteat. Atque de his satis.

De Coena Dominica.

DE coena autem Dominica ordinatio exposita est planissime, tam in Euangelicis historijs quam apud Paulum. Estque ambiguum aut obscurum in his nihil. Vt mirari aliquis vel indignari quoque possit considerans x 3. audaciam, et eorum qui actionem hanc veluti mutilando lacerarunt, et eorum qui vim eleuarunt. Est autem actio manifeste ordinata verbo iubente comedere de pane illo, et bibere ex poculo illo. Verbum autem dubitationem non admittit: Esse panem corpus Christi, et poculum esse sanguinem ipsius. Ad eos sane qui amputant vnam partem ordinationis diuinae, ne disputatione quidem vtendum, sed auersandi isti sunt omnino, vbi hoc modo dixerimus: Tu quis es? qui non vereris non iam respondare Deo, sed fabricando contraria et corrumpendo opus ipsius furiosi instar impudens es. Alijs non vesanis illis quidem, veniam dans quispiam et admonens eos dicere possit: Vos cur imperuestigabilia exquiritis? Neque est satis vobis guttam hauriri ex mari cognitionis rerum diuinarum? Quare autem omisso verbo simplice et plano circumspicitis vnde schema aut tropum afferatis illi, quod scriptum est? Sed dicetis: Visum esse optimum figuratam amplecti locutionem, propter perperam introductas transsubstantiationes et transformationes. Atqui satius erat amplecti sim-

plicem elocutionem verbi Dei, quae non eget tropica allegoria, sed pia contemplatione. Quemadmodum igitur filius Dei, homo factus est, et passus carne, et resurrexit ex mortuis, et assumptus in celum, sedet e dextris patris omnipotentis, reuera et sine omni allegoria atque commento, et ficta animi intelligentia, non tamen ille circumscriptus loco aut cogitatione humana, sed ita vt capere vlla creatura, et effari elocutio, et compraehendere mens hominum nequeat: Sic et corpus et sanguis Jesu Christi, distribuitur in Ecclesia secundum ordinationem Dominicam, vere quidem et reipsa, non tropica aut figurata verborum significatione, sed indicio simplicis significationis, sic tamen vt explicari exponendo et animo percipi non possit, vt superet omnem humanarum cogitationum compraehensionem, in communi fide Ecclesiae, secundum efficientiam diuinae potentiae aeterni et omnipotentis verbi Dei, quod semper praesens et auxilio fuit humano generi, et suis temporibus versatum est in terra, Domini nostri Jesu Christi. De his autem quemadmodum neque de vllis alijs, quibus in Ecclesia fides debetur, non possumus ex proprijs cogitationibus disserere, sed de scripturarum consequentia, vt ait Epiphanius. Et sancti patres omnino sic verba fecerunt de praesentia veri corporis et sanguinis CHRISTI, vt impudens valde existimandus sit, qui aliter sentire et docere audeat, nisi se separare velit a recte sentiente et
X 4. catholica Ecclesia. Distribuitur igitur in Dominica coena vere ipsius Christi corpus, quod comeditur, et sanguis qui bibitur, et ipsam rem pietatis religiosae fides, quam nulla humanae mentis facultas compraehendere possit, intelligit sola, non fieri haec ficte aut figurate tropico quodam commento, sed vere secundum verborum intelligentiam, et qui non credit, quemadmodum ait Epiphanius, esse verum ipsum, quemadmodum dixit, is gratia excidit, et salute. Vbi vero audierimus et crediderimus, credimus quod sit ipsius. Dominum autem nostrum nouimus, totum sensum, totum sensu praeditum, totum Deum, totum mouentem, totum efficaciter agentem, totum lucem, totum eum qui compraehendi nequeat, sed qui istud nobis cum gratia donauerit. Haec Epiphanius. Non igitur hoc loco requiritur sapientia aut superuacanea intelligentia humana, sed oboedientia, atque fides, ne forte procacioribus disputationibus profanemus sacra, et prodamus saltando arcana, id est ne excidamus veritate et gratia, supra id quod oportet efferentes animos, et vacantes quaestionibus magis quam aedificationibus. De his igitur hactenus oratione vsi modesta, ita reliqua persequamur. Reliquum autem est vt de salutari adhuc vsu COENAE DOMINICAE uerba faciamus. Quod igitur et sigilli locum obtineat, ex eo quod scriptum est discere licet. Hoc est corpus meum, pro vobis datur, hoc faciete ad mei recordationem. Et: Hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur ad remissionem peccatorum. Perspicua est igitur regula, Quod sentientes onus peccatorum, confugere debeant ad remissionis promissionem, et festinare ad hanc renouandam, vt obsignetur in ipsis semper beneuolentia et gratia diuina. Et sit simul ista memoria eius arcani in quo est liberatio seu redemtio per sanguinem Christi remissio peccatorum, quia vocati sumus a Deo ad communionem filii ipsius Domini nostri IESV CHRISTI. Itaque corpore communicamur cum Christo participantes corpus ipsius, et corroboramur fide bibentes sanguinem in Ecclesia

ipsius. Et gratias agimus Christo simul et fideli Deo, qui et gratiam opulente in nos effudit, et promissionem salutis ac vitae praestitit absque omni defectu, et praedicamus continue donum mortis ipsius, donec hanc vitam degimus, et praeter omnia haec caritatem et beneuolentiam (quae complexus gestu apud veteres indicata fuit) ratam facimus inter nos, qui perpetuo communicamur nobiscum et vnimur cum Christo. Nam poculum quod benedicimus, inquit Apostolus Paulus (id est quod benedicendo celebrantes Dominum, tenemus in manibus) nunquid communicatio — — X 5. communicatio corporis Christi est? Quia vnius panis vnum corpus nos multi sumus. Estque ex consequente, ista nota et hoc signum manifestum consensus per confessionem in fide Christianorum et separatio Christiani coetus atque conuentus, ab alijs omnibus congregationibus et congressibus publicis. Atque haec cuncta tam ab ipso Christo quam Apostolis tradita esse ad hunc modum planissime ipsis appellationibus nominum ostenditur, quas accepimus: Communionis (est enim communio ista Christi nobiscum, et nostra inter nos mutuo) et benedictionis, et gratiarum actionis, quod participantes benedicunt gratias agendo ei, qui sese ipsis donauit: et coenae Dominicae, quod istud sit spirituale conuiuium, et fidelis beneuolentiae, et caritatis non simulatae, in communi religiosae pietatis gaudio et hilaritate, pertinente quidem ad eos qui se ipsos explorauerint, et ita comederint de pane hoc, et ex poculo biberint. Nam comedens et bibens indigne iudicium sibijpsi comedit et bibit, non discernens corpus Domini.

---

51. Nic. Selneccers Capita Doctrinae von 1561.

Capita Doctrinae Christianae, quae Catechismum nominamus, uersibus reddita, a Nicolao Selneccero, in aula Saxonica Dresdensi uerbi Dei ministro. Noribergae, in officina Joannis Montani & Vlrici Neuberi. M. D. LXI.

Praefatio. A 2.

Reverendi viri, pietate et eruditione insignis, D. Hieronymi Welleri, S. Theologiae Doctoris, Filio Hieronymo Wellero, Nicolaus Selneccerus S.

Dum illustrissimus Princeps noster Fribergae hisce diebus commoratus est, scripsi versiculos hos, quibus nostram Christianam *κατήχησιν* aliquo modo reddere volui, quamuis sint inserti nonnulli, quos dudum ante scripseram. Ad te vero, Hieronyme, mitto, vt sint versus hi qualescunque testimonium meae erga reuerendum senem, patrem tuum obseruantiae, et erga te beneuolentiae. Dicere non possum, quam me delectarit conspectus tui patris, *ὃς περὶ μὲν νόον ἐστὶ βροτῶν, περὶ δ' ἰρὰ Ιησοῦ*. Vtinam regio nostra tales haberet multos, qui suis precibus pacem ecclesiae et reipublicae a Deo impetrarent. At languescunt omnia. Deus solummodo semen nobis relinquat, ne omnino Sodomae et Gomorrhae aequemur. Accipies autem hos versiculos, Hieronyme, animo meo, quo tibi do, hoc est, bono et candido, simplici et beneuolo.

Aeternus pater Domini nostri Jesu Christi parentem tuum, suae Ecclesiae diu seruet incolumem, et studia tua regat, iuuet, et ad Ecclesiae emolumentum perducat. Fribergae, mense Julio, die visitationis Mariae. M. D. LXI.

A 3.

VERBA DECALOGI.

AETernus, solusque potens Deus, omnia complens,
Fons rerum, mens fine carens, mens edita nullo
Principio, sapiens, solus Deus, unus et idem,
In triplici numen simplex, et trinus in uno,
Qui uerbo motum spirante, hic quicquid ubique
Mundus habet, fecit, terramque et sydera coeli,
Flumina continuis semper manantia riuis,
Humanumque genus, uolucres, speciesque ferarum,
Et solus nutu mirando cuncta gubernat,
Quae fecit, nec forte sinit procedere, sicut
Fert fortuna leuis temere, uel casus oberrans.
Ille Deus, qui cuncta potest, cui cuncta ministrant,
Omnibus haec dicit memoranda oracula legis.

I. SVm Deus omnipotens, qui primum exordia rebus
Prima dedi, Deus aeternus, suprema potestas
Solus, et haud alijs concedens nomem honoris
Diuini, mihi quod soli debetur et uni.
Audi, mortalis, soli seruire studebis
Tu mihi, non alijs, tu me cole, meque celebra,
In me confidas, mihi te, tuaque omnia crede.
Non tribuas iussos falsis insanus honores
Numinibus, sed me solum, me semper adora.
Nam tuus ipse Deus tibi sum, seruator et autor,
Sum Pater, et Dominus uera pietate colendus.

II. Tu ne forte meum frustra tibi sumito nomen,
Lingua nec id temere uano tua proferat usu:
Quod semper fuit, est, et erit super omnia summum,
Labe carens, sanctum, nulli uiolabile nomen.

III. Quae uolo, ne uioles externo sabbata cultu,
Sintque manus purae, sed mens sit purior illis,
Lux ea sacra mihi est, hanc puro pectore serua.

IIII. Praeterea si uis foelicem degere uitam,
Fortunaque bona quoties cupis esse beatus,
Victurus longos annos, et secula mille,
Tum uenerare tuos, qui te genuere parentes,
Et caue, ne meritos demas incautus honores,
Vt quoque quando tibi nascentur pignora, patrem
Te uenerentur, ament, uero dignentur honore.

V. Non odis flagres, nulli sis causa doloris,
Nec facies caedem, Deus est iustissimus ultor.

VI. Sit tibi coniugium castum, uiolare cubile A 4.
Alterius caueas, et spurcas excute flammas.

VII. Non facias furtum, contentus uiuito rebus,
Quas tibi coelestis tribuit clementia patris.

VIII. Decipe ne miserum mentito iure clientem,
Si fies testis, nil attestabere ficti,
Sit procul omne nefas, liuor, mendacia, fraudes:
Lingua placet, quae uera refert, nec fingit iniqua
Verba, nociua reo, damnumque ferentia fratri.

IX. et X. Non aliena petas connubia fraudibus ullis,
Aspiciens oculis thalamum flagrantibus astu,
Et pleno insidijs animo iuueniliter ardens.
Appete nec quicquam, quod summi gratia patris
Magna tuo tribuit ciui: dedit omnibus ille,
Quantum sufficiat, breuis et quod uita requirat.
Non agros non tecta, boues, iumenta, ministros,
Ancillasue petas. Nam certe est prima malorum
Causa cupido nocens, et amor sceleratus habendi.
Non alias aedes inuade, sit omnis habendi
Cura procul, nunquam te caeca cupido molestet.

Decalogus, Sapphicis versibus redditus.

MAximus, summusque Deus, paterque,
Vnus et trinus Deus, ac origo
Omnium, quae nomen habent ubique,
Talia dicit:

I. Sum Deus solus, Deus omnia explens,
Me colas, tu me celebres, et uni
Seruias, et non alijs Deorum
Nomine fictis.

II. Tu meum noli uiolare nomen,
Namque sanctum est et uenerabile omni.
Nullus impunis poterit manere,
Qui male iurat.

III. Sancta ne tu sabbata (nunc memento)
Negligas, nec temnito iura festi.
Sint manus purae, tua mens sed illis
Purior extet.

IIII. Si cupis longam retinere uitam,
Fac colas ex corde tuos parentes.
V. Non necem patres. VI. uiolesne lectum
Connubialem.

VII. Non petas furtis aliena: partis A 5.
Viue contentus. VIII. Mala uerba noli
Proximo, fratrique tuo nociua
Dicere mendax.

IX. Non domos inuade alias, sit omnis
Cura habendi a te procul. X. et nec ulla
Proximi forsan bona concupiscas
Pectore caeco.

Symbolum Apostolicum.

ESse Deum credo, qui uerbo cuncta creauit,
Qui Deus est triplici simplex in numine numen.
Et series operum mundi quem pulchra parentem
Testatur, quocunque uides, quocunque moueris.

I. Est pater aeternus, genuit qui lumine lumen
Aeterno gnatum, iustus, miserator, et aequus.

II. Filius aeterni patris est de lumine lumen,
Rex unctus, cum patre Deus, sacer atque Propheta,
Christus: et hunc uere sincero pectore nostrum
Esse scio Dominum: qui certo tempore natus
Virgine de Maria, motu sic flaminis almi,
Factus homo est: subijt ceu uictima funus acerbum.
Sub diro passus crudelis iure Pilati:
Atque crucifixus, tetrae mortisque nefandae
Durum onus expertus, tandem sub puluere putri
Tectus homo mortem destruxit: ad infera scandens,
Moxque, dies solem ueheret cum tertia rursus,
Ipse resurrexit: coelos ascendit in altos:
Et sedet ad dextram patris super omnia princeps,
Et Deus atque potens Rex: hinc uenturus ab arce
Aetherea iudex erit omni, siue sepulto,
Seu uiuo, soluet poenas, et praemia cunctis.
Insuper et credo, Flatum procedere uiuum
A patre, et a gnato, uerum Dominumque Deumque,
Qui facit, ut maneat constans ecclesia semper,
Sancta Deo percara, Dei cor, cordis amorque,
Haec ubi terrarum sit cunque, et dissita quanquam
Saepe locis seiungatur, tamen una, eademque
Sanctorum puro manet haec communio coetu,
In qua uera datur mihi condonatio culpae,
Et scelerum moles cadit, et mihi uita refertur,
Vita suo certe nunquam spolianda uigore.
Namque caro clauso de cespite uiua resurget,
Quando tubae clangor dulci me uoce uocabit.
Tunc aeterna dies aderit sine fine, Deusque,
Et pater, et gnatus, flamenque erit omnia in omni. Amen.

A 6.

Oratio Dominica.

O Pater, o aeterne Deus, regnator olympi,
Quem colimus patrem, qui nos sua pignora seruat.

I. Nomen ubique tuum uero celebretur honore,
O Pater, et nullo celebrari desinat aeuo.

II. Viuificumque tuum ueniat, Deus optime, regnum,
Fine carens, coeleste, potens, plenumque salutis.

III. In terris fiat tua magna et sancta uoluntas,
Angelici sicut parent ad iussa ministri,
Et quicunque colunt coeli commercia ciues.

IIII. Da Pater ipse tuae panem, tua munera, caulae,
Vt grex demenso, quod uita requirit, alatur.

V. In primis, Deus o clemens, pater optime, nobis
Da ueniam, miserere Deus, peccata remitte
Dantibus et ueniam, et facile ignoscentibus omni,
A quo facta fuit nobis iniuria crebro,
Ignoscas rursus, miseris succurre, furorem
Siste pater, ueteris dele contagia culpae,
Nec merito noxam patratam iure coërce.

VI. Tu quoque iuste pater, sis praesto, robora pressis
Suffice, ne rabido forsan tentemur ab hoste,
Qui multis sumus ante malis hinc inde redacti,
Et miseri satis in nobis, et carne uidemur.

VII. Denique ab aduersis clemens nos eripe rebus
Omnibus, atque tuo miseros defendito uultu:
O Pater, o uirtute potens, rex maxime regum.

Aliter.

DEus pater, clemens Deus,
Coelestis, alme, maxime,
Ad te preces has fundimus,
Oramus ut nos audias.

I. Nomen tuum, uocis tuae
Doctrina pura fulgeat,
Celebre sit uerbi iubar,
Vt norimus te filij.

II. Nos in tuo regno tegas,
Et spiritu tuo regas,
Satanaeque frange robora,
Tuamque serua Ecclesiam.

III. Fiat uoluntas nunc tua,
Vt in thronis coelestibus,
A 7. Sic in domibus terrestribus,
Carnis restingue incendia.

IIII. Hodie cibi da munera,
Panemque, potum, et quicquid est,
Quo uita praeceps indiget,
Vt sanitas, pax et quies.

V. Remitte nobis debita,
Quae nos diu conflauimus,
Vt omne debitoribus
Donamus omne debitum.

VI. Tentationibusque nos
Ne inuade, nec nos spiritu
Duci malo miseros sinas,
Nullo ualentes robore.

VII. Ab omnibus nos eripe
Malis, tetris periculis,
A morte tu nos libera,
Donaque uitae gaudia.

Amen libentur dicimus,
Firma fide qui nitimur,
Discedat hinc dubitatio,
Constans sit haec oratio.

Verba Baptismi.

ITe docete meum sincero pectore coetum,
Implete immensum totius orbis opus.
Ite, docete rudes, nobis adducite gentes,
Dicite: prostrato nunc scelus hoste iacet
Cuncta remissa cadunt uobis peccata, uicissim
Donatur fuso sanguine parta salus.

Credite constanter, resipiscite, quaerite rectum,
Corrigat et uitae crimina quisque suae.
Quisquis crediderit, quisquis baptisma salubre
Ceperit, ille meo sanguine saluus erit.
Qui non crediderit, detractae culpa salutis
Ipse est, et uitae munus habere nequit.

Verba Coenae Dominicae.

CHriste Deus, qui morte tua das gaudia uitae,
Ipse pijs factus mite salutis iter,
A 8. Traderet insontem cum te uox turpis Judae,
Talia uerba tuis nocte priore dabas:
Accipite hunc panem, quem cunctis porrigo uobis,
Pane sub hoc corpus sumite quisque meum.
Corpus idem, quod pro culpa nunc traditur omni,
Hic edite, et memores sitis ubique mei.
Sic calicem postquam grates egisset Jesus,
Discipulis simili motus amore dedit.
Accipite hunc, inquit, meus hic est sanguis, ab illo
Credite, non aliter, uita salusque uenit.
Hunc ego pro uestris peccatis fundo cruorem,
Quisque uelit tanti muneris esse memor.

De Coena Dominica, Dimetri Jambici.

QVi Christianus es, uide,
Quam magna sint miracula,
Quae Christus ipse protulit,
Coenam Dominicam cum facit.

Panem dat, et corpus suum
Sub pane dat: praesens adest,
Vere datur, sic sumitur,
Verbo reuelat ut suo.

Corpus, quod ipsi tradidit,
Hoc ad crucem uelut tulit,
Ex quo madens fluxit cruor,
Hoc corpus hic iam sumitur.

Sic ipse dixit, si negas,
Tunc ueritatem reprimis,
Christo, negans praesentiam,
Mendacij imprimis notam.

Non disputamus hoc uel hoc,
Nulli modus tantus patet,
Sit uera uerbi ueritas,
Mundus ruat, coelum ruat.

Juxta, sub, in, cum, traditur
Corpus tibi: quid hoc obest?
Nescire te praesentiae
Modum fateris hoc sono.

Non ulla nunc inclusio
Habet locum, Papistica
Nec transsubstantiatio,
Idolicum quoduis genus.

Nos uerba Christi amplectimur, B 1.
Christo fides nostro datur,
Christo manente ueritas
Victoriam constans habet.

Praesens datur corpus mihi,
Et sumo corpus traditum
Pro me, crucifixum tetre.
An uerba non sunt haec Dei?

Sed de modo, qui fiat hoc,
Nec tu nec ullus iudicet.
Adest homo, Christus Deus,
Corpusque uere assumitur.

Sic ipse dixit, tu negas,
Sed fortior quis quaeso erit?
Contra stimulos ne calcitres,
Res non caret periculo.

Sic uina dantur undique,
Sanguisque sub uino datur,
Vel iuxta, uel cum, sub, uel in,
Quis sic uetat me proloqui?

Et stultus es, lapisque iners,
Phantasticus, truncus duplex,
Si non pati uis formulas
Consolatorias, pias.

Profer tuam sententiam,
Si uis, Philosophe, intelligi,
De qua nec ullus certus est,
Nec esse poterit disputans.

Sed certus esse quilibet,
Et quoslibet contemnere
Facile potest, quicunque sit,
Qui uerba Christi consulit.

Tu Christe sic locutus es,
Tu Christe, uera ueritas,
Audite filium meum,
Dixit pater nobis tuus.

En ergo uerba sunt tua,
Nobis Asylon, arx, petra,
Veniant, et illa deleant,
Qui non uolunt quiescere.

B 2. Ades Deus coenae tuae,
Corpus tuum nos sumimus,
Modum tuae praesentiae
Miseri tibi committimus.

Corpus nec est hoc mysticum,
Typicumue, nec Phantasticum,
Non Symbolicum, sed corpus est,
Pro meque teque traditum.

Sic et calix sanguis tuus:
Vino datur sanguis tuus:
Hauritur et sanguis tuus.
Modus tuae est potentiae.

Nihil hic physicus, nil hic ualet
Mathematum professio,
Verbum audiamus coelitus,
Mundi ualeat sapientia.

De formulis non disputat
Pius, modo constantiam
Doctrina nunc custodiat
Veris piam sententijs.

Sed hae tamen placent pijs:
Panis sacratus corpus est,
Vinumque Christi sanguis est,
Juxta, uel cum, uel sub, uel in.

Nam cum modus praesentiae
Determinari a nemine
Queat, sic est Ecclesia
His usa semper formulis.

Sed additur, non et pios
Tantum, bonosque sumere,
Verum impios, Hypocritas,
Qui sunt uocatis insiti.

Sumit bonus, sumit malus
Corpus pro nobis traditum,
Hic ore tantum suscipit,
At ille corde et spiritu.

Est Christus hic, est et ibi,
Vbique Christus efficax,
Vel ad salutem, uel tetras
Poenas tetre uiuentium.

Nunc, si cupis, sane neges B 3.
Quae diximus: tibi nihil
Confidimus: Christus uiget,
Christus ualet, cui credimus.

Tu praepara sensus tuos,
Solare sumpto corpore
Corpus tuumque, animamque tuamque,
Et in Deo sic uiuito.

Sic uiua consolatio
Erit tibi, uiuus uigor.
Quicunque disputant, nihil
Hi certi habent, et murmurant.

O Christe nos uerbo tuo
Tegas, regasque spiritu,
Tentationibusque nos
Perire ne miseros sinas.

Cum sumimus corpus tuum,
Bibimusque quando sanguinem,
Solatijs fac coelitus
Repleri nostra pectora:

Quod scilicet sint crimina
Nobis remissa, corpore
Dato pro nobis, et tuo
Fuso pro nobis sanguine.

Et quod, uelut uiuit tuum
Corpus, ita nostra corpora
Victura sint, cum nunc idem
Corpus nostrum sit, et tuum.

Nostroque corpus corpore
Viuit tuum, uiget tuum,
Tanta est tibi clementia,
Tu Christe sic nos respicis.

Valeat mors, et quicquid potest
Nocere nostro corpori,
Obesse nil animae potest,
Est Christus in nobis Deus.

Tibi Deus sit gloria,
Tibi Deus sit gratia,
In ueritate nos tene,
Omnes et hostes reprime. Amen.

Cum Sumimus Cibum. B 4.

PRospicit hic uictum solius gratia Christi,
Membra leuat solita iam pietate Deus.
Has epulas igitur benedictio coelitus ornet,
Qua sine quae sumo, nil nisi uirus erunt.

Adsis Christe, cibum plenum fac esse salutis.
Et remoue nutu tetra uenena tuo.
Corpora tu nutri, quae si nutrire negaris,
Heu nobis, poterunt quam valuisse diu?
Verum aderis, mens nostra tuum nunc numen adesse,
Et simul ad mensam te retulisse refert.
Credite sermones praui, conuitia, fraudes,
Angelus apponit missus ab arce cibum.
Hic sedet, hic astat, sit uera modestia nobis,
Angelus hac dempta pellitur ipse Dei.

A Prandio, et Coena.

CHRiste cibum nobis solita bonitate dedisti,
Pauisti miti corpora nostra manu.
Ergo tibi grates agimus, quas pectore toto
Nostra, sed exiguas reddere lingua potest,
Non satis os, non lingua ualet, cor languet, et illac
Pro meritis, quamuis prompta, referre nequit.
Sed tamen has recipis grates, et languida mitis
Ora probas, mitis pectora grata probas.
Nunc dum quisque suum repetit, pie Christe, laborem,
Functio quod uitae uera requirit opus,
Da uires, operamque tuo, rogo, dirige nutu,
Seruiat ut laudi uita laborque tuae.
Flecte animos, ne forte trahat nos tetra libido,
Nec mala iam sumtus praebeat ulla cibus,
Tu benedixisti, tua gratia cœlitus orta
Affuit, ergo cibus non nocuisse potest.
Vos quicunque cibum sumpsistis, dicite grates,
Debitus et redeat, qui fuit ante, labor.
Angelus ipse Dei uos fulciat, augeat, ornet,
Gratia uos Christi magna gubernet. Amen.

Cum Imus Cubitum.

NVnc iterum trado rigido mea membra sopori,
Hinc abit in tenebras lux mihi uersa procul.
Dicere me miserum, rursus me cernere lucem
Velle reuersuram, uita caduca uetat.
Affirmare tamen potero, quando ipse iacentem
Texeris hic umbra me, pie Christe, tua.
B 5. Jam uero tibi, summe pater, Deus optime grates
Dico, quod hac texit me tua luce manus.
Te sine nulla mihi mansisset uita superstes,
Quae superest solo te duce uita stetit.
A Sathanae telis tutum tua gratia texit,
Qui coetum rabido circuit ore tuum
Ergo tuam grata bonitatem praedico mente,
Quas nequeo grates reddere, uoce fero.
Et rogo praeteriti dele peccata diei,
Nec mihi pro meritis praemia redde meis.
Totus enim coram te sordeo, totus abundo
Crimine, et innumeris obruta massa malis,
Et nisi conspersum me scirem sanguine Christi,
Quid facerem, quaenam sors obeunda foret?
Sanguine in hoc fido, quo mundor, et abluor omni
Crimine, et ad coelos lumina laeta fero.
Ignoscas etiam, si non fortasse laborem
Perfeci, sicut perficiendus erat.
Et quia committo mea rursus tempora somno,
Membraque ceu tristis mortis imago iacent,

Adsis summe Deus, me tu defende iacentem,
Angelici mittas agmina sancta chori,
Ne Satanae tetri, quos in caligine nectit
Hostis, in hac laedant membra quiete doli.
Tu quoque crassa meae pro nutu dirige mentis
Organa, ne carnis frena libido regat.
Inde reuersuram cum rursus uidero lucem,
Grata tibi grata carmina uoce canam.
Cedite curarum fomenta, et cedite somno,
Nunc optata uenit te duce Christe quies.

Meditatio Cum Imus Cubitum.

CVm tua declinas nocturno tempora somno,
Cuius sit fati somnus imago uide,
Sic gelidae quondam committes lumina terrae,
Quando tuae uitae clauserit hora diem.
Cespes erit tibi tegmen, humum puluinar habebis,
Et cinis in cinerem corpus abibit iners.
Sis memor ergo tui, tua ne praecordia fastus
Occupet, hic quantus te cinere esse potest?

Meditatio matutina.

QVando uides lucem uultu laetante reuersam,
Sis memor, haec iterum quid uelit orta dies.
Sic quoque de terra te iam claudente resurges,
Ad tumulum clanget cum tuba uiua tuum.
Lux erit orta recens aeternae linea uitae,
E ueterique nouum corpore corpus erit.
Gaude, tunc uiuet Deus omnia in omnibus ipse, B 6.
O sperata diu, te precor, hora ueni.

Mane Cum Surgimus.

CLare dies aperit quae lumina clausa fuerunt,
Protectore Deo, lux redit orta mihi.
Obrutus hic somno iacui, ceu tristis imago
Mortis, et in tenebras lux mihi uersa fuit.
A Satanae tutum telis, quibus impetit hostis
Nos miseros, texit gratia sola Dei.
Haec fuit Angelici circum custodia coetus,
Excubias egit flammea turba pias.
Ergo tibi toto meritas ego pectore grates
Pro bonitate Deus maxime gratus ago,
Quod tua me uoluit tuto requiescere somno
Gratia, luce uolens me redeunte frui.
Et mihi custodes demisit ab arce fideles,
Hostis ut arcerent omnia tela procul.
Nunc quoque dum rursus, quae uitae functio poscit,
Praestabo, et sumam dulce laboris opus,
Mitis ades, studiumque regas, omnemque laborem,
Qui sine te uanum nomen et omen habet.
Me tege, flecte animum, sensus et membra guberna,
Vt faciam semper munera grata tibi.
Neue cadam in rabidi, prohibe Deus optime, structas
Daemonis insidias, retia, iura, manus.
Ne caro me uincat, nec me trahat ulla libido,
Quae trahit a uera languida corda fide.
Sic ego laudabo gratus tua nomina semper,
Donec in hoc animae carcere uiuus ero.

Canticum Mariae Virginis Lucae 1.

ANimula mea magnum canas
Extolle laudibus Deum,
Jehoua nostrum praedica.

Tenelle spiritus tua
Jam flecte plectra iubilans,
Salutis autorem cole.

Respexit hic seruae suae
Depressam humilitatem Deus,
Oculosque fixit huc suos.

En nunc beatam me canent
Et posterorum posteri,
Ortusque et imus occidens.

B 7. Nam magna mecum praestitit,
Cuius uiget potentia,
Sanctumque cui nomen manet.

Ipsius est miseratio
Aeterna, finis nescia,
Quicunque eum uere timent.

Potentiam dat brachio,
Virtutibus dextram mouet,
Seruat suos, tegit suos.

Dispergit, abijcit, premit
Quoscunque celso pectore
Videt superbos ingredi.

Ad ima trudit maximos,
Potentibus frena inijcit.
De sedibus pellens eos.

Exaltat infimos Deus,
Dat sceptra, regna, subditos,
Et in thronos altos locat.

Impletque pauperes bonis,
Saturos facit qui nil habent,
Linquens inanes diuites.

Memor suam vult gratiam
In Israele conspici,
Quem colligit, quem protegit.

Promissa patribus facit,
Quos inter enitet Abraham,
Eiusque cuncti posteri.

Sic ergo nunc laetus canit
Animus meus, sic praedicat
Mens, lingua, cor, sensus Deum.

Sic tota nunc ecclesia
Sit iuncta carmine meo,
Mundi quoad stet machina. Amen.

Fribergae, 2. Julij, die uisitationis Mariae. 1561.

---

52. Nic. Selneccers Catechesis von 1575.

Catechesis D. Martini Lutheri minor graecolatina et eiusdem repetitio, additis definitionibus et quaestionibus de praecipuis doctrinae Christianae capitibus . . . Contexta ex priuatis lectionibus D. Nicolai Selnecceri, et primum edita in Academia Lipsensi, nunc ab autore ipso recognita et publicata. Lipsiae CIↃ. IↃ. LXXVII.

De Secundo Articulo Symboli Apostolici.

M 7. Et in Jesum Christum — — iudicare viuos et mortuos. Quid hoc sibi vult? Credo, quod Jesus Christus, verus Deus — — Hoc verissimum est.

Quae continentur in secundo Articulo Symboli? Tria praecipue. I. Primum est de persona Christi, id est, de aeterna diuinitate filij Dei, et de assumta humanitate Christi. II. Secundum, est de beneficijs et operibus pertinentibus ad officium huius redemtoris.

III. Tertium, est de glorificatione Christi hominis siue humanae naturae in filio Dei, copulatae personaliter λόγῳ, et euectae ad dexteram Dei.

Quomodo discernuntur capita, siue loci huius secundi Articuli? Tripliciter. I. Quaedam enim capita loquuntur de praeteritis, vt, conceptus, natus, passus, crucifixus, mortuus, sepultus, descendit ad inferos, resurrexit a mortuis, ascendit ad coelos. II. Quaedam loquuntur de praesentibus, vt: Est in coelis, ad dexteram Dei patris omnipotentis sedens. III. Quaedam loquuntur de futuris, vt, venturus est iudicare viuos et mortuos.

Quae sunt praecipua testimonia probantia aeternam diuinitatem filij Dei? Quinque sunt praecipua. I. Primum est vox ipsius Dei, siue sacra scriptura. Esa. 48. Accedite ad me, et audite hoc, non a principio in abscondito locutus sum — — et Spiritus eius. Esai. 45. Te adorabunt, te deprecabuntur: tantum in te est Deus, et absque te non est Deus, qui vere es Deus absconditus, Deus Israel saluator. Johan. 1. In principio erat verbum — — et verbum erat Deus. Jerem. 23. Jehoua iusticia nostra. II. Secundum, sunt opera Christi, vt, creatio, conseruatio, viuificatio, vt scriptum est. Johan. 1. Omnia per ipsum facta sunt — — nihil, quod factum est. III. Est cultus, qui debetur Christo, videlicet, adoratio et inuocatio, iuxta illud. Heb. 2. Adorant eum omnes angeli Dei. IIII. Quartum est, officium redemtoris et mediatoris, quod nulli creaturae, quae tantum est creatura, competere potest. V. Quintum, est confessio et viua consolatio totius Ecclesiae, et omnium piorum omnibus temporibus. M 8. 15

Quae igitur est persona Christi? Vna est persona Christi, naturae autem sunt duae: Diuina siue aeterna, et humana siue assumta certo tempore ex matre Maria semperuirgine. Veteres dixerunt in Trinitate esse ἄλλον καὶ ἄλλον, non autem ἄλλο καὶ ἄλλο: sed in Christo esse ἄλλο καὶ ἄλλο, non ἄλλον καὶ ἄλλον, id est, non alium et alium, sed aliud et aliud, id est, non duas personas sed duas naturas.

Quomodo copulatae sunt duae naturae in Christo? Ecclesia nominat vnionem personalem duarum naturarum in vna persona Christi, filij Dei et hominis. Est autem vnio personalis, non transmutatio, non alteratio, non confusio, non exaequatio naturarum aut proprietatum inter sese, sed copulatio vere inenarrabilis, qua secunda persona diuinitatis, massam certam ex genere humano viuam, intelligentem, rationali anima et corpore constantem, in vtero virginis a Spiritu sancto sanctificatam assumit, et sibi non tantum inseparabiliter, verumetiam secundum Hypostasin copulat, ita, vt, vna in Christo persona sit et maneat, videlicet, ipsius verbi propria, in cuius vnitatem humana quoque natura assumta est, et ab ea gestatur, sustentatur, fouetur, et tanquam organum maxime idoneum particeps redditur actionum diuinarum, quae propriae sunt personae missae ad redemtionem generis humani, vt cum illa, in illa, et per illam perficiat opus, et actiones mediatoris, eamque in seipso euehat et exaltet ad dexteram Dei super omnes coelos, et super omnes creaturas etc.

Quod est officium Christi? Quatuor appellationibus commodissime officium Christi exprimitur. Christus est 1. Redemtor. 2. Justificator. 3. Mediator. 4. Saluator. I. Redemtor est, quia nos a peccato, morte et diabolo captos extrahit e faucibus et manibus diaboli,

et redimit et purificat nos sanguine suo, et soluit λύτρον pro nobis
N 1. aeterno patri. II. Justificator est, quia nos semel redemtos, donat sua innocentia, et imputat nobis suam iusticiam et satisfactionem, quasi non amplius simus peccatores. III. Mediator est, quia, cum adhuc in nostra natura et carne mortali, in hac vita, haereant multiplicia peccata, sicut semper intercessit pro genere humano, ita etiam adhuc interpellat pro nobis. IV. Saluator est, quia et in hac vita nos gubernat, defendit, et seruat, et tandem, consummata et perfecta liberatione post resuscitationem nostram ex mortuis, in aeternum nos saluabit, donaturus nobis sempiternam vitam, laeticiam, et beatitudinem.

Quare Filius Dei nominatur λόγος, verbum? Propter duplicem respectum. Filius Dei est λόγος aeternus, respectu Patris, et quidem οὐσιώδης, quia est εἰκὼν καὶ χαρακτὴρ Patris, genitus a Patre. Deinde est λόγος respectu nostri. Per eum dicentem omnia sunt condita. Per Filium, qui est λόγος, et Euangelista, Cancellarius, et interpres aeterni ac arcani consilij Dei, Deus nobiscum loquitur et agit, iuxta illud: Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Et Esai. 48. A principio, non in abscondito locutus sum. Johan. 8. Js omnino sum, qui semper vobiscum locutus sum, et quem me semper esse dixi, τὴν ἀρχήν, principium, quod et loquor vobis. Item, Filius conseruat ministerium, et vocem sui Euangelij, et per Spiritum suum sanctum, verbi sui praedicatione, efficax est in cordibus nostris etc.

Quomodo diuiditur secundus Articulus Symboli? Diuiditur in sex membra, quae etiam nominantur Articuli. Et in Jesum Christum filium eius vnigenitum, Dominum nostrum.

Quid significat vocabulum Jesus? Significat seruatorem, siue saluatorem. Et est nomen cum personae, tum officij. Personae nomen est, quia significat hanc personam, quae est λόγος, et filius Dei, Deus aeternus, incarnatam esse. Officij nomen est, quia saluum facit populum suum a peccatis ipsorum.

Quid significat vocabulum Christus? Significat vnctum, idem quod Hebraeis Messias, videlicet regem et Sacerdotem. Olim enim in veteri testamento reges et Sacerdotes vncti fuerunt, in typum et figuram summi sacerdotis et regis, qui est Christus, et qui sacerdos est, quia 1. Docet. 2. Offert victimam, et sacrificat se ipsum pro nobis. 3. Orat pro nobis, in nobis, et nobiscum. 4. Benedicit nobis. Rex est, quia 1. destruit regnum diaboli, liberans nos ex potestate hostium.
N 2. 2. Regit et gubernat nos verbo et Spiritu Sancto. 3. Ecclesiam ministerio verbi collectam defendit aduersus inferorum portas.

Quare nominatur filius Dei vnicus? Primum, vt describatur diuina natura Christi. Secundo, vt distinguatur persona filij a persona patris. Tertio, vt hic vnigenitus filius discernatur a filijs adoptiuis, qui non natura sunt filij, sed gratia, iuxta illud: Dedit eis, qui credunt in nomen eius potestatem filios Dei fieri.

Cur Christus nominatur Dominus noster? Christus Dominus noster est quadruplici modo: I. Primum iure creationis, quia creauit nos. II. Secundo, iure redemtionis, quia seipsum dedit precium redemtionis pro nobis. III. Tertio, iure defensionis, quia Ecclesiam suam et omnes et pios peculiariter gubernat et defendit, tanquam mon-

archa et caput Ecclesiae. IV. Quarto, iure et ratione eminentiae super omnes creaturas, non tantum secundum diuinam naturam, sed etiam secundum humanam, iuxta illud: Philip. 2. Dedit ei nomen — — ad gloriam Dei patris. Atque haec, vt Basilius praeclare inquit, non respectu Deitatis Filij Dei simpliciter, cui nomen super omne nomen nunquam certo tempore datum est, cum illud ab aeterno in aeternum cum Patre et Spiritu sancto habeat, sed de humana natura Christi intelligenda sunt.

Quod est secundum membrum secundi Articuli? Conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Loquitur autem hoc membrum de incarnatione Christi.

Quae persona Trinitatis assumsit humanam naturam? Secunda persona, quae est filius, iuxta illud: Verbum caro factum est.

Cur congruebat mediatorem pariter esse Deum et hominem? Prima Causa, est iusticia Dei. Cum enim genus humanum pecasset, iustum fuit, vt aliquis in genere humano poenam solueret, aut si hoc non fieret, totum genus humanum periret. Filius igitur Dei assumsit humanam naturam. Secunda causa est necessitas. Nam nulla potentia creata sola potuisset sustinere iram Dei, et simul Deo tribuere laudem iusticiae. Mediator igitur etiam Deus est. Tertia causa est conditio mediatoris, qui duarum dissentientium partium mediator est, quas, vt conciliet, necesse est, vt vtriusque partis cor, animum et volun- N 3. tatem exacte sibi habeat perspectam. Congruit igitur mediatorem Dei et hominum, esse Deum et hominem. Quarta causa est humana fragilitas, quae requirit mediatorem, qui et possit et velit esse precium aequiualens pro peccatis, et pro nobis interpellet, et semper nobis assit, nos exaudiat, defendat, et seruet. Posse hoc autem facere, est diuinae et omnipotentis naturae. Velle hoc facere, est natura eius, de qua minime dubitari potest, hoc est, naturae et carnis nostrae. Vtrumque autem et posse et velle in Christo, est totius personae et officij Christi. Et etiamsi illae actiones sint omnipotentis et diuinae naturae, tamen fiunt in natura assumta, cum ea, et per eam, et nunquam sine ea. Ideo haec beneficia toti personae tribuuntur secundum vtranque naturam.

Argumentum. Nemo est mediator sui ipsius. Ergo Christus non est mediator secundum diuinam naturam, alioqui esset deprecator apud semetipsum. Resp. ad antecedens. Antecedens verum est eodem respectu, et vbi tantum vna est persona, apud quam est intercedendum pro alijs. Quod autem ad Christum mediatorem attinet, 1. Primum discerni oportet mittentem diuinitatem et filium missum: filius enim, in quantum missus est, Mediator est et Sacerdos. 2. Secundo: Christus non est tantum vnica illa persona, ad quam fit intercessio, sed Christus pro genere humano Mediator est apud Patrem, et totam diuinitatem, in qua tres sunt personae. Mediator igitur Christus est secundum vtranque naturam.

Quae propositiones de Christo secundum vnam naturam, et quae secundum vtranque naturam sunt accipiendae? [Die Antwort darauf mit Zurückweisung der aufgeworfenen Entgegnung umfaßt im Original 5 Seiten engen Drucks; wir müssen uns im folgenden auf die Wiedergabe der Fragen beschränken.] Quomodo vetustas nominauit illam diuersitatem propositionum de Christo — Propter quas causas Filius Dei assumsit humanam naturam — Quare conceptus est de

Spiritu Sancto — Cur fit expressa mentio Mariae sempervirginis, matris Christi — Recita tertium membrum secundi Articuli — Quis est maxime perspicuus actus humiliationis filij Dei — Quid nominat scriptura exinanitionem filij Dei — Quid est passio Christi — Quid est sacrificium propitiatorium, siue ἱλαστικόν — Quotuplex est meditatio passionis Christi — Quid nominas paedagogicam meditationem — Quid nominas spiritualem — Quid est exemplaris meditatio — Quomodo fit applicatio passionis Christi — Vtrum passio est humanae naturae tantum, an vero totius personae Christi — Quare fit mentio Pilati in Symbolo — Quare Christus Crucifixus est [Antwort umfaßt eine ganze Seite!] — Cur Christus voluit mori — Cur sepultus est Christus — Recita quartum membrum secundi Articuli — Quare Ecclesia descensum Christi ad inferos coniungit cum resurrectione Christi [Antwort füllt eine ganze Seite!] — Dic testimonium de Christi resurrectione — Recita quintum membrum secundi Articuli — Vbi extat confirmatio Articuli de ascensione Christi ad coelos — Vbi autem Christus est in coelo, et in quem locum corpus suum siue humanam naturam transtulit — Quando dicimus, Christum ascendisse in coelos, num aliquid maius et amplius intelligimus, quam solam visibilis conuersationis subductionem — Quorsum est exaltata haec humana natura, et an non exaltatio significat aut saltem comprehendit aliquam localitatem — An non Christus reliquit mundum localiter, et absens est a nobis absentia corporali, carnali et locali — An non pugnant haec duo inter sese, ascendit ad coelos, et praesens est in coena corpore suo — Quis est status odiosae controuersiae hodie ortae de Christo, vel praesente, vel absente — Dicisne, corpus Christi esse et locale et illocale, circumscriptum et incircumscriptum — Quomodo ergo intelligenda sunt dicta patrum de localitate — Si corpus seruat suam naturam, necesse est, aut localiter illud adesse, aut statui extensionem humani corporis in infinitum. Haec enim negare, est dicere pugnantia — Quid sentis de vbiquitate — Quid igitur significat, ascendere, in articulo, ascendit ad coelos — Quid significat, coelum, in hoc eodem Articulo — Quid significat vocabulum, sursum, quando Paulus inquit: quaerenda esse ea, quae sursum sunt — Cur Christus ascendit ad coelos — Quid significat dextera Dei — Quid est sedere ad dexteram Dei — Coepitne Christus sedere ad dexteram Dei patris — In Antuerpiano Bibliorum exemplari, libello, qui inscribitur Jeremias. Christus ad dexteram Dei sedens, proximum patri ipsi, et secundum autoritatis locum tenet, qua homo est. An non totus Christus, Deus et homo, sedet ad dexteram patris — Recita sextum membrum secundi Articuli — Dic testimonium de reditu Christi ad iudicium vniuersale [die Ausführungen über die Himmelfahrt und das Sitzen zur Rechten Gottes nehmen im Original 12 Seiten ein!].

---

53. Die Quaestiunculae des Alb. Lyttichius von 1572 resp. 1575.

Quaestiunculae Examinis Theologici de praecipuis capitibus doctrinae Christianae ex scriptis D. Phil. Melan. collectae, et ad institutionem puerilem accommodatae, M. Alberti Lyttichii . . . opera . . . Lipsiae M. D. LXXV.

A 2. HONESTO ET PRVDENTI VIRO Dn. ANDREAE HEYL, Ciui et Bibliopolae Lipsico etc. S. D.

MAgna vobis debetur gratia, honestissime et optime D. ANDREA, quorum studio et promtitudine, noster Libellus, Quaestionum Germanicarum Examinis PHILIPPI, ante annum Lipsiae typis Ernestinis scriptus est: Ea enim occasione illae succinctae et perspicuae definitiones, traditae a Philippo, in officinas pietatis et modestiae

Puellarum, ac eorum etiam coetuum, qui literas Germanicas et Logisticen metallicam apud nos discunt, receptae sunt, et manibus horum teruntur atque ediscuntur, quod idem fit ab his, qui nostrae sunt dediti disciplinae. Siquidem illarum cognitionem et propagationem, maximi semper fecerunt, summi viri, et praecipua Ecclesiae lumina, quemadmodum Athanasius in Tract. de Defin. ait, Definitiones iuxta traditionem et fidem Ecclesiae Catholicae, collectae sunt a clemente, et alijs sanctis viris ac beatis Patribus, quas ante omnes scientias alias indagare, et in animum recondere necesse est, ei, qui per auxilium Dei, verbo veritatis praeesse voluerit, et cuiuis homini orthodoxe sentienti atque integram fidem erga Deum habenti, vtile, etc. Proinde vt cum Diuo Paulo fieremus τὰ πάντα τοῖς πᾶσιν, et ad captum nostrorum nos applicaremus (tales enim inter nostros quoque discipulos sunt, qui nondum assequuntur Examinis theologici omnia, sed aliqua saltem, et ea breuia) sumsi mihi hoc, vt ex latinis monumentis PHILIPPI, nihil immutato ordine (quem eundem Paulus ad Romanos, Ephesios, Colossenses, et Galatas scribens fere obseruat), nec filo relicto, quo in populari lingua Quaestiones illae a me contextae sunt, Enchiridion nostrum etiam latum facere, quanta fieri breuitate liceret, ne amplitudo doctrinarum, memoriam effugere, aut ingenia A 3. obruere possit, Eo equidem studio, quo si quid discentibus inculcandum sit, praeter selectissima ipsa verba Philippi, nihil admisceatur. Quibus addidi graecas Finitiones Domini Camerarij, viri clarissimi, quatenus traduntur nostris auditoribus, his rem gratam feceris mi Domine Andrea, si has vt illas a calcographis elaboratas, vestro beneficio acceperint, et ita scriptionis molestia (vt sunt delicati hac aetate adolescentuli) liberati fuerint. Misi itaque haec ad vos, vt de vestro iudicio hanc gratiam apud nostros iniretis.

Attexui autem singulis quaestiunculis testimoniorum numeros et locos, quae citantur vel a Philippo ipso, vel adiungi his queant, ne vlli de euidentia et perspicuitate rerum ipsarum relinquatur dubium, cum et editio prior germanica eosdem fere characteres vbique habeat appressos. De Regulis in fine capitum singulorum annexis, ascribo verba Domini Philippi, qui sic ait: Vetus docendi consuetudo fuit, talibus breuibus sententijs tanquam gnomis includere insignes articulos doctrinae, quas Ecclesia ministerio Euangelij euoluere debet et explicare. Preces tandem libello huic adiunctae, complectuntur et ipsae partium Catecheseos explanationem, ac vsui esse possunt pluribus, in praeparatione animorum, ad sacrosanctam Ecclesiae Communionem accessueris, donec meliora DOMINVS, quem oro, vt regat mentes docentium et discentium, vt vna, vera et perspicua sententia Euangelij, et verae Ecclesiae seruetur omnibus locis et temporibus, et sit efficax voce Euangelij sui, qua multi ad Deum conuertantur, et eum vera agnitione celebrent, et fiant haeredes aeternae salutis, propter Filium Deum et hominem, qui factus est nobis Sapientia in verbo: Justicia per sanguinem: Sanctificatio ex suo Spiritu: Redemtio aduentu gloriae, vt dicitur 1. Cor. 1. Bene vale. Mariaebergae Mysiorum, die Martini 1573.

Albertus Lyttichius Joach.
Magister artium, et Theolog. S.

Illustribus, Generosis et Praeclaris Comitibus et Dominis, Domino Johanni et Domino Antonio, Fratribus, Comitibus Oldenburgicis et Delmenhorstanis etc. Dominis suis clementibus. J5.

GEnerosissimi Comites, Domini clementes, Patroni colendissimi. Cum doctissimus V. Albertus Lyttichius Joachimus recudendum Libellum continentem Quaestiones vtilissimas ex Philippi Praeceptoris, piae memoriae, scriptis collectas, et in usum

scholasticae iuuentutis antea editas, mihi mitteret, et, vt limam atque censuram meam, qua minime opus est, adhiberem rogaret, et insuper Epitomen Augustanae Confessionis, quatenus haec in scholis puerilibus proponi breuiter memoriae et summae causa, possit, adiungeret, statim cogitaui de hoc Libello, qui per quam vtilis et necessarius Scholis mihi visus est, ad Generositates vestras ablegando, vt is cum testimonium praeberet de mea cura et solicitudine pro incremento Ecclesiarum et Scholarum vestrarum, quibus inseruire cupio, quoad vixero, quantum potero, tum ostenderet se adesse ablegatum, vt in Scholis vestrarum Generositatum locum haberet, et studiosae pueritiae et adolescentiae proponeretur. Indicat enim et continet hic Libellus ea, quae nostrorum Praeceptorum, Eliae, et Elisaei, hoc est, LVTHERI et PHILIPPI laboribus fideliter sunt scripta, et propagata, et vt pueris proponerentur, perspicue tradita, et Quaestionibus comprehensa, et iubet fugere et detestari omnia ista, quae Cacodaemon et turbator Gehasi, Elisaei auarus et degener discipulus, lepra punitus, hoc est, omnes Nephilim, cadentes siue deficientes (de quibus scriptum est, Psal. 68. quod recipiant apostatae sese in caluiciem) quocunque nomine istos dixerimus, contra puritatem illam doctrinae, cuius regula in hoc Libello delineata est, excogitant
J6. et afferunt. Certe si a teneris assuescere magnum et multum est in omni disciplinarum genere, hodie a teneris recte percepisse Capita doctrinae coelestis magnum et multum, et maxime necessarium est. Recordamur enim absolutae fere Periodi, quae a D. Luthero praedicta est de Nocham Jehouah, expressa summatim hisce verbis: Saepe Deum oro, vt generationem nostram sinat nobiscum mori, et quidem ante annos triginta, propterea quod nobis sublatis periculosissima tempora sequentur. Saepe quoque septenarij numeri nescio qua fatali ratione ominosi atque efficacis, memores sumus. Sed tamen consolamur nos ipsos, dum modo in Scholis aliquibus recte erudiri pueritiam et fontibus Israël fideliter imbui videamus. Et profecto summi thesauri loco habendus est hodie pius, doctus, et fidelis pueritiae magister, et ludi literarij Rector, cui curae et cordi est pietas, et sincera doctrina. Cumque talem ex paucorum numero esse D. LYTTICHIVM ostendat hic Libellus, cui ipse a me aliquid praefigi voluit, non sum veritus de alieno esse liberalis, et hunc ipsum Libellum Scholis vestrarum Generositatum mittere et commendare, *ἐπεὶ οὔτις ἐπίχεσϊς, οὐδ' ἐλεητύς, ἀλλοτρίων χαρίσασθαι,* cum praesertim fit hoc publici commodi causa. Nihil enim aliud specto, et studij in hoc mei vestris Generositatibus non ignoti, testem allegare possum Deum et Conscientiam. Vestras autem Generositates, quibus, quacunque modo ratione et via possum, gratitudinem animi mei probare enitor, humiliter rogo, studium vt sibi meum non sinant non placere, sed et *προαίρεσιν* meam, huiusque causam et finem considerando approbent, et, quod bene ceperunt, in Ecclesijs et Scholis, Deo iuuante, continuent, qua in re etiam absens quidquid praestare potero, vestris Generositatibus nunquam me defuturum sancte policeor, ita, vt si opus sit, etiam porro praesentiam mei non plane subtracturus sim Ecclesijs et Scholis ad eam formam, quae ex sacris Biblijs collecta et comprehensa est scriptis
J7. LVTHERI et PHILIPPI, et cuius tanquam Epitome in Scholis vsurpanda hic ipse est Libellus.

Vestras Generositates CHRISTO EMANVELI Omnipotenti et veraci commendo regendas et tegendas. Lipsiae XXVII. Maij, Anno M. D. LXXIIII. 1. 2. 3. 6. Vestrarum Generositatum Seruus

Nicolaus Selneccerus D.

A 5. **Prima Quaestio.** Es Christianus? Respon. SVm, atque retineo integram et incorruptam Legis et Euangelij doctrinam, et notitiam Filij

Dei, crucifixi pro nobis et resuscitati. (Testimonia Scripturae 1. Pet. 4. Psal. 1. Joh. 5. 1. Cor. 3. Joh. 3.)

Quis est Christianus? Omnis baptizatus in nomine Filij Dei (Mar. 16. Act. 2.), qui discit doctrinam veram Ecclesiae, de Essentia et Voluntate Dei (Joh. 17. Matth. 3.), in vera agnitione peccatorum, vera Fide, bona Conscientia, vera Inuocatione et spe Vitae aeternae, ita vt pendeat ex solo verbo et Sacramentis. (1. Tim. 1. Rom. 1. Joh. 4. Rom. 8. Esa. 8.)

Quot sunt illustria Capita doctrinae Ecclesiae? XV. I. De Deo, et tribus Personis in vna essentia diuina. II. De duabus naturis in Mediatore JESV CHRISTO. III. De Creatione et conseruatione rerum. IIII. De Lege diuina, et differentijs Mosaicarum Legum. V. De Peccato, et causis Peccati, atque Arbitrio hominis. VI. De Euangelio, Justificatione hominis, Fide et Gratia. VII. De bonis Operibus, quomodo fiant, et quomodo placeant Deo, quid sint Venialia et Mortalia peccata. VIII. De Ecclesia, et signis ac symbolis eius, atque sacrificijs. IX. De Sacramentis Baptismi, et Coenae Dominicae. X. De Poenitentia, seu Conuersione et Partibus: De Confessione, Absolutione, et Clauibus Ecclesiae. XI. De Cruce, et caussis Calamitatum, ac Locis consolationum in Ecclesia. XII. De Inuocatione, et Gratiarum actione. XIII. De Libertate Christiana. XIIII. De Coniugio, Magistratu, et gubernatione Ecclesiastica seu hierarchica. XV. De Regno Christi, Resurrectione mortuorum, et vita aeterna. Institutio Christiani hominis, A 6. quae dicitur Catechismus, est regula iudicij, quam homines dextre sequentes facile discernent veram doctrinam de Deo a falsa, et veros cultus Dei a fictis et commentitijs.

Primum Caput. De Deo.

Quid est Deus, aut Essentia Diuina? Resp. DEVS, est Essentia unica (Deut. 4. 6.), spiritualis (Joh. 4.), aeterna (Gen. 21.), intelligens (Psalm. 33.), verax (Exod. 34. Joh. 8.), bona (Ps. 106. Luc. 18.) iusta (Deut. 32. Psal. 5.), pura et casta (Ps. 11. Habac. 1.), misericors (Ps. 86. Luc. 6.), benefica (Jerem. 32.), liberrima (Ps. 114.), immensae sapientiae (Esa. 66. Ps. 147.), et potentiae (Dan. 33. [sic!]. Eccle. 3. 15.), irascens peccatis (Exod. 20. 34. Num. 11.).[1])

Pater aeternus, qui Filium imaginem suam ab aeterno genuit, et Filius, imago Patris coaeterna, et Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio. (Ge. 1. et 18. Ps. 33. 2. Sam. 23. Matth. 3. 28.) Sunt enim Personae distinctae, coaeternae, *ὁμοούσιοι* tres, in vnitate essentiae diuinae. (Deu. 6. Joh. 14. 1. Joh. 5.)

Quae est descriptio Dei Patris? PATER AETERNVS, est prima Persona Diuinitatis, non nata, nec aliunde procedens, sed quae ab aeterno genuit Filium, imaginem suam, et a qua procedit Spiritus sanctus, et quae cum Filio et Spiritu Sancto omnes alias res creauit, et earum substantias conseruat. 2. Reg. 7. Esa. 40. Act. 3. Col. 1. Ps. 2. Joh. 15. Gen. 1. Ps. 33. 16. Prouerb. 16.

[1]) Am Rande: Fontes definitionis huius, possunt etiam intelligere pueri ex serie praeceptorum Decalogi, et articulorum trium Symboli, si minus placeat haec testimoniorum congeries.

Quid est Deus Filius? FILIVS AETERNVS, est secunda Persona Diuinitatis aeterna, quae est substantialis et integra imago aeterni Patris, ὁμοούσιος Patri, quam Pater sese intuens, et considerans ab aeterno, gignit, quae nobis quidem sic manifestatur, quod sit Persona, per quam Pater dicit decretum, et totum ordinem creationis et reparationis hominum, et mittitur vt patefaciat Euangelium et assumat humanam naturam, et sit Mediator, Redemtor, Justificator, et Saluator, Rex et Sacerdos aeternus. 2. Sam. 23. Esa. 7. 11. Heb. 1. Luc. 2. 1. Tim. 1. 2. Gal. 3. 1. Cor. 1. Joh. 4. 1. Esa. 19. 42. Rom. 4. Joh. 10. Ps. 72. 110.

Quid est Spiritus Sanctus? SPIRITVS SANCTVS est tertia
A 7. Persona Diuinitatis, procedens a Patre et Filio, et est substantialis amor, et laeticia coaeterna inter Patrem et Filium, ὁμοούσιος Patri et Filio. Gen. 1. Act. 5. 2. Cor. 3. Job. 33. Joh. 15. 16. Joel. 2. Esa. 59. Et nobis sic manifestatus est, quod mittatur in corda credentium, vt tales motus, amorem et laeticiam acquiescentem in Deo, in eis accendit, qualis est ipse. Gal. 4. 2. Pet. 1. Joh. 16. Zach. 12. 7. 2. Tim. 1.

Quid est Persona? PERSONA est subsistens viuum, indiuiduum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio: Graecis ὑφιστάμενον, obscurius est cum dicunt ὑπόστασις. 2. Cor. 4. Epist. ad Ebraeos cap. 1. in graeco.

Quid nominatur Essentia? ESSENTIA nominatur quod reuera est, etiamsi est communicatum, Graece οὐσία. Exod. 3. Ps. 102. Apoc. 1.

Quare sunt tres Personae Diuinitatis, et non plures, nec pauciores? Quia sic se DIVINITAS patefecit (Exod. 33. 3. Reg. 19. Joh. 1. Matth. 3. Mar. 1. Luc. 3.): Et testatur forma Baptismi, quam Filius Dei tradidit, tres esse Personas Matth. 28.

Maximae Quaedam Theologicae Huius Loci.

Regula I. Primum omnium tenendae sunt definitiones, sumtae ex testimonijs diuinis, in loco de Deo.

II. Discrimina Personarum pie cogitemus, et suas proprietates singulis attribuamus. Et quoties de distinctione Personarum dicitur, discrimina ex appellationibus sumantur.

III. Appellatio JEHOVA, propria est veri Dei, patefacti primis Patribus et in Israel.

IIII. Quoties DIVINITAS intra sese describitur, discernuntur Personae, sed cum opponitur creaturis, fit mentio vnius aeternae essentiae.

V. Vna est οὐσία, tres sunt ὑποστάσεις.

VI. Non est facienda confusio Personarum, nec etiam diuulsio et separatio Essentiae.

VII. Non tantum Vocabulis aut imaginatione discernuntur tres Personae, sed re ipsa, alium subsistentem esse Patrem, alium subsistentem esse Filium, alium subsistentem esse Spiritum sanctum, vult docere Ecclesia, etiamsi sunt ὁμοούσιοι.

A 8. VIII. Verissimum est in qualibet Persona, Essentiam et Relationem nequaquam differe realiter, nec esse res duas, Essentiam Filij et Relationem.

IX. Opera TRINITATIS ad extra sunt indiuisa, hoc est, communia tribus Personis, sed seruata cuiusque Personae proprietate. Item, Filius agit per se, sed non a se.

X. Opera TRINITATIS ad intra sunt diuisa.

XI. Gignere est alium de sua Essentia gignere. Procedere autem est a voluntate, et differt hoc ab Egredi, quod est a potentia cogitante.

XII. Quatuor sunt Modi praesentiae DEI: Vniuersalis: in beatis: in Sanctis in hac vita: et qua λόγος humanam naturam, quam semel assumsit, nunquam deserit.

Caput Secundum. De duabus naturis in Mediatore.

Quare Filius nominatur λόγος? I. Quia est imago Patris cogitatione genita. Coloss. 1. Ebr. 1. II. Quia est Persona, per quam Pater dicit decretum de creatione. Pro. 8. Joh. 5. Coloss. 1. Gen. 1. III. Quia est Persona proferens Euangelium ex sinu aeterni Patris. Joh. 1. Luc. 10. IIII. Quia est Persona initio loquens cum Patribus, conseruans ministerium Euangelij, et est efficax in his qui credunt Euangelio. Joh. 8. Ebr. 1. Joh. 4.

Quomodo haec Persona assumsit humanam naturam? FILIVS, qui est coaeterna imago aeterni Patris, et nominatur λόγος a Johanne, assumsit humanam naturam, in Maria virgine matre (Mich. 5. Esa. 7. Joh. 1. Coloss. 2. 1. Tim. 1. Matth. 1. Rom. 1. Gal. 4): Talis est autem assumtio, vt huic Personae soli, quae est λόγος, haec massa humanae naturae assumta, sit vnita Vnione hypostatica, id est, vt sit vnum ὑφιστάμενον, λόγος sustentans hanc massam, et ipsa massa naturae humanae. Non enim conuersa est vna natura in aliam, sed Personae quae est λόγος, vnita est massa naturae humanae assumta. Joh. 1. Jerem. 23. 1. Chron. 18. Matth. 16. Gene. 4. 1. Joh. 4. Symb. Athan.

Quare Filius Dei assumsit humanam naturam? Primo, B 1. Ne esset quidem genus humanum, sed mox prorsus interijsset post lapsum primorum parentum, nisi factum esset, decretum, vt λόγος assumeret massam, et propter hanc assumtionem genus humanum esset superstes. Gen. 8. 3. 1. Tim. 2. Joh. 3. Luc. 9.

Deinde, quia homines peccauerant, congruebat hominem esse, qui poenam sustineret, vt iusticiae Dei satisfieret. Rom. 5. Phil. 2. Ebr. 5.

Tertio, vt autem esset aequiualens precium pro peccatis, hic Redemtor non tantum est homo, sed etiam Deus. Esa. 9. 7. 35.

Quarto, Nulla creatura sola sustinere potuisset hanc magnitudinem dolorum et irae Dei. Deut. 5. Psal. 40.

Quinto, Vt ergo caput Serpentis conculcet, vincat mortem, reddat nobis iusticiam et vitam aeternam, sit perpetuus custos Ecclesiae, videat consilium aeterni Patris, hic Mediator etiam est DEVS. Gen. 3. Jerem. 23. Johan. 1. Luc. 10. Esa. 49.

Qui modi loquendi sunt considerandi in hac doctrina? Verae et receptae sunt hae propositiones de CHRISTO: DEVS est homo, Verbum est homo, Christus est homo, Christus est Deus, Christus est natus ex virgine, passus, crucifixus, mortuus etc. Quia haec persona, in qua vnione personali, vnita est humanae naturae diuina, nascitur, crucifigitur, moritur. Quae loquendi forma in Concreto, vocatur COMMVNICATIO IDIOMATVM, id est, Praedicatio, in qua proprietas vni naturae conueniens, tribuitur Personae in Concreto, propter vnionem hypostaticam. Joh. 1. Coloss. 2. Phil. 2. Psal. 8. Damascenus.

Regulae tenendae in hoc Capite.

Regula I. Assumsit λόγος corpus et animam sine peccato, sed habentia proprietates naturales ordinatas. Item, eas infirmitates, quae sunt poenae non peccata.

II. Certissimum est, esse vnum Filium λόγον et naturam assumtam, et vna adoratione inuocandum: Ac considerandum est, Filium dici λόγον, et respectu Patris, et respectu nostri.

B 2. III. Considerandum est in vniuersum, quomodo vetus Ecclesia locuta sit. Et retinenda est phrasis vsitata, recepta graui authoritate doctorum.

IIII. Diserte loquendum est, Communicationem Idiomatum fieri in Concreto, non in Abstracto.

V. Discernendae sunt appellationes, quae significant proprietates naturarum, et appellationes officij.

VI. Quaedam dicta, de Essentia loquuntur, quaedam de officijs Personae.

VII. Alia dicta loquuntur de regnante Christo, alia de humiliato et patiente.

VIII. Nomina officij competunt toti personae, non alteri naturae seorsim.

IX. Christus est Mediator secundum vtramque naturam, Nec missio et obedientia tollunt aequalitatem potentiae et essentiae, sed distinguunt ordinem personarum.

X. Retinenda est personae vnitas, nec tamen sunt confundendae naturae.

XI. Attributum vnius naturae, competit et alteri, sed in Concreto: Nam quae vni naturae propria sunt, eadem attribuuntur et alteri, sed in Concreto.

XII. Quaedam propria vni naturae, non impediunt quominus et altera natura adsit.

XIII. Particula Secundum distinctiua, non facit diuulsionem Personae, sed sua cuique naturae proprietas attribuitur, Vt Act. 2. dicitur, Secundum carnem resurgere Christum.

XIIII. Nomen Capitis tribuitur toti Personae Christi, et alias Capitis proprietates secundum humanam naturam, alias secundum diuinam naturam ei competunt: Est enim Caput efficacia, perfectione, merito ex ordine.

Caput III. De Creatione.

Quid nominas Creare in primo Articulo? Creare, est ex nihilo aliud facere, dicendo, Estque Creatio, Fabricatio rerum aliarum, quae sunt extra essentiam Dei ex nihilo. Gen. 1. Hierem. 32. Psal. 33.

Quomodo res omnes creatae sunt? AEternus Pater, cum Filio et Spiritu sancto, coelum et terram, angelos, homines, et totam hanc mundi machinam dicendo seu iubendo fecit, ex nihilo, non ex B 3. aliqua praecedente aeterna materia, Et quidem libere et volens omnia condidit. Joh. 1. Psal. 114. 135. Pater enim creat per Filium, qui est Verbum, in quo lucet opus totius opificij, et Spiritus sanctus immediate fouet creaturas, et motum impertit, Gen. 1. Psal. 33. 1. Cor. 1. 2. Esa. 43.

Quae est sustentatio et conseruatio rerum? Adest DEVS vniuersae creaturae, et toti opificio suo, sed vt agens liberrimum, angelis et hominibus, et rerum substantias seruat, foecundat terram, procreat fruges in terra, impertit vitam viuentibus, et fouet totam naturam, maxime vero Ecclesiam. Col. 1. Joh. 5. Psal. 147. 104. 33. Act. 17.

Quibus modis patefacta est essentia et voluntas diuina ab initio? Doctrina Legis et Euangelij, atque testimonijs seu operibus Dei, editio in genere humano. 1. Paral. 17. Esa. 8. Exod. 20.

Regulae loci de Creatione.

I. DEVS non est alligatus ad caussas secundas, sed vt agens liberrimum, caussas secundas moderatur, aut impedit, aut mutat.

II. Vtile et iucundum est aspicere opificium mundi, et in eo vestigia Dei quaerere, et demonstrationes colligere, quae testantur, hunc mundum non extitisse casu.

III. Creatio est opus totius Trinitatis, non tantum vnius personae.

IIII. Contingentia est, non omnia necessario fieri.

V. Omnia cum fiunt, ideo necessaria dicuntur, quia contradictoriae non possunt simul verae esse.

VI. Deus per interualla sex dierum materiam creatam distinxit, et opere perfecto septimo die quieuit, scilicet, a nouis creaturis faciendis.

Caput IIII. De lege Diuina.

Quid est Lex Diuina? LEX Dei, quae nominatur Lex Moralis, est aeterna et immota sapientia, et regula Justiciae in Deo, discernens recta et non recta, et horribiliter irascens contumacibus, seu denuncians horrendam iram aduersus contumaciam, repugnantem huic ordini in Deo. B 4. 5 Exod. 20. Roman. 3. 7. Deut. 12. Et patefacta est hominibus in Creatione, et postea saepe repetita, et declarata voce diuina, vt sciamus quod sit Deus, et qualis sit, obligans omnes creaturas rationales, et postulans, vt omnes sint conformes Deo, et damnans ac destruens omnes, non conformes Deo, nisi fiat remissio et reconciliatio, propter Filium Mediatorem. Rom. 2. Ebr. 8. 10. Exod. 20. Deut. 6. Matth. 22. Marc. 12. Matth. 5. Rom. 4. Deut. 27. Rom. 1.

Alia Decalogi Definitio. DECALOGVS, est doctrina sapientiae et iustitiae, quae est in Deo, cuius radius in mentes humanas transfusus est, congruens cum mente et voluntate Dei, quae ostendit, quales oporteat esse omnes homines, et damnat omnes, qui non sunt tales, cuius duae sunt propositae tabulae, prior praecipit opera interiora et exteriora, quibus immediate cum Deo agimus, secunda continet opera erga homines, et hanc obedientiam Deus seuerissime postulat, et iudicat eam esse cultum DEI. Matth. 22. Luc. 10.

Quid differt Lex seu Decalogus ab alijs gradibus Legum Mosaicarum? Tres sunt partes Legis Mosaicae vniuersae. I. Lex moralis, cuius summa comprehensa est in Decalogo, quare nomine Decalogi saepe vtimur pro Lege Morali. Exod. 20. Rom. 3. Deut. 27. II. Leges Caeremoniales, sunt quae externos gestus ordinant in Sacrificijs, et loca, tempora et personas distinguunt, et alia quaedam exercitia externa describunt, vt sint signa et distinctiones Politiae Mosaicae ab alijs gentibus. Libro Leuiticorum. III. Leges Judiciales seu Forenses, sunt praecepta a Deo tradita, de externa defensione disciplinae, iuxta totum Decalogum, de Magistratibus, de poenis blasphemiae et periurij, seditionis, homicidij, adulterij, de distinctione facultatum vel dominiorum, de haereditatum distributione, de poenis furtorum, de ordine iudiciorum. — Hae Leges Forenses et Ceremoniales Mosaicae, fuerunt traditae tantum ad illius politiae constitutionem, et tandem deleta politia Mosaica, extinctae sunt, et prorsus omitti possunt. Act. 10. Rom. 6. 1. Tim. 1. B 5. 35 Verum Lex Moralis, cum sit in Deo sapientia, et norma Justiciae aeternae, et patefacta sit hominibus, vt homo sit conformis Deo, non potest extingui, sed manet ordo diuinus, vt homo iterum fiat conformis DEO. Rom. 3. et 8. Esa. 33. Deut. 4.

Quis est vsus Legis Moralis, cum Deus non velit eam deleri? Tres sunt vsus: Primus est Paedagogicus seu Politicus, ad omnes homines pertinens, etiam non renatos et Ethnicos, quod videlicet obligat omnes, vt regant externa membra seu Locomotiuam, vt externa facta congruant cum Lege Morali, et sancit poenas etiam corporales in hac vita aduersus eos, qui admittunt externa delicta, quas Deus vel per Magistratus, vel alijs modis sumit de sontibus. 1. Tim. 1. Matth. 20. Ebr. 13. Exod. 15. Deut. 11. Secundus vsus Legis est iudicium Vniuersale, accusans omnia peccata in hominibus, interiora et exteriora,

et totam deprauationem. Deut. 4. Roman. 3. 1. Cor. 6. Joël. 2. Tertius vsus est in Renatis docere, qui cultus Deo placeant: quia etsi humana ratio scit aliquo modo discrimen honestorum et turpium: tamen necesse est habere testimonium Dei expressum, quae opera ipsi placeant. Gal. 3. Ezech. 20. Psal. 119. Rom. 8.

Quomodo fit impletio Legis? Implet Christus Legem pro nobis, quatuor modis: 1. Sua obedientia propria. Phil. 2. 2. Deriuando in se poenam. Esa. 53. 3. Restituendo in nobis iustitiam et vitam aeternam. Joh. 1. 4. Sanciendo. Matth. 5.

Maximae.

I. Prima tabula Docalogi semper anteferatur secundae tabulae: attamen et reliquae virtutes, sunt cultus Dei, si fiunt in fide ad hunc finem, vt DEO praestetur obedientia.

II. Primum praeceptum includendum est caeteris omnibus.

III. Sententia primi praecepti et reliquorum, discenda est iuxta declarationem Euangelij.

IIII. Omnia praecepta debent fieri in agnitione et Fide Mediatoris.

V. Lex non potest fieri sine Christo.

B 6. VI. Liberati sumus a Lege, non quo ad oboedientiam sed quo ad maledictionem, poena in Christum translata est.

VII. Omnis Lex obligat, vel ad obedientiam, vel ad poenam.

VIII. Nemo in hac vita, praeter Christum, perfectam obedientiam et integram Legis impletionem habet: In hac igitur imbecillitate agnoscenda sunt peccata, et nitendum merito solius Filij Dei.

Caput V. De Peccato.

Quid est Peccatum? PECCATVM est *ἀνομία*, seu quicquid est contra Legem Dei, et aduersum iustitiae diuinae, hoc est, Peccatum est defectus, vel inclinatio, vel actio contra Legem Dei, offendens Deum, et commerens iram aeternam, nisi fiat remissio propter Filium Mediatorem. 1. Joh. 3. 2. Joh. 16. Rom. 2. Leuit. 5. et 26.

Quid est diuisio Peccati? Peccatum aliud nominatur Originale, aliud Actuale. Rom. 8.

Quid est Peccatum Originale? Est defectus Justitiae originis, et reatus propter Adae lapsum, et propter priuationem lucis diuinae, et firmae agnitionis Dei in mentibus hominum, et propter auersionem voluntatis a Deo, et propter contumaciam cordis, quae mala sequuta sunt lapsum Adae, in natura hominum, et sunt inimicitiae aduersus Deum, et damnata a Deo. Gen. 8. Psal. 51. Hiere. 17. Rom. 7. et 8. Ephes. 2.

Quid est Peccatum Actuale? Est omnis actio, pugnans cum Lege, tum in mente, vt dubitationes de Deo: tum in voluntate et corde, vt incendia malorum affectuum: tum in membris externis, vt externae actiones pugnantes cum Lege Dei. Rom. 6. Psal. 119. Gal. 5. 1. Joh. 3. et 4. Ephes. 5.

Quae est caussa Peccati? DEVS nec est caussa Peccati, nec vult peccatum, nec impellit homines ad peccandum, nec approbat peccatum: Sed voluntas in Diabolis et hominibus, sua libertate auertit se a Deo, et excussit dona Dei, et homo illam destructionem in suam posteritatem propagauit. Ps. 5. Ge. 3. 6. Syracid. 25. Zach. 8. Joh. 8. 1. Joh. 2. Rom. 5.

B 7. Quid est voluntas hominis libera et propria, seu Arbitrium liberum? Homo in prima creatione, conditus est ad imaginem Dei, et fulsit in mente eius illustris noticia de Deo, et in

voluntate et corde rectitudo, congruens cum sapientia et voluntate Dei, et simul erat libertas electionis non impedita: Postea vero per peccatum imaginis integritas amissa est, et reliqua est tantum facultas, qua homo potest regere locomotiuam, in externa disciplina praestanda, sed non potest tollere, ex mente dubitationes, et ex corde vitiosas inclinationes, aut depellere ἀτοξίαν, quae nobiscum nascitur, quae nominatur mala concupiscentia, naturalibus viribus, sine luce Euangelij, sine Spiritu sancto, sine Filio Dei nos viuificante suo spiritu, Voluntas vero accepto Spiritu sancto iam non est ociosa. Gen. 9. Sap. 2. Sirac. 15. 17. 1. Cor. 2. Tit. 3. Rom. 2. Joh. 8. 1. Joh. 4. 2. Cor. 6.

Regulae.

Liberum arbitrium, vsitate nominatur, Voluntas cum intellectu coniuncta, eligens aliquid libere praecedente cognitione.

Duo genera sunt actionum in voluntate post deprauationem reliqua, Gubernatio Locomotiuae et Actiones elicitae.

Voluntas non incoat nouam oboedientiam, sine Spiritu sancto.

In Baptismo tollitur formale peccati, id est, reatus: sed adhuc manet reliquum materiale, id est, mala concupiscentia.

Aliud est nihil negatiuum, aliud nihil priuatiuum.

Certum est esse Contingentiam, et fontem contingentiae in actionibus esse libertatem voluntatis.

Aliud est loqui de electione voluntatis, aliud de euentu seu successu.

Prudenter discernenda est ἀταξία ab ipsis appetitionibus, quales a Deo conditae sunt.

Caput VI. De Euangelio et Justificatione coram Deo.

Quae est altera doctrinarum, quibus Deus se et suam voluntatem patefecit? Respon. Doctrina Euangelij.

Quid est Euangelium? Est praedicatio Poenitentiae, et Pro- B 8. missionis, quae non naturali luce nota, sed ex arcano consilio diuinitatis prolata est, per Filium, qua Deus exhibet remissionem peccatorum, reconciliationem, donationem Spiritus sancti, iustitiae et vitae aeternae, propter Mediatorem, et per eum, GRATIS, Fide accipientibus promissionem. Luc. vlt. Joh. 16. Rom. 1. 2. Cor. 3. Gal. 3. 1. Pet. 1. Rom. 3. 1. Joh. 5. 2. Cor. 2.

Quomodo accipit homo remissionem peccatorum, et reconciliationem seu Justificationem, et donationem Spiritus sancti et vitae aeternae? Respon. Homo in Conuersione, id est, in veris doloribus et pauoribus, accipit remissionem peccatorum, propter Mediatorem Filium Dei, Domini nostrum JESVM CHRISTVM, DEVM et HOMINEM, GRATIS, SOLA FIDE, non propter propriam dignitatem, seu propter virtutes proprias, aut propria opera seu merita. Rom. 4. 6. Joh. 3. Act. 10. Rom. 3. Gal. 3. Ephes. 2. 2. Cor. 2. Ebr. 10. Hierem. 33. Esa. 52. 55.

Estne vera Propositio, SOLA FIDE JVSTIFICAMVR? Verissima est: quia cum dicitur, Sola Fide iustificamur, non aliud dicitur, quam quod propter Christum Filium Dei accipiamus remissionem peccatorum, et reputemur iusti, sine nostris operibus, vt Paulus ait, Justificamur gratis ipsius Gratia, per redemtionem, quae est in JESV CHRISTO. Rom. 3. 4. 5. Ephes. 2. 3. Nam iustificatio est acceptatio remissionis peccatorum et reconciliationis, seu acceptationis gratuitae

propter Filium Dei, quae cum Fide accipitur, Verissimum est simul Filium Dei, corda viuificare, dicere consolationem in cordibus, per Euangelium, et Spiritu sancto accendere tales motus, qualis est ipse. Gen. 15. Esa. 53. Hierem. 53. Rom. 3. 5.

Quid est Fides, Seu quis est vsus nominis Fidei? FIDES, est assentiri omni verbo Dei nobis tradito, atque ita, et promissioni gratiae: et est fiducia acquiescens in Deo propter Filium, accedens ad Deum, et inuocans eum, et clamans Abba Pater, quae sentitur in credentibus, et in veris pauoribus affert consolationem et laeticiam. Rom. 5. 8. Ebr. 11. Coloss. 1. Gal. 3. Act. 3. Abacuc 2. 1. Johan. 4.
C 1. Et tria sunt in vera Fide coniuncta, Notitia, Assensus, et Fiducia in Christum Mediatorem.

Quid est Gratia, et quis est vsus nominis Gratia? GRATIA apud Paulum, in hac doctrina, significat, Ebraea phrasi, misericordiam gratuitam, videlicet remissionem peccatorum, et reconciliationem, seu acceptationem gratuitam, propter Filium Dei, quae cum Fide accipitur, simul Filius Dei viuificat corda, et per Euangelium dicit consolationem in corde, et accendit Spiritu sancto tales motus, qualis est ipse. Rom. 3. 5. 6. 8. Joh. 1.

Quare necesse est retineri exclusiuas Particulas, SOLA FIDE, et GRATIS? Propter quatuor caussas: Primum, Vt tribuatur honos debitus Filio Dei, quod haec sola hostia sit precium pro nobis. Joh. 1. SECVNDO, Vt conscientiae habeant firmam consolationem. Si enim penderet remissio ex dignitate nostrorum operum, semper esset incerta, et opprimerentur perterrefactae mentes desperatione. Rom. 4. Tertia caussa est, Vt invocatio fieri possit, quae impeditur conspectu nostrae infirmitatis. Ideo accedendum est ad Deum, fiducia solius Mediatoris. Ebr. 10. Eph. 3. Dan. 4. Quarta, Vt conspiciatur discrimen Legis et Euangelij, quia particula Gratis, Fide, propter Mediatorem, praecipue discernit Legem et Euangelium. Joh. 1. Rom. 4.

Quod est discrimen Legis et Euangelij? EVANGELIVM est promissio, offerens agentibus poenitentiam, remissionem peccatorum, et reconciliationem, accipiendam Fide, et est gratuita promissio, propter Mediatorem. Rom. 3. 4. 10. Johan. 1. Sed LEX est sententia, praecipiens integram oboedientiam erga DEVM, et damnans non habentes perfectam oboedientiam: Nec Lex habet promissiones gratuitas, sed conditionales, id est, pendentes ex dignitate seu perfectione oboedientiae et operum. Leuit. 18. Rom. 10. Deut. 27. Differt igitur Euangelium a Lege, genere et differentijs.

C 2. Regulae.

Particula Gratis facit illustre discrimen inter Legem et Euangelium.

Non sunt intempestiue miscenda dicta Euangelij et sententiae legales seu politicae.

Vna et eadem vox Euangelij sonuit in Ecclesia, inde vsque ab initio, nec alio modo Patriarchae saluati sunt, alio nos saluamur.

Euangelij promissio, et praedicatio Poenitentiae sunt vniuersales.

Saepe utuntur Prophetae phrasi Legis, vbi tamen interpretatio ex Euangelio sumenda est.

Vniuersa Scriptura in hos duos locos praecipuos distribui debet, in Legem et Promissiones.

Fides non ideo iustificat aut saluat, quia ipsa est opus per sese dignum, sed tantum quia accipit misericordiam promissam.

Propositio haec, Fide sumus iusti, intelligatur Correlatiue.

Quaedam dicta non loquuntur de Personae, sed de caussae iusticia. Item, Discernenda est Justicia personae et operum.

Fides iustificat Sola, sed non est sola.

Particula Sola, non excludit contritionem aut caeteras virtutes, ne assint, sed negat eas esse caussas reconciliationis, et transfert caussam in solum Christum.

Sentire Remissionem peccatorum incertam esse, est abolere Euangelium.

[In ähnlicher Weise wird die Lehre von den guten Werken (VII) und von der Kirche (VIII) abgehandelt.]

Caput IX. De Sacramentis, quae sunt signa ecclesiae propria. C 6. 10

Quid nominatur Sacramentum in Ecclesia? Sacramentum in nouo Testamento, vt Ecclesia loquitur, est ritus diuinitus institutus, additus promissioni in Euangelio traditae, vt sit testimonium et pignus exhibitae et applicatae promissionis gratiae, videlicet Baptismus et Coena Domini. Gal. 3. Ephes. 3. Roman. 4. Gen. 17. Exod. 12. Deut. 4. 12. Num. 9.

Quid est baptismus Ecclesiae Christi? Est instituta a Filio Dei mersio in aquam, cum pronunciatione verborum, Ego baptizo te in nomine — — Sp. sancti, testificans, quia hoc testimonium diuinitus institutum est, eum, qui cum hac pronunciatione verborum mergitur, reconciliari Deo propter Christum, et sanctificari Spiritu sancto, ad vitam aeternam. Matth. 28. Mar. 16. Ephes. 5. 1. Pet. 3. Tit. 3. C 7.

Quae est sententia verborum Baptismi: Ego baptizo — — Sp. scti? Ego (minister) hoc ritu testificor in nomine, id est, mandato diuino, te, qui sic mergeris, recipi a vero Deo in gratiam, qui est aeternus Pater Domini nostri JESV CHRISTI, et Filius, et Spiritus sanctus, et recipi te, propter Filium, et sanctificari te Spiritu sancto: Et ego testificor te recipi IN NOMEN, id est, agnitionem et inuocationem veri Dei, qui est aeternus Pater Domini nostri Jesu Christi, et Filius, et Spiritus sanctus, et recipi te, propter Filium Redemtorem Ecclesiae, et sanctificare credentem Spiritu sancto, quem agnosces et inuocabis, et palam vicissim testaris hoc Baptismo, te omnia commentitia numina execrari. Johan. 1. Luc. 3. Actor. 2. 1. Petr. 3. Tit. 3. Gal. 3. Ephes. 2. 5. 1. Joh. 1. Rom. 6. 1. Pet. 1. Coloss. 3. Johan. 3.

Suntne recens nati Infantes baptizandi? Infantes sunt baptizandi, et confirmatio haec est ex Euangelio sumta, quia ad infantes pertinet promissio gratiae et salutis aeternae. Gen. 17. Matth. 19. Marc. 10. 1. Cor. 7. Hiere. 1.

Quid est Coena Domini, et qualium rerum fit communicatio in Coena? Coena Domini est communicatio corporis et sanguinis Domini nostri JESV CHRISTI, sicut in verbis Euangelij instituta est, in qua, sumto Pane et Vino, Filius Dei vere et substantialiter adest, et testatur, se applicare credentibus sua beneficia: et se assumsisse humanam naturam propter nos, vt nos quoque sibi insertos Fide et oboedientia, membra sua faciat: et nos ablutos esse sanguine suo: simul etiam testatur se velle in credentibus deinceps esse: et se, cum sit λόγος aeterni Patris, docere, viuificare et regere credentes. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 10. et 11. Joh. 15. Matth. 28. 1. Tim. 2.

C 8. COENA DOMINI non est inane spectaculum, sed Christus reuera adest, dans per hoc ministerium, suum corpus et sanguinem manducanti et bibenti. Haec Persona quae est Deus et Homo, vere et substantialiter adest in hac sumtione, et applicat sese et sua beneficia communicatione corporis et sanguinis sui (ex Locis et Repet.). Quam vere enim Verbum caro factum est, tam vere nos Verbum, carnem factum cibo Dominico sumimus, vt Hilarius inquit.

Quid de hac Coena homini orthodoxo breuiter sentiendum est? Firmissime tenendum est, quod hoc Sacramentum Altaris sit verum Corpus, et verus sanguis Domini nostri JESV CHRISTI, in, sub, cum Pane et Vino nobis Christianis ad manducandum ac bibendum, ab ipso CHRISTO institutum. Haec Lutherus.

Et statuendum est, sententias Patrum ῥητῶς asseuerare, quod corpus Domini vere adsit in Coena Dominica, neque vlla satis firma ratio inueniri potest, cur ab hac sententia discedendum sit. Haec Philippus.

Quis est fructus sumtionis? Vsitate respondetur, quod sumtio fiat ad confirmandam Fidem, videlicet, vt applicentur credenti beneficia Christi. Matth. 26. Rom. 4. Estque hic principalis fructus, hoc testimonio confirmare Fidem, et statuere, quod hoc tanquam pignore seu sigillo, Filius Dei se tibi applicare sua beneficia testetur, et quod assumserit humanam naturam propter nos, vt nos sibi insertos tanquam surculos seruet. Joh. 15. Rom. 4. Nam Sacramenta sunt testimonia applicationis, quod necesse est intelligi, non (vt Papistae loquuntur) ex opere operato, id est, sine bono motu vtentis, in adultis, sed cum serio agunt poenitentiam, et Fide accipiunt. Hoc enim est digne manducare. 1. Cor. 11.

V. Es kompt aber die jugent gantz schweer an, das sie sich sol lassen ziehen vnd lernen; Sie weis aber nicht, das es Gott von jr haben wil. **S.** Lieber vater, jch habs jnn der ersten auch nicht verstanden, warumb jr mich lisset jnn die Schule gehen vnd offt mit der ruten straffen; weil ichs aber jtzt weis, warumb es geschicht, so wil ich folgen vnd studiren mit allem fleifs, Auff das ich meinem nechsten mit den gaben, welche mir Gott gegeben hat, mit der zeit müge dienen vnd T 3. nicht ein müssiges leben füren.

V. Vber die zwey Empter ist denn der Gemeine stand des volcks, wie sol man denselbigen erhalten? **S.** Mit allerley arbeit der hende, die Göttlich ist, denn etliche müssen das handwerck, Andere ein anders lernen. Auch müssen sein Ackerleute; sol eine Gemeine vnd ein land zunemen vnd jnn der narung erhalten werden, so mus man etliche, so dazu geneigt sind, bald jnn der jugent jnn solcher arbeit vnd handwercken auff ziehen.

V. Wie denn mit den megdelin? **S.** Die Mütter sollen sie zur zucht halten, lernen spinnen, arbeiten im hause vnd wie sie eine wirtschafft füren sollen.

V. Aus dem folget mit der zeit der Ehestand, on welchen sonderlich die welt nicht bestehen kan. **S.** Lieber vater, der trit seliglich jnn diesen stand, Welcher oder welche jnn Gottes furchte, jnn der arbeit oder künsten auffgezogen sind. Da gibt auch Gott die gebenedeiung; die müssen aber billich das vnglück haben vnd stete vneins sein miteinander, welche jnn diesen stand tretten vnerfarn vnd vngelernet. Inn der jugent sol man etwas lernen, auff das man sich eherlich im Alter erneere vnd dem nehesten diene.

V. Ich wolte auch nicht gerne einen junckern vnd müssigen menschen aus dir ziehen; sihe alleine, wie du hast angefangen, das du verfolgest. **S.** Lieber vater, da sey Gott fur, das ich euch nicht wolte folgen vnd etwas lernen, damit ich meinem nechsten dienen müge.

T 4. ## Vom Gebete, der zehende Artickel.[1])

V. Warumb setzestu das Gebete zum letzten? **S.** Darumb, wenn wir sehen, das vns etwas feilet jnn vnserm glauben, jnn vnserer liebe,

[1]) In der Ausgabe von 1537 resp. 1538 steht dafür folgendes Colloquium:

F 1. **Colloquium XII. De capite X. huius Catechismi: Oratio.**
Pueri: Hieronymus, Valerius.

Hie. Ego acerbissimas uexationes uitae mortalium inesse uideo, nunquam enim non sunt perferendae iniuriae, calumniae, lites, contumeliae, dolores, aegritudines, cruciatus, et animi perturbationes grauissimae. **Va.** Ea conditio est mortalium, ut propter peccatum nunquam cessent ista, calamitates et miseriae omnes, satellites sunt mortis, tanquam in hoc per eam conducti, ut nos perpetuo uexent et perturbent, saeuit illa in nos sua tyrannide dum uiuimus, nec satiatur donec consumat et exhauriat robur et uires humanas omnes.

Hie. Quibus igitur modis quaerimus perfugium, cum ita affligimur, est ne aliquod? **Va.** Est sane.

Hie. Dic quaeso. **Va.** Oratio ad Deum, haec omnes sanctos adeoque ipsum Christum in afflictione crucis et mortis incolumes seruauit.

Hie. Audire cupio finitionem orationis. **Va.** Audies, Oratio est inuocatio nominis Dei in omni tentationis et mortis angustia.

Hie. Omnes igitur qui patiuntur, oratione Deum inuocant et auxilium ab illo petunt? **Va.** Soli credentes id agunt, impij neque norunt in cruce orandum esse, neque quid sit oratio intelligunt, et ne te suspensum teneam, sex sunt, quae ad orationem Christianam pertinent.

Hie. Illa, quaeso te, ordine exponito. **Va.** Primum est Dei praeceptum, quo iubemur illius auxilium inuocare, in omni uita nostra et adflictione, scit enim nos adfligi, ut in Psalmo dicit, Inuoca me in die tribulationis et eripiam te.

Hie. Et alibi Christus dicit, Oportet semper orare, siquidem semper adfligimur et periculis expositi sumus. **Va.** Et nisi nostra Deo curae essent, nunquam ad orandum nos suo praecepto inuitaret.

Hie. Debet igitur nos mouere autoritas praecepti, ne impijs cogitationibus cordis

Auch jnn vnserm stande, dazu wir beruffen sind, so sollen wir fur Gott fallen vnd jn treulich bitten vmb gnade, das er vns nicht lasse fallen jnn jrthumb des glaubens, jnn vntrew vnd haß gegen vnserm nechsten.

V. Wenn wir nu vmb etwas bitten, jnn wes namen sol es geschehen? **S.** jnn dem namen Christi.

V. Wie kompts? **S.** also: Christus ist vnser Bischoff vnd furbitter; wenn wir jn nemen zu einem vorrhedner vnd bitten alleine jnn seinem namen, so erhöret vns Gott.

V. Wenn ist das gebet am sterckesten? **S.** wenn wir sehen, wie tieff wir im vnglücke ligen, auch wenn wir die gröste not fülen, so schreien wir recht mit ernst zu Got. Wenn man keinen trübsal vnd angst hat, wie kan man aus rechten hertzen zu Gott ruffen?

V. Es ist war. **S.** Darumb alle Christen, wenn es jn vbel gehet, haben sie zuflucht zum gebet, verzagen an jnen selber vnd an allen Creaturen vnd bitten gantz fleissig, Gott wolle alleine jnen helffen.

V. Welches ist das rechte Gebet? **S.** Das vater vnser, denn dieses hat vns Christus gelernet.

V. Was sind denn die Betpsalmen vnd andere gebet mehr der heiligen vetter? **S.** Es sind auch gute gebet, denn sie alle dem heiligen vater vnser zusagen vnd auch nicht anders lauten.

V. Sind aber das nicht rechte gebet, welche mit dem Vater vnser T 5.
nicht stimmen? **S.** sie sind wider Got. Doch Gott ist ein anschawer der hertzen vnd kennet am besten seine meinung vnd begird. Mancher betet einen Psalmen oder Vater vnser on allen ernst vnd glauben; Ja er dencket mehr an seine gute wercke, darumb er erhört wil werden. Dieser betet auch vnrecht. Derhalben weis es Gott alleine, wer recht betet.

---

nostri seducti illud labefactemus. **Va.** Opponit prudentia carnis indignitatem, propter quam non sit exauditurus nos Deus, praeter hanc et alia prestigia.

Hie. Verum dicis. **Va.** Secundum est, promissio, haec Dei praecepto est coniunctissima. Dicit enim Christus, Petite et dabitur uobis, et quicquid petieritis F 2.
patrem dabit uobis.

Hie. Sunt ista profecto nobis magnifacienda, siquidem nihil magis accendet nos ad orationem quam ipsum praeceptum et promissio Dei. **Va.** Imo si quis ignorat Deum promisisse auxilium et consolationem, quid orabit, quid item petet? Tertium, est fides, quae intelligit Dei praeceptum et promissionem, Hac docemur, ne quid dubitemus in omni periculo de misericordia dei et remissione peccatorum, hac freti intrepidis conscientijs dicamus, Abba pater, serua nos hac hora et in praesenti calamitate.

Hie. Fide concipimus nos charos esse Deo, fide confirmatur in nobis, per Christum omnia nobis donari, et profecto sanctissimus affectus est filiorum Dei erga Deum patrem, quo si caruerimus, regno uitae aeternae nunquam potiemur. **Va.** Sed ne te longiore oratione teneam, addam quartum, Crucem dicimus communi uocabulo, quo omnes, tum corporis tum animae afflictiones intelligimus, alij necessitates uocant, quibus impellimur, ut quaeramus auxilium et consolationem apud Deum.

Hie. In cruce, si recte memini, soli sumus, soli agimus, soli patimur et suspiramus, imo nudi derelicti, destitutique omni consolatione miserrime uiuimus. **Va.** Tales uoluit esse Deus omnes, qui oraturi, sunt in ueritate. Estque uere crux proprijssima officina, in qua exercemur, ut recte orare discamus. Crux in maximis acerbitatibus, Christum lachrymas fundere et ad patrem suspirare coegit, Cruce effectum est, ut Ezechias Rex sedula oratione prorogationem uitae suae consequeretur.

Hie. Aptissime haec dicis. **Va.** Sequitur quintum, Christus scilicet, in cuius nomine orandum est ad Patrem, hunc merito Pontificem et Sacerdotem nostrum

V. Wir wollen nu beschliessen vnd ein andere zeit mehr dauon reden. Ich lasse mir auff das mal genügen an deinem verstand des Catechiſmi. Gott verleihe gnade, das du auch darnach lebest! **S.** Lieber vater, Ich hoffe zu Gotte.

V. Hüte dich fur böser geselschafft vnd rohen leuten, denn durch solcher gemeinschafft wirdestu des Catechiſmi gantz vergessen vnd gar nicht achten. **S.** Got wird mein Fürer vnd Leiter sein, das mir kein mensch schade!

V. Das thue er aus seiner barmhertzigkeit vnd mache diesen Catechiſmum lebendig jnn deinem hertzen durch Christum Jhesum, seinen Sone! Amen.

[Auf Blatt T 6 bis V 4ª folgt noch der Text des Dekalogs, des Symbolums und des Paternosters ohne Auslegung wie eine Anzahl von Gebeten und das hier noch wiedergegebene Nachwort des Verfassers.]

V3b

Ambrosius Moibanus.

Diesen Catechiſmum wil ich also sonderlich der jugent befolhen haben. Ob nu ander die zehen gebote Gottes, Das Vater vnser, Die Artickel des glaubens jnn jren Catechiſmis gehandelt haben, wie von nöten ist, Hat mirs doch auff dis mal gefallen, den selbigen also jnn den zehen Artickeln zuhandeln, dar jnnen durch vnd durch, was die gebot Gottes sind vnd wie man sie verstehen sol vnd halten, Was auch der glauben sey vnd wie man recht gleube, Vnnd zum letzten, wie man beten sol, gelernet wird. Derhalben wird dieser Catechiſmus einen kleinen vnterscheid haben mit den andern, so durch viel gelerter vnd verstendiger Menner, denn ich bin, geschrieben sind.

V 4. Auch wil ich alhie angezeigt haben nicht on vrsachen, das im jare M. D. XXX zu Wittemberg ein klein Büchlin, des Titel ist: Vnterrichtung der Miſsthetern, die man tödten sol etc. mit meinem namen ausgegangen ist im drucke, von welchem Büchlin ich nicht weis, kennes auch nicht, kan auch noch heute nicht wissen, wie mein namen darauff komen ist. Darumb wolt niemands dasselbige fur mein büchlin halten. Ich möchte leiden, das des namen darauff stünde, den es angehört. Gott verleihe vns seine gnade Durch Christum Jhesum, vnsern herrn! AMEN.

Gedruckt zu Wittemberg durch Johan. Weiß M. D. XXXV.

---

agnoscimus, cuius nomen Patri memorandum est, nam is non aliud audit, neque gratum habet. Quicunque uenerit oraturus in Christi nomine, hunc exaudiet.

Hie. Recte igitur dixit Paulus, Iustificati sanguine illius, ad thronum patris accedimus, quiduis impetraturi. **Va.** Sextum, liberatio est, seu ipsa consolatio, quam in Christi nomine impetramus. Et scit optimus pater, quando et in quibus, item quomodo nos liberare debeat, nostrum est dicere, Fiat uoluntas tua, petendum est quidem auxilium et res aliqua ab illo, uerum non praescribenda ratio aliqua, rectius F 3. ille intelligit quid nobis desit, et quomodo seruandi simus, quam nos oratione assequimur.

Hie. Itaque his sex orationem constare putas? **Va.** Ita censeo, alij in pauciora contrahunt.

Hie. Nonne gratiarum actio altera orationis species dici potest? **Va.** Quid ni? per eam agnoscimus nobis diuinitus contigisse auxilium.

Hie. Imo et autorem omnis beneficij nostri, Deum esse hac ipsa testamur et praedicamus. **Va.** Sed quia ista nuper in concione audiuimus, non arbitror opus esse pluribus referre.

Hie. Idem ego sentio, ubi uacabit et de quibusdam alijs rebus sermonem instituemus, nunc enim praeceptori audiendo operam daturi sumus, Vale. **Va.** Et tibi omnia hodierno die ex sententia euenire cupio.

3. Der Katechismus des Ambr. Moibanus von 1537 resp. 1538.

Catechismi Capita Decem, primum quibusdam thematis, Deinde etiam Colloquiis puerilibus illustrata, iuuentuti Vuratislauiensi proposita. Ambrosius Moibanus. Accessit et puellae cuiusdam Oratiuncula, in natiuitate Jhesu Christi publice dicta. Cum Praefatione Phil. Mel. VITEBERGAE M. D. XXXVIII.

Philippus Melan. pio Lectori S. D. A 2.

PAVLVS DIligenter hortatur Timotheum, vt conseruet, non modo genus doctrinae, sed formam etiam quam ipse tradiderat, hoc est methodum, seu seriem, certas verborum formas maxime aptas, proprias, et perspicuas, non ambiguas. Nam figurae ambiguae pariunt infinitas discordias. Vocat enim certam ac iustam doctrinae formam ὑποτύπωσιν et hanc iubet velut depositum custodiri. Magna autem fides ac diligentia requiritur in ijs, qui presunt Ecclesiae, siquidem apud eos deponitur coelestis doctrina, ita vt non modo res, sed etiam rerum notas, seriem partium, et formam verborum custodiant. Hanc ad rem magnopere opus est habere certas epitomas quae rerum summas breuiter comprehensas, initio tradant. Facile enim deerrant animi nisi integrum doctrinae corpus teneant, et videant partium discrimina, vt cum controuersiae dogmatum existunt certas habeant quasi regulas ad quas conferant nouas opiniones. Quamquam talibus regulis etiam in tota vita, in fidei exercitijs, in inuocatione, in diiudicandis actionibus opus est. Nam in Inuocatione et in omni deliberatione mens intueri debet certas sententias, quae voluntatem Dei ostendunt, et quasi vniuersam relligionis doctrinam percurrere. Hoc enim praecipuum est discrimen inter pios et impios, Impij in actionibus suscipiendis sua consilia sequuntur sine verbo Dei. In inuocatione vero quia beneficia Christi nec intelligunt, nec intuentur, A 3. perpetuo dubitant an Deus curet humana, an respiciat Inuocationem, an velit flecti nostris precibus. Porro in his tenebris animi, inuocare Deum cum putant irritam esse inuocationem, id est conuitia facere deo, non est deum colere. Atque hoc caput est Idolatriae deum uoce uocare, et interea mente reclamare, ac imaginari, Deo non esse curae nostras preces. Hoc quid aliud est, quam mente pingere talem dei imaginem qualis erat apud Cretenses statua Iouis, sine auribus. Quis autem non perhorrescat hac in re cogitans maximam partem hominum sic inuocare deum, nec tantum illos qui palam sunt athei seu Epicurei, sed etiam omnes qui non recte tenent Euangelij doctrinam de beneficijs Christi, qui perinde inuocant vt ille apud Virgilium dubitans

> Aspicis haec? an te genitor cum fulmina torques.
> Nec quidquam horremus, caecique in nubibus ignes
> Terrificant animos, et inania murmura miscent?

Itaque necesse est tenere integram relligionis doctrinam, in omnibus uitae partibus, in omni Inuocatione, in quaerenda remissione peccatorum, in regendis actionibus. Quare Ecclesia optimo et vtilissimo consilio instituit initio, vt integra doctrinae summa breuiter comprehensa rudibus tradatur. Hanc institutionem vocabant Catechesin, in qua non modo in publicis concionibus doctrina proponebatur, sed etiam

dictata reposcebantur, vt propagarentur vna cum sententijs certae verborum formae. Ad hunc vsum tradita sunt Symbola Apostolicum et Nicenum, et quam fuerit olim erudita Catechesis intelligi potest ex Cypriani et Ruffini enarrationibus in Symbolum
A 4. Apostolorum editis. Et haec consuetudo tradendi elementa in Catechesi, profuit ad conseruandam puritatem relligionis longo tempore. Sicut et Basilius allegat puerilem institutionem in Epistola ad Neocaesarienses, inquiens. Meae fidei quod fuerit illustrius testimonium, quam quod a laudatissima muliere Macrina quae ex vestra vrbe venerat, nutrice mea institutus sum, a qua didici diuini viri Gregorij doctrinam, quam illa quidem diligenter tuebatur, eaque me puerum imbuebat, postea vero cum per aetatem accessisset iudicium, peruagatus sum Asiam atque Europam terra marique, vt eruditos audirem, Nec vllius tamen amplexus sum opinionem, qui ab hac regula quam didiceram dissenciebat. Tantum illos agnoscebam esse patres ac duces animae, qui cum hac regula pietatis consenciebant. Vide quantum haec prima institutio in animo Basilij valuerit, cum quidem sciret genus doctrinae, quod puer audierat ab autore optimae fidei traditum esse, nempe a Gregorio Neocesariensi, cuius testimonio et sententia praecipue obrutus est error Samosateni. Cum autem summa sit vtilitas huius primae institutionis, iure deploranda est negligentia aliquot seculorum superiorum, quibus illa vetus Ecclesiae consuetudo abolita est, cum Episcopi abiecta cura relligionis et literarum, impliciti essent negocijs minime dignis illo fastigio, Et vt dicitur catellae dominas imitantur, Ita pastores negligentiam Episcoporum referebant. Ad haec mala accessit, quod mole traditionum et Sophisticis rixis, ita erat contaminata et obruta doctrina Ecclesiastica, vt ne eruditi quidem summas rerum excerpere possent. Pastores
A 5. etiam si quid tradebant, tantum inculcabant caeremonias humanas, plerique qui volebant aucupari famam eruditionis, erant ineptiores. Ipse memini quendam Scoti lucubrationes in Longobardum integras pro contione explicare, idque hoc ordine, Cum proposuisset quaestionem recitabat argumenta, quae in vtramque partem initio collegit Scotus. In his consumebatur prima concio, Post octiduum instituebat vocabulorum declarationem, aut quasdam distinctiones, vt solet Scotus. His tribuebat interdum duas aut plures conciones. Ita vix tandem altero mense ad conclusiones veniebat et solutionem contrariorum argumentorum. Neque haec populari genere orationis illustrabat, sed rebus per sese obscuris et intricatis ipse offundebat nouas tenebras. Possem similia exempla multa recitare, In patria audiui monachum labores Herculis accommodantem ad diuam Mariam. Quid potuit cogitari insulsius? In Academia Buderina audiuimus Monachum Augustinum, enarrantem pro concione librum Ethicorum Aristotelis, vere ut ille inquit, Magna uoce, manuque tota, erantque concursus Scholasticorum tanti, vt nemo haberet auditorium frequentius, cumque illam fabulam non optime saltaret Monachus, illud erat deterius quod interim Christi nulla fiebat mentio, nusquam indicabat quid interesset inter Christi doctrinam et Aristotelicam, de Fide, de Inuocatione prorsus erat silentium. Nam mihi adhuc quidem illius voce personant aures et ut Graeci loquuntur ἔτι ἐναυλός ἐστί μοι ἡ φωνὴ αὐτοῦ. Magna enim cum admiratione eum audiebamus. Sed illae ineptae aut theatricae conciones
A 6. nihil proderant ad pietatem, imo caliginem offundebant doctrinae relligionis. Itaque bene merentur de Ecclesia boni et docti viri, qui illam vsitatam primae Ecclesiae Catechesin rudium restituunt in Scholis et templis, qui teneris animis instillant puram doctrinam de rebus necessarijs, qui rudibus inculcant haec elementa pietatis, prudentissime electa, quae maxime debent esse in conspectu, quae ostendunt Christi beneficia, et discrimen Ethnicorum et vere piorum, quae alunt timorem et fidem in animis bonorum, quae accendunt mentes ad inuocationem Dei, et monstrant veros cultus, vera Sacrificia. Etsi autem studium et diligentiam in plerisque probo qui

edunt Catecheses, et suo exemplo alios inuitant, tamen optarim aliquando deliberare praecipuos Ecclesiarum gubernatores, imo ipsos etiam principes, de vna aliqua forma huius Epitomes qua communiter Ecclesiae vtantur, Ea res et ad concordiam posteritatis, et ad puritatem doctrinae conseruandam profutura esset. Nam dissimiles verborum figurae, etiam vbi res non discrepant, propemodum ut in cantu dissonum quiddam faciunt. Deinde saepe dissimilitudo vel ambiguitas parit nouas et absurdas opiniones. Postremo etiam exemplum est periculosum, a recepta verborum forma, et a probata graui autoritate, discedere. Hoc qui faciunt in articulis obscurioribus fere gignunt nouas opiniones, Sicut Samosatenus commentus est nouam interpretationem *περὶ τοῦ λόγου*. explosa veteri sententia, quae extabat in Ecclesia grauissimis testimonijs confirmata. Quare cum periculum tantum sit in mutatione figurae verborum, optandum est ut ad unam aliquam certam formam assuefiant omnes Ecclesiae, atque ipsa etiam posteritas. Olim non modo discordiam, sed etiam nouas opiniones peperit ambiguitas A 7.
uocabuli hypostasis, donec conuenit, vt graeci etiam mallent dicere *πρόσωπα* nouo modo, ad tollendam ambiguitatem. Quamquam quid opus est veteres historias recitare, cum nostra aetas abundet exemplis, quae pios principes satis commonefacere possunt, vt curent in catechesi, et obscuris articulis unam quandam formam edi qua communiter Ecclesiae vtantur. Sed de hac re alias, Nunc enim adolescentibus concionamur, Hos adhortor vt hanc Catechesin ament, et cogitent magnopere opus esse vt statim teneri animi discant summam doctrinae Christianae, et diligenter considerent, quae res, qui cultus praecipue faciant discrimen inter pios et prophanos, qui articuli discernant doctrinarum genera, Euangelium et doctrinas humanas, quos cultus Deus requirat, Et ut libentius dent operam his Elementis discendis, cogitent vetus esse Ecclesiae institutum, ita praeparare rudes quadam puerili disciplina. Id conseruent propter communem omnium vtilitatem. Et quoniam Iuuentus leuius curat relligionem, et ab ea abducitur non modo voluptatibus, sed etiam multis malis persuasionibus et exemplis, illud praecipue eis inculcandum est, singulos homines ita debere vitam instituere, vt aliqua parte suorum laborum iuuent Ecclesiam et conferant aliquid operae ad ornandam gloriam Christi. Hic scopus esse debet in vita praecipuus omnibus hominibus, Nam ad hunc finem conditi sumus vt per nos Deus innotescat, Ad hunc finem Christus pro nobis passus est, vt eius beneficia et accipiamus et grati praedicemus, atque ornemus. Etsi igitur est aliqua laus et res expetenda bonis ingenijs, virtute in armis excellere, pollere consilio in regendis ciuitatibus, A 8.
instructum esse doctrina, eloquentia aut alijs bonis artibus, tamen ad hoc decus accedere debet, illa propria Christiani hominis virtus, vt dirigat vitam suam praecipue ad illustrandam gloriam Dei, et industria sua aliqua ex parte iuuet Ecclesiam. Hoc qui non faciunt, sed sibi tantum voluptates aut opes parant, uere sunt *ἐιώσια ἄχθη ἀρούρης*, Multi etiam ex illis non solum sunt inania terrae onera, sed postquam habent animos occupatos auaritia et ambitione fiunt hostes et *ἀλάστορες* Ecclesiae, adiungunt se impijs, qui nefarium et crudele bellum gerunt aduersus Christum, Quid autem magis miserum est quam ita viuere, vt nulla ex parte vita tua Deo sit vsui, aut etiam vt impia et sacrilega arma geras aduersus Deum. Quare in discendis Elementis pietatis confirmanda etiam haec in animis opinio erit, Sic instituendam esse vitam vt prosit Ecclesiae, et gloriam Dei aliqua ex parte ornet. Bene vale Lector. Anno M. D. XXXVIII.

AMBROSIVS MOIBANVS PArochus Vuratislauiensis, Iaonni Moibano B 1.
filio suo, Iesu Christi Saluatoris mundi, cognitionem.

PROPOSVERAM, CHAriss. fili, tuis commilitonibus seu Scholis nostris Vuratislauiensibus ante annos tres, themata quaedam, in quibus summa Christianae religionis

cerneretur, Ea quia negligentius typis excusa uidebantur, placuit hoc tempore recognoscere, et recognita iterum inuulgare. Nec puto, hanc rationem tractandae pietatis, a nobis hoc breui Catechismo descriptam, a tuo et aliorum puerorum, qui aliquem progressum in honestis artibus fecerunt, ingenijs, alienam uideri oportere, Quandoquidem illa subinde in praeceptionibus Dialectices, quae una artium docet, ut simplicissime quauis de re, siue ea sacra siue prophana sit, disseras et iudices, exerceri incipiunt. Hoc ipsum cum mecum cogitarem, precium operae me facturum arbitratus sum, si Christi usum, et omnia, quibus eius sacrosancta cognitio in cordibus nostris formatur, hisce paucis thematis seu communibus sententijs comprehenderem. Potes enim tu et alij pueri facilius et minori labore, unam atque alteram talem sententiam, quam perpetuam aliquam et longam orationem memoriae commendare, deinde et illam tecum circumferre, quocunque uadas, etsi nonnunquam quispiam puerorum nihil agere uidebitur, et uacare ab omni studio aliarum artium puerilium, modo haec nostra legerit, nisi stupidior sit lapide, conabitur tamen huiusmodi in animum reuocare, ac diligentius secum expendere. Quis enim ignorat, ingenium hominis nunquam non occupari suis cogitationibus? aut enim fingit aliquid, aut deliberat, aut res comparat, et ut uerbo dicam, meditationis nunquam est expers. Quare recte faciunt praeceptores, qui occasionem dant pueris saepius cogitandi de pietate, de Christo, de regno uitae aeternae, quod tum fit, ubi ipsis breues et electas quasdam sententias de his rebus ediscendas meditandasque proposuerint. Moses Israelitarum dux et
B 2. magister, Dei spiritu edoctus, quandam methodum informauit, quam uniuerso populo, et nobis omnibus cognoscendam post se reliquit, nos eam uocamus Decalogum, in illa, quicquid est praeceptorum Dei, paucissimis uerbis expressum est, cernere. Huc spectauit Christus Matth. XXII. cum interrogatur a legis doctore, dicente, Magister, quod est mandatum magnum in lege? Huic respondet, simul uniuersam legem in paucissima uerba contrahens, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua etc. Hoc esse primum et magnum mandatum. Christus adfirmat, Secundum autem, simile esse huic adserit, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Atque ut legis doctor sibi a Christo, summam totius Legis propositam intelligeret, subiunxit: In his duobus mandatis uniuersa Lex et Prophetae pendent etc. In his, quis non uidet Christum, nobis rationem methodicam commendasse? Praecipit homini magno et in Lege excellenti, ut hisce sententijs se exerceat, sciebat enim Christus, in multiloquio et stulticiae et impietatis multum inesse apud impios, nec posse humanam prudentiam citius confundi, quam si acribus et hisce breuibus oprimatur sententijs. Selegi igitur chare Ioannes mi fili decem quae dixi capita, ex sacris litteris, iuuentuti inprimis cognitu necessaria, tametsi non ignorem, plura esse, quae erant huc adscribenda, si quis uero pie de nostris iudicare uolet, mox intelliget, me magis spectasse, ut doceretur, quam ut obruetur imbecillior aetas tua et tui similium. Sunt Doctissimorum uirorum Catechismi, hoc tempore Orbi legendi propositi, eos si qui grandioris aetatis iuuenes legere uoluerint, nihil impedio. Scripsit et Paulus Methodum de iustificatione ad Romanos, qui locus in Prophetis longioribus concionibus adiunctis innumeris exemplis pietatis et impietatis pertractatur. Hic licebit cuique cognita Methodo Paulina, et Prophetarum libros legere et relegere. Sed nolo pluribus tecum contendere. Tu dabis operam, ut haec themata cum alijs pueris diligenter ediscas, in his enim uidebis, quae Summa sit Christianismi, et eius uitae sanctioris, quam in contionibus suis toties depinxit Christus. Sint haec, principium et caput tuorum studiorum quotidie, si uoles ut Deus de salute animae tuae
B 3. uelut pater sit solicitus, et res tuas omnes et studia tua fortunet, Fac quod Salomon sapientissimus rex, omnes hortatur Iuuenes, cum ait, Liga praecepta DOMINI Dei

tui ad guttur tuum, et scribe ea in tabula cordis tui, et inuenies gratiam et intelligentiam et bonitatem in oculis Dei et hominum, Confide Deo in toto corde tuo, et prudentiae tuae ne innitaris, In omnibus uijs tuis agnosce eum, et ipse diriget semitas tuas. Non sis sapiens in oculis tuis, sed time Dominum et recede a malo, et erit sanitas umbiculo tuo, et irrigatio ossibus tuis etc. Eadem Christus dixit, Primum quaerite regnum Dei, et caetera omnia adijcientur uobis. Huc igitur si spectaueris, aderit Dominus conatibus tuis, et suggeret tibi uirtutem ex alto, ut in gloriam nominis sui, et aedificationem proximi tui hanc calamitosam uitam transigas, et non ita multo post in Aulam coelestis Regni, haeres aeternae uitae instituaris. Christus obedientium puerorum Tutor et Defensor, te custodiat ab omni malo. Vuratislauiae Die AMbrosij ANNO M. D. XXXVII.

Nach diesen zwei Vorreden beginnt der Hauptteil des Büchleins, nämlich die Aufzählung der zehn Capita und deren Explicatio; weil fast wörtlich aus der Ausgabe von 1533 herübergenommen (cf. Einleitung zu Nummer 1—3) und von vns unter Nummer 1 mitgeteilt, übergehen wir sie hier. An diesen Hauptteil schließen sich auf C 1 bis G 4 die Colloquia an. Dieselben werden mit folgendem Vorwort des Ambrosius eingeleitet:

AMBRO. MOIBA. C 2.

QVIA PVERI OMNIBVS modis exercendi sunt, cum in artibus suis puerilibus, tum etiam in sacrarum rerum progymnasmatis, rem non inutilem fore putaui, si hunc Catechismum in Colloquia quaedam puerilia translatum, illis proposuero. Sunt enim fere talia ingenia eius aetatis, quae suis condimentis sese oblectare percupiant. Quare quicquid est nostri tantilli laboris, quod in gratiam iuuentutis nostrae suscepimus, id Christo, quem pueriliter in puerorum animis, utcunque effigurari expetimus, adscribi uelim. Atque utinam Deus hoc sua gratia efficiat, ut nihil grauemur nos totos quanti sumus, ad puerorum imbecillitatem demittere. Et debebat hac in re tam pia nos mouere Christi autoritas et exemplum, qui impositis manibus in pueros, quam chari illi nobis esse debebant, testatur hac uoce, Sinite pueros uenire ad me, ne prohibete illos, talium est enim regnum coelorum.

Von den Colloquia sind die ersten drei und das zwölfte bei Nummer 2 unter dem Strich in Kleindruck mitgeteilt worden (S. 725—728 und S. 738—740); wir drucken darum hier nur die letzten drei Colloquia ab, die — und darin geht die Ausgabe von 1537 resp. 1538 über ihre Vorgänger hinaus — eine Erklärung des Dekalogs, des Paternosters und des Credo bringen (F 3 bis G 4).

F 3b

Colloquium XIII.,

in quo decem praecepta exponuntur.

Pueri: Georgius, Thomas.

Ge. Cum Decalogum, ut certissimam omnium legum methodum, nos tenere oporteat, Enumera quaeso mi Thoma decem Dei praecepta. F 4.
Th. Faciam, ausculta diligenter. Primum est: Non habebis deos alienos coram me — — et omnia quae eius sunt.

Ge. Declara haec quam potes breuibus uerbis. **Th.** Primum praeceptum praecipit de uera obedientia cordis erga Deum, qui unus est creator et saluator omnium.

Ge. Quomodo colendus est? **Th.** Non est uerior et certior cultus Dei, quam timor uerus, firma fiducia et inuocatio auxilij ipsius in omni cruce uitae nostrae.

Ge. Igitur hoc praeceptum ueram obedientiam et timorem Dei requirit? **Th.** Etiam, sed quia natura nostra est uiciata, non possumus eam praestare.

Ge. Quae sunt peccata, quae contra hoc praeceptum fiunt? **Th.** Ignorantia Dei, et uerbi ipsius contemptus, Item si hunc non timeas, si desperes in cruce, et si in creaturis et operibus carnis, salutem, consolationem et remissionem peccatorum quaeras.

Ge. Teneo ista, dic plura. **Th.** SECVNDVM praeceptum, requirit iustum et sanctum usum nominis Dei, in quo externus quidam cultus nobis praescribitur.

Ge. Expone hunc usum. **Th.** Consistit ille in uera inuocatione et praedicatione confessione nominis ipsius. Sunt enim haec propriissimi effectus et testimonia fidei.

Ge. Quos tu censes hoc praecepto damnari. **Th.** Damnatur primum uniuersa natura nostra, est enim tota blasphema, deinde damnantur, qui desperant, non inuocant nomen Dei, praeterea omnes qui non orant, qui nunquam gratias agunt pro acceptis beneficijs, Et hos in primis puniet dominus, qui periuri sunt, et qui periuria meditantur, et confirmant.

Ge. Ego eius praecepti cognitionem habeo, quod sequitur declara.

Th. TERTIVM est de sanctificando sabbato, hoc ministerium uerbi praecipitur, non enim ocium carnale tantum intelligi uoluit dominus, sed precipue rationem quandam externarum Ceremoniarum, quibus ministerium, diuinitus institutum conseruemus.

Ge. Ideoque iudicas praecipi aliqua tempora et dies, quos audiendo
F 5. Euangelio, publicis orationibus et Eucharistiae percipiendae impertias.
Th. Ita fieri opus est non tam propter nos, quam propter iuuentutem et familiam nostram.

Ge. Qui transgrediuntur hoc praeceptum? **Th.** Omnes qui ministerium uerbi contemnunt, et alios suo exemplo ad audiendum Euangelium non prouocant, addimus et eos, qui sacramentorum usum et dignitatem inutilibus contentionibus eleuant, Postremo et illi uehementer peccant, qui Ceremonias pias prophanant, et impias confirmant.

Ge. Satis diligenter omnia explicas, audiam caetera. **Th.** QVARTVM est de honore parentum, quos in summo gradu imperij collocat, siquidem illorum nomine omnes complectitur, qui praesunt, Nempe ministros uerbi, Magistratus et Praeceptores, his debemus obedientiam, qua iubemur ipsorum autoritati obedire.

Ge. Est optima haec politia, quam memoras. **Th.** Eam turbant homines immodesti, seditiosi et immorigeri, ignorant enim, quae sit uera pietas erga parentes et rempublicam.

Ge. Expectat illos horrenda ultio, quod innumera exempla scripturae testantur. **Th.** QVINTVM est, Non occides, Prohibetur eo praecepto, priuata uindicta, exponit Christus hanc legem, non solum de iniurijs manifestis, sed de cupiditate uindictae in proximum.

Ge. Ergo contumeliosi, inuidi, ira accensi, cum mansuetudinis et clementiae affectu uacent, contra hoc praeceptum peccant. **Th.** Rem

ipsam dicis. SEXTVM praeceptum dicit, Non moechaberis, hoc ipso prohibentur uoluptates illicitae, scortatio, et quicquid est impudicum, contra uero approbantur coniugia.

Ge. Haec uicia ex ocio, crapula et ebrietate nascuntur, quare laborandum est et cohercenda caro ieiunijs. **Th.** Ita est, SEPTIMVM munit inprimis iusticiam ciuilem, et rerum proprietates confirmat, praeterea ocium damnat, quo, qui mali sunt, ad rapiendum aliena impelluntur, Iubet uero nos esse diligentes, liberales et faciles erga proximum, qui eget.

Ge. O legem omnium dignissimam quae mortua est, si extra dilectionem constituti sumus. **Th.** OCTAVVM prohibet falsum testimonium et iudicia sancit. Est hic cernere, quanta sit autoritas testium, qui hoc agunt, ne ueritas deseratur.

Ge. Homines impij, pertinaces et temerarij inter uerum et falsum testimonium nihil interesse putant, quare ut hostes ueritatis aeternis tormentis tradentur. **Th.** Quod superest, NONVM et DECIMVM, de F 6. concupiscentia docent et declarant, quia natura nostra uiciata est prauissimis affectibus, neminem posse satisfacere legi, unde haec praecepta tantum nos accusant, et ut Dei gratiam inuocemus perpetuo nos impellunt.

Ge. Latissime patet in omnibus uiribus nostris hoc uicium, et nisi fide purificentur corda nostra, nulla est nobis spes salutis. **Th.** Bene dicis, contra hanc dum uiuimus sola fide pugnandum est, atque utinam eam uirtutem ex alto nobis impertiat dominus.

Ge. Id sedulo est nobis orandum, quod mox ex Timotheo et Christiano condiscipulis audiemus.

Colloquium XIIII.,

in quo oratio Dominica explicatur.

Pueri: Thimotheus, Christianus.

Thi. Multi excogitarunt aniles quasdam preculas, in quibus, nescio quos diuos inuocabant, At mihi uidetur, eam esse omnium optimam et sanctissimam orationem, quam Christus saluator noster nos docuit. **Chr.** Eloquere quae sit.

Thi. Ad hunc inquit modum orare. Pater noster, qui es in coelis — — libera nos a malo. **Chr.** Erit mihi gratissimum, si singulas partes huius sanctissimae orationis exposueris.

Thi. Mihi uero iucundissimum est de tam utilibus rebus colloqui, sed non est cuiusuis ingenij hanc orationem recte interpretari, cum puer sim, quid praestare queam ignoro. **Chr.** Deus erit tecum, nam et ex F 7. infantium ore dominus laudari uoluit.

Thi. Oratio haec septem petitiones complectitur, sed has simplicissimus praecedit titulus. **Chr.** Is est, Pater noster qui es in coelis.

Thi. Ille ipse. Locuturi cum magnis uiris, titulis utimur, quibus munus, et quae quemque deceant, exprimimus. **Chr.** Sic captamus beneuolentiam.

Thi. Probe dicis, quem autem aptiorem titulum excogitaremus, Deum allocuturi. Patrem dicimus propter misericordiae et summae erga nos

filios suos bonitatis affectum. **Chr.** Mirabiliter haec uox nos excitat, ut apud illum auxilium quaeramus, sed cur nostrum dicimus?

Thi. Quia omnes illius in Christo filij sumus, et communis est omnium haereditas. Hinc et fratres sumus, quos charitas docet, ut noster, propter Ecclesiam et omnia membra Christi dicamus. **Chr.** Exemisti scrupulum. Additur, qui es in coelis.

Thi. Recte, nam huius patris haereditas non est terrena, quam expectamus, in coelis est, hoc est, in eo regno, dignitate et conditione, ubi coelestia sunt dona, nempe gaudium et uita aeterna, odium, inuidia, et scelera omnia exclusa sunt, et ad regnum Satanae pertinent. **Chr.** Si igitur coelestis est pater, nunquam moritur, ut nostri terreni patres?

Thi. nunquam, sed audi primam petitionem, Sanctificetur nomen tuum. **Chr.** Audiam, mihi uidetur obscurior.

Thi. O pater misericors (iubet nos dicere Christus) effice, ut quaecunque docentur, nomen tuum apud omnes homines illustrent. **Chr.** Nomina creaturarum hic tacenda sunt, Et magna est impietas, praeferre Dei gloriae, nomen et honorem operum et creaturarum.

Thi. Plurisfiunt apud multos, hominum, principum, sanctorum et mundi nomina. At illud est, conculcare Dei nomen pedibus. **Chr.** Explica secundam petitionem de regno Dei.

Thi. Hac petitione querimur nos esse in regno Satanae, et petimus, ut Deus inchoet in nobis regnum suum per uirtutem spiritus sancti. **Chr.** Omnia conueniunt, ut uolumus Dei nomen augustissimum honorari, Ita oramus, ut illius regnum amplificetur, nam uellet id Satan excindi.

Thi. Tertia petitio est, Fiat uoluntas tua. O pater nos in hac uita regimur uoluntate et edictis Satanae, quam uellemus omnes parere tuis
F 8. mandatis, si non impediremur. **Chr.** Hoc agit Satan, ne quis obediat Deo, et uerbo eius, Itaque orandum est nobis, ut hic in terris omnes hoc faciant, quod illi placere possit, sicut Angeli in coelo nihil repugnant eius uoluntati.

Thi. Hae tres petitiones ad Dei gloriam pertinent, sequentes, calamitates nostras exponunt. **Chr.** Dic igitur sententiam quartae petitionis, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Thi. Petimus his uerbis alimentum corporis, ubi fatemur, non esse nostrarum uirium uiuere et sustentari in hoc mundo. **Chr.** Et impij creaturis utuntur, uerum non intelligunt illas donari Dei beneficio, soli credentes hoc norunt, ideoque et cum gratiarum actione manducant.

Thi. Hoc est quod nostrum dicimus, Deus pater, custos est et conseruator panis nostri, in cuius manibus omnia coelesti benedictione augentur, Et quoties aliqua re opus est, credamus eam iam olim in illius manibus nobis paratam, et tum nobis exhiberi, ubi is nos egere uidet. **Chr.** Quidam huc colligunt quaecunque ad uitam praesentem sustentandam requiruntur, imo et uerbum Dei, panem uitae aeternae addunt.

Thi. Non errant, et animae et corporis necessitates panis nomine complectimur. **Chr.** Sed cur quotidianum dixit Christus?

Thi. Voluit prohiberi luxum, gulam et carnis petulantiam, quae delectum querunt. **Chr.** Sed noli esse uerbosus, quintam petitionem paucis uerbis exponito.

Thi. Fiet. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Duo quae obserues hoc loco admoneo, alterum est, nos hac petitione confiteri peccata nostra, quae non nisi condonatione gratuita aboleri uolumus. Alterum, tum nos certiores fore a Deo nobis ignosci, ubi quicquid alij in nos peccauerunt, condonauerimus. **Chr.** Igitur nostra condonatio, signum est condonationis diuinae.

Thi. Certissimum, simulatque senseris te ex animo diligere eum, qui nocuit et offendit, admoneris et Deum tibi ignouisse. **Chr.** Sexta petitio quae est?

Thi. Et ne nos inducas in tentationem. Hac petimus nos defendi a Deo contra insidias Satanae, sumus enim in hac uita proni ad impietatem et omnia scelera. **Chr.** Imo ipsa uita nostra, perpetua est tentatio, fieri autem nequit, ut non tentemur, ideo orandum est, Ne dominus nos sinat induci in tentationem, tam uehementem, in qua desperemus. G 1.

Thi. Septimam exponam petitionem, Libera nos a malo. Hac dicimus, o pater, libera nos ab omni peccato, ab omnibus iniurijs carnis, item calamitatibus et aerumnis praesentis uitae. **Chr.** Hoc aliud non est, quam petere, ut donetur nobis uita aeterna, in qua gaudium, pax et iusticia regnant.

Thi. Si quae negligenter a me dicta sunt, ignosce. **Chr.** Omnia, ut mihi uidetur, aptissime dixisti, utinam quo animo Christus nos orare docuit, nos uicissim fidelissime oremus.

Colloquium XV.

De articulis fidei Christianae religionis.

Pueri: Zacharias, Apollo.

Za. Iussit praeceptor, ut tibi Articulos fidei enumerarem. **Ap.** Enumera, nihil grauabor audire.

Za. Sed addidit, ut enumeratos exponeremus. **Ap.** Lubens illius iussis pareo.

Za. Tres sunt Articuli fidei Christianae, in quibus Deum unum et trinum confitemur. Est enim Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus, et tamen unus est Deus. **Ap.** Ista fide, non humana ratione concipi oportet.

Za. Primus Articulus, est de creatione et sustentatione omnium creaturarum. Credo in Deum patrem, omnipotentem, creatorem coeli et terrae. Secundus Articulus, est de redemptione per Christum. Et in Ihesum Christum — — Inde uenturus est iudicare uiuos et mortuos. Tertius Articulus, est de sanctificatione. Credo in spiritum sanctum — — uitam aeternam, Amen. G 2. **Ap.** His Articulis docemur, quae legis sit impletio, nempe fides, qua, quod uiribus nostris praestare non possumus, impetramus.

Za. Ideo dicimus, Credo in Deum. **Ap.** Cur non dicimus, ego intelligo, quid Deus sit, Quid item Christi mirabilis incarnatio, passio et mors?

Za. Non est humani ingenij ista cognoscere, sola fides intelligit haec omnia. **Ap.** Itaque dum ea credimus, iusti et sancti sumus.

Za. Non est alia iusticia, quam fidei, Qui credit in creaturas, in humana opera, primum praeceptum negat. Nemo enim nisi Deus est adorandus et fide colendus. **Ap.** Patrem dicis?

Za. Merito, quia paterna est erga nos uoluntate, et quotidie, quibus nobis opus est, dat et conseruat. **Ap.** Mox addis creatorem.

Za. Creauit is omnia, coelum et terram ex nihilo, nec hodie cessat, omnia producere ex terra, quibus ad sustentandam uitam utimur. **Ap.** Verissima dicis, unde illi debemus, ut patri optimo, laudes, gratiarum actiones et obedientiam cordis nostri. Sed perge exponere secundum articulum de redemptione filij Dei Ihesu Christi.

Za. Nunquid non satis est credere, Deum creasse nundum? **Ap.** Minime.

Za. Iudei consistunt in eo articulo, uerum nulla est, nec uera fides, quae Christum excludit. Somniant et multi sibi talem fidem hodie, quam merito non fidem, sed figmentum humanae rationis appellauero. Nam nemo nouit patrem nisi per filium. **Ap.** Vnde dicimus, Credo in Ihesum Christum, filium eius unicum, dominum nostrum?

Za. Haec sic interpretor, Credo Christum uerum Deum esse, filium aeterni patris, Praeterea credo illum esse dominum nostrum et caput suae Ecclesiae, quam ipse solus a Satanae insidijs et potestate defendit. **Ap.** Christiana haec est interpretatio.

Za. Nihil uerius dici potest. Nam ille solus nos a morte damnatione et omni peccato liberauit, id quod sequentia testantur. **Ap.** Qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria uirgine.

G 3. **Za.** Quomodo peccata nostra damnasset et mortem uicisset, si non absque peccato conceptus et natus esset. **Ap.** Superant haec omnem humanum sensum, sed quae sequuntur audiamus, qui passus est, crucifixus, mortuus et sepultus.

Za. Ecce satisfactionem Christi pro peccatis nostris, Oportebat illum pati et mori, innocentem pro nobis omnibus nocentibus et iniustis. **Ap.** Descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis, Ascendit ad coelos, Sedet ad dexteram patris? Quid hisce docemur et confitemur?

Za. Christum, qui factus est pro nobis peccatum, potestate diuina inferorum regnum deuastasse, uictorem esse mortis, illum regnare in coelis cum patre super omnes principatus et potestates tenebrarum. **Ap.** Quod additur, inde uenturus est iudicare uiuos et mortuos, declara.

Za. Christus olim iudex iustissimus adparebit traditurus aeternae morti omnes impios et contemptores suae iustificationis, Credentes uero, haeredes uitae aeternae, et regni sui coram omnibus hominibus declaraturus. **Ap.** Absoluisti articulum de redemptione, Videamus tertium de sanctificatione. Credo in spritum sanctum etc.

Za. Spiritus sanctus est, qui haec omnia de Christo in cordibus nostris operatur, confirmat et sanctificat, nisi enim ille per fidem haec nobis inspiraret, nunquam nostro iudicio carnis assequeremur. **Ap.** Id sacrae literae in multis locis testantur. Quid est, Credo sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem etc.?

Za. His contra portas inferorum testamur, Vnam esse Ecclesiam Christi sanguine aspersam, quod non sciremus, nisi testimonio spiritus in cordibus nostris conuinceremur. **Ap.** Nihil hoc loco dici potest accommo-

datius, Habet haec Ecclesia omnes diuitias gloriae Dei communes, nempe Baptismum, fidem, consolationem, remissionem peccatorum et uitam aeternam.

Za. Ideo concluditur hic articulus his uerbis, Credo remissionem peccatorum, carnis resurrectionem et uitam aeternam. **Ap.** Resurgemus omnes per uirtutem resurrectionis Christi?

Za. Omnes, ille nos ex mortuis excitabit in die nouissimo, et in aeternae uitae regno haeredes constituet. **Ap.** Efficiat misericors pater per Christum filium suum haec quae fide confitemur in nobis uiua et certa.

Za. Orandum est sedulo mi Apollo, ut augeatur fides nostra, quae G 4. adhuc infirma est. Nam nunquam non impeditur reliquijs peccati nostri. **Ap.** Rectius haud dubie benignus pater infirmitatem nostram intelligit, quam nos exponere possumus.

Za. Ingemiscendum est omni tempore. Nouit enim gemitus nostros, quia pater est, scrutatur corda nostra, scit quid desit nobis. **Ap.** Ego in templum eo, auditurus concionem, tu si libet me sequere.

Za. Sequar.

Nach Einfügung der Tischgebete und des 67. Psalms folgt auf Blatt H 3b: Oratiuncula puellae, de puero Ihesu Christo, in ludo literario Vuratislauiae dicta (H 3—7); derselben gehen ein Vorwort Moibans und In orationem puellae Mel. Acontii Elegia voraus. Wir drucken den ganzen Abschnitt in Kleindruck ab.

Amb. Moyb. (sic!) H1b

SEquentem oratiunculam adscribi uolui, ut haberent Pueri, quo magis ad literas et studia sua inuitarentur. Potest et hodie Deus puellarum, ut olim, ingenia ad honestissima studia literarum excitare. Habent Graeci plerasque quas iactent honestissimas foeminas, pleraeque commendantur nobis in sacris libris, Politianus laudat Cassandram quandam puellam Venetam, quae pro lana librum, pro fuso calamum, pro acu stylum tractare solita erat. Sunt qui et Hildegardin uirginem Germanam praedicant, cuius studio et religione quidam Pontificum Romanorum et Conradus Fridericusque Imperatores permoti, ad illam multa scripserunt. Miraculum est Ioanna Anglica, quae Athenis sexum mentita literis et Philosophiae operam dedit, et H 2. postea Pontificatum summum post Leonem quartum, cum eius eruditionem multi Romae admirarentur, eodem ingenio consecuta est. Nollem hoc exemplum esse honestis puellis. Ego literarum honorem tantum suspicio et ueneror in eo sexu. Nam quia rariora sunt dona linguarum, et optimarum disciplinarum in hoc sexu, nos magis Dei uirtutem et beneuolentiam erga genus humanum admirari debemus.

Celebrauit Hieronymus suam Blesillam, de qua ad Paulam matrem ipsius ita scribit, Si graece audijsses eam loquentem, latine eam nescire putares, si in Romanum sonum lingua eius se uerterat, nihil omnino peregrini sermo redolebat. Taceo probam Valeriam Romanam puellam graecis latinisque literis eruditissimam, omitto etiam Elisabetam Germanicam primariam, in quodam coenobio uirginum, quae multis scriptis eruditis et pijs nomen suum posteritati commendauit. Vnde non puto religionem Christianam abhorrere puellarum studia et literas, ut quidam calumniantur. Nobis grata esse debebant Dei dona in quouis sexu, placuit illi, ut primas conciones praeclarissimae resurrectionis Ihesu Christi filij ipsius, concionatrices mulieres, in Apostolorum aedibus haberent. Cur igitur nostrorum temporum exempla nequaquam aspernanda in puellis contemnemus. Adiecimus et quosdam pios uersiculos Laurentij Coruini, hominis pietatis Christianae studiosissimi, qui quia optime meritus est de patria sua, studijs honestis et republica Vuratislauiensi, noluimus illius negligi nomen et honorem. Sit Deo laus et gloria in Christo Ihesu.

In Orationem Puellae Mel. Acontii Elegia.

Quid tibi nunc foelix Germania deesse putabo,
Aut tua quo non est gloria summa modo?
Seu bellare iuuat, foresque armare cohortes,
Prospera Gradiuo bella fauente geris.
Seu libet optatas paci praescribere leges,
Legibus et pulchra pace nitere potes.
Sunt tibi res gestae, tibi sunt qui scribere possint
Quae geris, et factis debita fama manet.
Dona tibi Musae sua dant, nec pulcher Apollo
Munera Germanis ingeniosa negat.
Nostra quot historicos, quot uates pertulit aetas?
Deficiet tempus si numerare uelim.
Insuper en etiam, ne sit tua gloria uilis,
Aut aliqua merito parte dolere queas.
H 3. Iam discunt tenerae libros adamare puellae,
Et sua foemineus munera sexus habet.
Artibus ingenium, ceu formam cultibus augent,
Nec tantum doctos nunc licet esse uiris.
Quae tulit ante colos, nunc librum dextera sumit,
Vult calamum, fuso quae fuit apta, manus.
Hac ratione deam, quae de Iouis orta cerebro est,
Vtilius multo, quam coluere, colunt.
Saepe precabantur tenero prius ore Mineruam
Lanificas uellet diua iuuare manus,
Nunc ut honestatis liceat foeliciter artes
Discere, sollicita mente rogare solent.
Pergite cum maribus dulces certare puellae,
Non erit ut uideo gloria uestra leuis.
Propter enim sexus communia foedera Musas
Difficiles uobis arbitror esse minus.
Sed tu praecipue, quid agis, uenerare Camoenas
Quae puerum Christum parua puella canis.
Sic tibi contingent facunda nomina Sapphus
Musarumue recens adijciere choro.
Ipsaque uix proprias agnoscet Graecia laudes,
Et ponet fastus Ausonis ora suos,
Cum florere noua Germanos laude uidebit,
Et Phoebum passim pieridesque coli.
Tunc aliquis poterit, tantum miratus honorem,
Talia gratanti candidus ore loqui.
Artibus et bellis populos Germania uincit,
Hic illi nunquam preripietur honos.

Oratiuncula Puellae, de Puero Ihesu Christo, in ludo literario Vuratislauiae dicta.

NON est, cur quisquam tacitus secum cogitet, me puellam uix decimum egressam annum, uel uiribus dicendi fretam, uel ostentandi ingenioli mei causa, adductam, in conspectum uestrum longe iucundissimum prodijsse, sed amore pueri Ihesu Christi uerbi incarnati permotam esse, ut breuiter ob oculos ponam Dei gratiam in incarnati uerbi mysterio, non ut ego uos doceam, quibus quae dictura sum maxime sunt cognita, sed ut me et pueros, cum quibus aliquot annos literarum rudimentis operam dedi, ad puerum Ihesum amplectendum inuitem, si quo modo queam. Christiani sumus nos omnes, Christiana nostra est Schola in qua et nata et educata sum, cur ergo quenquam pudeat Christi saepius dicere laudes. Atque ut intelligatis, quid sibi mea uelit oratiuncula, duo Christo fauente agemus. Primum igitur natiuitatis historiam paucis recensebo, deinde, quantam utilitatis huius natiuitas attulerit explicabitur.

vor Gott ein Christ sey, sonder der Herr ists, der das gedeyen gibt, vnd man muß das jnnerliche vom äusserlichen, wie auch Petrus 1. Petri 3. thut, in den Händeln Gottes gebürlich vnterscheiden.

Fr. Waran soll man denn einen Christen kennen? **A.** Der HERR Christus spricht: An dem wirt man erkennen, daß jhr meine Jünger seind, wo jhr einander werden lieb haben, Dann die Liebe ist ein Gabe deß Geists Christi; wo die nicht ist sampt dem lebendigen Glauben vnd andern Gaben deß heiligen Geistes, da ist kein Christ noch Christenthumb, es sey gleich der Mensch mit Wasser getaufft oder Widergetaufft oder heisse sonst, wie er wölle.

Vom Sacrament deß Herren Nachtmals. VIII

Fr. Was haltestu von deß Herren Nachtmal? **A.** Es ist ein groß heiliges Geheimnuß, in welchem Gott der Allmächtige seine Kinder, die newgeborne Menschen, speiset vnd träncket, daß sie in der newen Geburt vnd Wesen, so sie durch Christum auß Gott haben, mögen auffwachsen, täglich zunemen vnd beständig biß an jhr end bleiben.

Fr. Was ist die Speise vnd der Tranck, damit Gott seine Kinder speiset vnd trencket? **A.** Die Speise, damit Gott seine Kinder speiset, ist der ware Leichnam seines Sohnes JESV Christi, vnd der Tranck, damit er sie trenckt, ist das Blut Christi.

Fr. Von wannen weistu das? **A.** Ich glaube, daß der HERR Christus gesagt hat: Mein Vatter gibt euch das ware Brot vom Himmel, Vnd: mein Fleisch warhafftig ist ein Speise vnd mein Blut warhafftig ist ein Tranck.

Fr. Wie verstehestu dise Wort? **A.** Gantz einfaltig verstehe ich sie, wie sie der Mundt der Warheit, Christus, selbs geredt hat, Also, daß der Leichnam Christi, der für vns ist gegeben, warhafftig vnser Seelen speise vnd völlige Geistliche narung sey Vnd sein Blut, welchs zu vergebung der Sünden vergossen, warhafftig vnser Seelen Tranck vnd ewige erquickung sey, daß ohn dise Speise vnd Tranck das ewige Leben niemandt mag haben.

Fr. Wer hat dich das gelehrt? **A.** Ich habs auß der Leer deß Himmlischen Meisters Christi, der da spricht: Es sey dann, das jr werden essen — — kein Leben in euch.

Fr. Wie kan der Mensch essen das Fleisch Christi vnd trincken sein Blut? **A.** Im Glauben muß ers essen vnd trincken, wie Christus spricht: Wer zu mir kompt, den wirt nicht hungern, vnd wer in mich glaubt, den wirdt nicht dürsten.

Fr. Ey, wie muß das zugehen? **A.** Es geschicht Göttlich, Himmelisch vnd Geistlich, ja warhafftig. Dann nach dem das Fleisch Christi warhafftig Göttlich, Himmlisch vnd Geistlich ist, in der Klarheit Gottes, so wirdt es auch warhafftig solcher weise im heiligen Geiste von den Glaubigen gessen vnd genossen.

Fr. Was heist das Fleisch Christi im Glauben essen? **A.** Im Glauben das Fleisch Christi essen vnd sein Blut trincken ist Christum nach dem Geist recht erkennen vnd seine wolthaten jnnerlich im Hertzen empfinden, Christo eingeleibt sein, in jhm wachsen, fülen vnd schmecken,

wie lieblich vnd süß der Herr ist. Davon aber der Vnglaubig nichts weiß, auch nichts kan geniessen.

Fr. So glaubstu, das allein die Glaubigen essen das Fleisch Christi vnd trincken sein Blut? **A.** Also glaub ich, das alleine die Kinder Gottes essen das Brot Gottes, jhres Vatters.

Fr. Welchs ist das Brot Gottes? **A.** Das Brot Gottes ist, das vom Himmel gestigen ist, das lebendige Brot, ein Brot der ewigen ersetigung, welchs der Welt gibt das Leben, vnd ist das eingefleischte Wort (Verbum incarnatum) JESVS Christus.

IX. **Fr.** Wer hat das gesagt? **A.** Christus der Herr sagt: Das Brot Gottes ist, das vom Himmel gestigen ist, vnd: Ich bin das Brot deß Lebens, auff das jemandt davon esse vnd nit sterbe.

Fr. Ist Christus ein Brot? **A.** Ja, er ist ein Brot, aber ein geistlich Brot, ein Brot deß Lebens vnd das lebendigmachende Brot, welchs allen Hunger der Seel vnd verschmachtung vnsers Gewissens hin nimpt, Ja starck vnd kräfftig ist es, wer davon isset, daß jhn weder der Todt noch die Sünde erwürgen noch die Helle kan verschlinden, Kurtzlich, so hat es solche Eigenschafft vnd wircklichheit, daß alle, so von disem Brot gessen haben, dadurch lebendig, ewig erneeret, im ewigen Leben ewig behalten werden.

Fr. Auß was grund redstu das? **A.** Auß disem grundt rede ichs, Daß der Herr gesagt hat: Ich bin das lebendige Brot, das von Himmel gestigen, so jemandt von disem Brot isset, der wirt leben in Ewigkeit.

Fr. Wie, mag das auch von seinem Fleische verstanden werden? **A.** Christus spricht: Das Brot, das ich geben werde, ist mein Fleisch, wellichs ich geben werd für das Leben der Welt. Diweil Gottes Sohn vnd Allmächtiges Wort von Himmel gestigen vnd das Menschliche Fleisch angenommen, sich damit in eine Person hat vereiniget vnd Christus für die Sünde der Welt gestorben, auch von den Todten aufferstanden, verkläret vnd sein Fleisch zu der Rechten Gottes gesetzt hat, so ist es nu mit dem worte (das Fleisch ist worden) in Gott erhaben in einer Glorien vnd Wesen, ist in einerley krafft, macht, vermögen, das Christus gantz, Gott vnd Mensch, aller wargläubigen Speiß, wares Brot vnd einige nahrung der Seelen ist vnd speiset zum ewigen Leben.

Fr. Was haltestu von den Worten, die der HERR im Nachtmal geredt hat, da er sagt: Das ist mein Leib, der für euch gegeben wirdt? **A.** Es seind wort, die Geist vnd Leben seindt, Wort, welche Christus, das Leben von der lebendigen vnd lebendigmachenden Speise vnser Seelen geredt hat.

Fr. Wie verstehestu dieselbigen Wort? **A.** Also verstehe ich sie: Der Herr JESVS, in der Nacht, da er verrathen ward, Nam er das Brot — — Nemet (vnd ich glaub, daß sie es baldt genommen haben), Esset (vnd ich glaub auch, daß sie es bald auff den befelch deß Herren gessen haben). Vnd so sie es gessen hetten, sprach er: Das ist mein Leib, der für euch gegeben wirt.

Fr. Was ist denn der Leib Christi, der für vns gegeben ist? **A.** Eben daas, was da ist ein gebrochen geessen Brot.

Fr. Was ist ein gebrochen geessen Brot? **A.** Es ist eine Speise. Vnd das ist der Leichnam Christi, der für vns gegeben ist, namlich ein

Speise. Denn wie ein gebrochen geessen Brot den Leib speiset, das natürliche Leben erhalt, neret, erlengert etc., Also ist der Leichnam Christi, der für vns am Creutz gebrochen, ein vber auß hohe vnd reiche Speise der glaubigen Seelen, daran sie das Geistliche, Göttliche Leben isset, hat vnd ewiglich besitzet.

Fr. Wer hat dich dise außlegung gelehrt? **A.** Der Herr Christus hats geleert, dann er spricht: Mein Fleisch warhafftig ist ein Speise, vnd das Brot, das ich geben werde, ist mein Fleisch.

Fr. Wie verstehestu dann die wort beim Kelch, da der Herr spricht: Das ist mein Blut, welchs — — vergebung der Sünden? **A.** Also, nach dem sie das Abendmal gessen, nam der HERR den Kelch, vnd so er gedancksagt, gab er jhnen, den Jüngern, vnd sprach zu jhnen: Trincket alle darauß; vnd sie truncken alle darauß, vnd er sprach zu jhnen: Das ist mein Blut, welchs — — vergebung der Sünden. X.

Fr. Was ist dann das Blut, das für vns zur vergebung der Sünden vergossen ist? **A.** Das ist es den Glaubigen, das ein außgetrunckener Wein ist aussem Kelch.

Fr. Was ist ein außgetrunckener Wein? **A.** Ein Tranck ist er, vnd das ist das Blut Christi, namlich ein Tranck, ein warer Tranck der durstigen Seele. Dann wie ein außgetrunckener Wein ein Tranck ist dem Leib, also das Blut Christi, welchs zur vergebung der Sünden vergossen vnd ein Blut deß newen ewigen Testaments ist, Ist ein Tranck der Seelen.

Fr. Wer hat dich das gelert? **A.** Der HERRE Christus, der da spricht: Mein Blut warhafftig ist ein Tranck, vnd: Kompt zu mir alle etc. vnd jr werdet rue finden ewern Seelen.

Fr. Ist dann das sichtbarliche Brot im Nachtmal nicht der Leichnam Christi vnd der natürliche wein sein Blut? **A.** Der Leichnam Christi vnd sein Blut ist ein speiß vnd tranck, das nicht verdirbt, sonder daß da bleibt ins ewige Leben. Darumb alles, was verdirbet oder verzehret wirt, kan nicht sein der Leichnam oder das Blut Christi.

Fr. Wie verstehestu die Wort deß Herren, die er geredt hat zu seinen Jüngern, da er spricht: Das thut zu meinem widergedechtnuß? **A.** Der Herr Christus hat seinen Jüngern vnd Glaubigen befohlen, das Brot zu brechen, so offt als sie würden zusammen kommen, des Herren Nachtmal halten vnd das Brot essen vnd auß dem Kelch trincken, solten sie seiner dabey gedencken vnd sollichs thun zu seinem widergedechtnuß, jme seiner Geistlichen speisung, wolthat vnd erlösung dancksagen vnd seinen Todt darbey verkünden.

Fr. Was solten sie aber thun, dieweil er saget: Das thut? **A.** Der Herr Christus hat nichts anders damit befohlen, dann so offt sie in der Gemein Gottes würden zusammenkommen, deß Herren Brot zebrechen vnd zu essen, daß sie solches theten vnd thun solten zu seinem widergedechtnuß. Es ist vmb das widergedächtnuß zethun, auff daß sie die wolthat Christi im Glauben bedechten, wie sie derselbigen seindt theilhafftig worden, ja das sie mit dem Leib Christi innerlich gespeiset vnd mit seinem Blute getrenckt werden, vnd jhm solchs hertzlich solten dancksagen, jhn preisen vnd loben, auch jmmer je mehr lieben vnd erkennen.

Fr. Ist das Brotbrechen auch von nöten zur Seligkeit? **A.** Das Brot deß Lebens ist nötig zur Seligkeit vnd nichts eusserlichs, Dann eins ist von nöten.

Fr. Mag auch ein Mensch das Brot deß Lebens essen, wann er nicht das Brotbrechen oder eusserliche Nachtmal mit haltet? **A.** Die Kinder Gottes betten den Vater an im Geist vnd in der Warheit vnd bitten jhn im Geist vnd in der Warheit vmb das tegliche vberwesenlich Brodt vnd der Vatter gibet jhnen auch solch Brot im Geist vnd in der Warheit. Vnd ist also dise Himmlische Speise vnd Speisunge nicht an eusserliche ding, auch weder an stell noch zeit gebunden, sonder frey speiset der Vatter seine Kinder mit dem Brot deß Lebens, wann vnd wie er wil.

XI. **Fr.** Was hat das Brot deß Lebens für Krafft? **A.** Christus spricht: Wer isset diß Brot, der wirt leben in Ewigkeit, vnd: wer isset mein Fleisch — — aufferwecken am jüngsten Tage.

Fr. Hat nicht Judas im Nachtmal das Brot deß Lebens, den Leichnam Christi, auch mit den andern Jüngern gessen? **A.** Die glaubigen Jünger haben gessen das Brot deß Lebens, das Brot den Herren selbst, Judas aber hat nit gessen das Brot den Herren, sonder das Brot deß Herren wider den Herren.

Fr. Was ist das Brot deß Herren? **A.** Es ist das sichtbarliche leibliche Brot, welchs der Herr in seinem Nachtmal gebrochen vnd dasto die Apostel in der Gemein Gottes zum widergedechtnuß deß Herren gebrochen vnd gessen haben. Das ist vnd heist das Brot deß Herren.

Fr. Warumb heist es ein Brot deß Herren? **A.** Darumb, das es vom Herren zu seinem widergedechtnuß seinen Jüngern zu brechen vnd zu essen befohlen vnd eingesetzt ist. Wenn auch das Nachtmal nach der einsetzung vnd ordnung Christi deß Herren von den eingeladnen Tischgesten in seiner gnaden wirt gehalten, so essen die Glaubigen nicht allein das Brot deß Herren, sonder auch das Brot den Herren selb, sie essen das Brot deß Lebens, den Leichnam JESV Christi auß seinem lebendigen Wort durch den waren Glauben, Die Vnglaubigen aber essen allein das Brot deß Herren vnd doch vnwirdig, deßhalb sie auch schuldig werden am Leibe vnd Blute deß Herren, Darumb daß sie nicht vnterscheiden den Leib deß Herren noch Christum mit seinen wolthaten nach dem Geist recht kennen, vnd das sie in dises Himmlischen Königs Wirtschafft ohn ein Hochzeitkleid eingehen, wöllen vom Tisch deß Herren Christi essen vnd seind doch nie Jünger deß Herren noch ware Christen worden. Darumb sagt Paulus bey der beschreibung deß Herren Nachtmals: Der Mensch prüfe aber sich selbst — — nicht vnderscheidet den Leib deß Herren.

Fr. Warinnen steht die prüfung, davon Paulus sagt, Oder: was heist sich selbst prüfen? **A.** Die prüfung steht in dem, daß sich der Tischgast deß Herren Nachtmals zuvor in seinem Gewissen wol soll erforschen, ob er einen waren, lebendigen Glauben habe, Ob er auch Christum vnd seinen Nechsten liebe Vnd ob er die geistliche Speise deß Herren Nachtmals recht kenne vnd wisse, wer sie gebe oder warinne sie fürgetragen werde, Item, ob er die worte: Das ist mein Leib etc. recht verstande, Ja auch gewiß glaube, daß der Leib vnd Blut Christi die

ware Speiß vnd Tranck vnser Seelen sey. Es wil auch zu diser proba gehören, daß der Mensch, welcher das Brot der Dancksagung ins Herren Nachtmal mit der Christlichen versambleten Gemeine wil brechen, zuuor der wolthat Christi vnd seines Creutzes an seiner Seelen sey theilhafftig worden, Das ist, daß er mit dem Leib vnd Blute Christi zum ewigen Leben durch den Glauben jnnerlich gespeiset vnd getrenckt werde. Vnd kurtzlich, daß der Mensch, der zum Tische deß Herren würdig gehen will, zuvor widergeborn, Christo eingeleibet und durch Christum in seiner gnaden ein andrer newer Mensch sey worden. Was dann weiter zu gedachter notwendiger proba der Tischgeste deß Herren Nachtmals wölle gehören, werden die Gottförchtigen nach anweisung der heiligen Schrifft wol zu bedencken wissen, so sie sich anderst nit selbst wöllen verfüren, jhnen das Gericht essen vnd am Leib vnd Blut Christi schuldig werden.

[Hieran schließt sich dann auf Blatt XII: „Zu mehrer erklärung dises Catechiſmi folgt ein kurtzer gründlicher Bericht.“ Dieser „Bericht“ erstreckt sich bis Blatt XXV.]

---

7. Die Catechesis des Val. Trotzendorf von 1558.

Catechesis scholae Goltpergensis,
scripta a Valentino Trocedorfio, cuius eximia fuit eruditio,
et pietas. Cum praefatione Philip. Melanth.
Vitebergae Anno M. D. LVIII.

Praefatiuncula autoris.

Doctrinae coelestis studium et meditationem grauissimis uerbis filius Dei commendat hominibus Joh. 5. *ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς — — περὶ ἐμοῦ.* Primum est mandatum Dei aeternum et immutabile, ut discamus, legamus ac meditemur doctrinam traditam in scriptis prophetarum et apostolorum. Huic mandato necesse est omnes obedire. Secundo monet qualis debeat esse lectio et meditatio doctrinae, *ἐρευνᾶτε* inquit, scrutamini, non sit lectio negligens et perfunctoria, ut aiunt, sed sit scrutatio, inquisitio et inuestigatio, singulae sententiae et membra, uerba atque adeo syllabae considerentur et pressius inspiciantur ac summa diligentia examinentur. Nam quod Hypocrates dixit *περὶ τῆς ἰατρικῆς*, id rectissime de doctrina ecclesiae dici potest, *οὔδεν μίκρον, οὐδὲν παραφρονητέον*, nihil paruum, nihil contemnendum putes in lectione atque meditatione doctrinae coelestis. Requirit ergo assiduitatem atque attentionem in lectione atque meditatione doctrinae. Ita Paulus praecipit 1. Tim. 4. *πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει — — τῇ διδασκαλίᾳ*, attende lectioni, adhortationi et doctrinae. Non satis est semel atque iterum percurrisse scripta illa, sed sit assiduitas, sicut praecipitur in uulgato uersiculo:

B 1.

Lectio lecta placet, decies repetita placebit.

Qui obiter tantum percurrunt haec scripta, facile contrahunt fastidium et toedium, abijciunt librum, aut fiunt haeretici. Ita Moses quoque praecipit Deut. 6. Verba haec acues filijs tuis, id est, inculcabis diligenti enarratione, acues ut penetrent animum, sicut in 1. psalmo requirit in uiro pio hanc assiduitatem, In lege eius

B 2.

meditatur die ac nocte. Meditari est cogitare assidue, significat assiduitatem, et uerbum ipsum quo utitur Christus in Johanne, habet insignem emphasin. Nam ἐρευνάω ut monent grammatici, uenit ab ἔρω quod significat interrogo, et εὐνή, quod conuersationem seu moram, nam qui scrutatur interrogando immoratur. Scrutari est inuestigare, omnia inquirere, nihil in excussum relinquere, uerbi emphasis et pondus consideretur. Deinde etiam hoc obseruandum, quod dicit scrutamini, non uult esse judices et censores, ut faciunt fanatici et haeretici, sed discipulos et auditores, qui haec scripta non ad normam humanae sapientiae reuocant, sed sunt admiratores, et manent semper discipuli et catechumeni. Tertio, quis scopus scripturae? Christus inquit, illae sunt, quae testificantur de me. Scopus scripturae est dominus noster Jesus Christus, hunc qui inuenit in scriptura, scopum attigit, et collimauit, qui hunc non uidet, a scopo aberrat. Scopus uniuersae scripturae propheticae et apostolicae est Christus. Ad hunc scopum omnia praecepta, historiae, et conciones referendae sunt. Nam nihil neque facere, neque petere, neque obtinere possumus, nisi per Christum fide apprehensum. Nam Christus est finis legis, et omnes promissiones sunt in Christo ναὶ καὶ ἀμήν. Et psalmo 40. Christus inquit, In uolumine scriptum est de me, ut faciam uoluntatem tuam. Scriptura digito monstrat in hunc Christum, is solus facit uoluntatem Dei, et eius obedientia imputatur his qui fide apprehendunt eum. Quarto, quis est effectus scripturae? Vita aeterna, qui scrutantur scripturam, uitam aeternam inueniunt. Ergo extra scripturam nemo uitam aeternam consequitur, nam qui uiuit sine doctrina coelesti, uiuit sine verbo Dei, et ratio sine uerbo nihil potest per se cogitare de Deo. Deinde qui scripturam negligit, est sine Christo,
B 3. sine Christo autem nemo ad patrem uenit, nec uitam aeternam consequitur, neque ulla alia doctrina, neque ullus liber qui perducat ad uitam aeternam, praeter hunc librum, est. Quinto, quale genus doctrinae proponitur in scriptura? Est testimonium, id est, tale genus doctrinae, quod fide non ratione aut demonstrationibus apprehendendum est, nam Christus quem scriptura monstrat est mirifica persona, quae non ratione, non humana sapientia, sed fide apprehenditur. Scriptura autem est testimonium de Jesu Christo, et testimonium requirit simplicem assensionem. Ergo testimonium uult fide apprehendi, non ad normam rationis dijudicari, requirit lectores, discipulos et catechumenos. Postremo, quomodo scrutandum est? Hypotiposin, hoc est, formam et integrum corpus doctrinae colligamus, et summam articulorum praecipuorum cum perspicua et uera explicatione complectamur, et hanc summam mente inclusam nobiscum perpetuo circumferamus. Talis quaedam hypotiposis est informata in catechesi, et Paulus 2. ad Tim. 1. sic uocat uniuersum corpus doctrinae.

Hoc dictum breuiter initio enarrandum putaui, ut auditoribus commendaretur accurata lectio atque meditatio doctrinae coelestis. S. Bartolemeus dixit, euangelium esse paruum et magnum. Paruum est, quia summa doctrinae breviter et facile comprehendi potest. Magnum, quia est recondita sapientia, quam perscrutando exhaurire nullus unquam homo potest, semper manet hoc mandatum, Scrutamini, scrutamini scripturas. In catechesi summa doctrinae coelestis est contracta in pauca capita, ut pueri et rudiores possint corpus doctrinae complecti, et animo comprehensum secum circumferre. Quare juxta Bartolemei dictum catechesin recte uocamus paruum euan-
B 4. gelium. Sed hoc paruum euangelium est idem quod magnum euangelium, summa potest comprehendi modico negocio, sed tamen ipsa doctrinae meditatio est infinita. Nemo unquam putet se exhausisse uniuersam doctrinam, quae est inclusa his capitibus, et si quis putat se percepisse, is est omnium stultissimus. Et Gregorius Magnus non quidem latine, sed tamen optime dixit: Euangelium est pelagus, in quo elephas natat, agnus uero peditat.

Quid est catechesis? Est prima institutio nouitiorum et rudium in ecclesia.

Quomodo fit haec institutio? Principales articuli doctrinae coelestis excerpti ex scriptis prophetarum et apostolorum cum puerili enarratiuncula proponuntur uoce, non scriptis et dictata illa deinde reposcuntur ab auditoribus, ut corpus et summam doctrinae breuiter comprehensam percipiant et teneant.

Unde haec uox catechesis deducta est? A *κατηχέω*, uiua uoce erudio. Cum non scripta proponuntur, sed primum uoce recitantur articuli principales uniuersae doctrinae cum breui quadam enarratione.

Proba hunc morem docendi fuisse in ecclesia. Luc. 1. *ἵνα ἐπιγνῶς — — ἀσφάλειαν.* Ego scribam, inquit Lucas, historiam a Christo gestam, ut scias certitudinem doctrinae quam in catechesi percepisti. Haec uerba indicant fuisse morem in ecclesia nouitijs proponere B 5. summam doctrinae uiua uoce, postea uero perceptis illis elementis et initijs doctrinae deducebantur ad lectionem scripturae. Haec uox usurpatur etiam Rom. 2. *κατηχούμενος ἐκ τοῦ νόμου.* Et ad Gal. 6. *κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος — — ἀγαθοῖς.* Id est catechumeni alant eum qui instituit eos in catechesi. In Eusebio histor. ecclesiast. de Dionysio dicitur: Dionysius Alexandro successit in auditorio catechesis.

Quomodo est dicendum *κατηχεῖν* an *κατηχίζειν*? Utrumque dicitur. In sermone apostolico tantum usurpatur *κατηχεῖν*, sed scriptores ecclesiae etiam usurpant *κατηχίζειν*; dicitur utrumque *κατηχήτης* et *κατηχίστης*, catechista et catecheta.

Catechesis estne necessaria in schola? Anni sunt iam septemdecim, cum in hoc ducatu regnarent fanatici quidam *σοφοί*, qui specioso praetextu uolebant mihi adimere catechesin, et e schola excutere, ego respondebam: Si catechesis mihi adimitur, habeo missionem aulicam. Nam catechesis est quiddam substantiale scholarum, semper fuit aliquod simulachrum catechesis in schola etiam in papatu quantum ego possum meminisse. Imo *τὸ ἔαρ ἐξ ἐνιαυτῷ ἐξαιρῶσι*, qui catechesin e schola auferunt. Sciamus igitur retinendam esse hanc doctrinam, quia Christus ait: Sinite paruulos ad me uenire. Jam in scholis docemus non cyclopicos pueros, non Turcicos nec Ethnicos, sed super quos in baptismo nomen Dei inuocatum est. Et alia studia praecipue debent ad hunc finem referri, ut inseruiant catechesi.

Est ergo necessaria propter tres causas. Prima est mandatum Dei juxta illud Matth. 10. Hunc audite. Et Psalmo 68: In ecclesiis benedicite domino de fontibus Israel. Item Psalmo 8. Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. Secunda: Ut in illis exercitijs notitia doctrinae confirmetur et illustretur iuxta illud Luc. 19: Habenti dabitur i. e. exercenti doctrinam augetur lux doctrinae. Tertia: Ut doctrina in ecclesia conseruetur et propagetur ad posteros, sicut scriptum est in Psalmis: Generatio generationi laudabit opera tua.

Placetne hoc studium discendi catechesin? Placet.

Proba, recita testimonium e scriptura, quod Deo B 6. placeat hoc studium puerile, cum quidem nondum intelligant pueri. Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. Matth. 21. ex Psalmo 8.

Atqui hoc de apostolis dicitur. Christus etiam hunc uersiculum diserte accommodat ad puerulos, qui in urbem ingredientem ipsum excipiebant cantu et celebrabant Deum in templo.

Quae est sententia huius dicti? Est consolatio ualde dulcis, quae testatur, quod studium puerile et recitationes doctrinae placeant Deo. Item: Quod Deus uult uoce, inuocatione et confessione puerorum celebrari. Tertio: Quod requirit in pueris et adultis studium doctrinae, uult esse scholas et conuentus publicos, in quibus proponatur doctrina, enarretur, exerceatur, fiat inuocatio, confessio et gratiarum actio. Estque commendatio ministerij, uult hanc laudem sonare in conuentu publico, illa recitatio doctrinae requirit studium uult pueros deduci in scholam et exerceri in doctrina, Marci 10. Sinite pusillos — — prohibete. Quarto: Quod infantes etiam pertinent ad regnum Christi et promissionem remissionis peccatorum, ait: Ex ore infantium etc. Ergo infantes pertinent etiam ad ecclesiam Christi et beneficia Christi etiam ad hanc aetatem pertinent ut clare testatur Marci 10: Talium est regnum coelorum. Anabaptistae calumniantur, dicunt, „talium“ de qualitate, non de substantia dici, de adultis, in quibus est puerilis simplicitas. Respondeo: „Talium“ pusillos monstrat, itaque certum est comprehendi infantes hoc dicto. Etiamsi de adultis loquitur, tamen complectitur infantes q. d. non tantum adulti pertinent ad regnum coelorum, sed etiam infantes, adeo ut neminem recipiat, nisi qui se dimittat ad illam infantiam. Imo infantes sunt magna et praecipua pars ecclesiae, sunt per baptismum sanctificati et initiati Christo, sunt uera membra ecclesiae. Sunt igitur inserendi ecclesiae infantes, impertiendus est illis baptismus et execrandus est furor Anabaptistarum, qui dicunt infantes non esse baptizandos, quia nondum intelligunt doctrinam. Quinto. Haec consolatio non tantum ad infantes aetate, sed etiam ad
B 7. adultos pertinet. Omnes enim sumus infantes. Quantillum enim est, quod scimus in naturalibus? Quis intelligit hoc admirandum opificium Dei in oculis? Quando ego et tu agimus gratias pro hoc tanto munere? Multo minus uero intelligimus, quare Deus uoluit genus humanum redimere per mortem filij. Illam sapientiam in euangelio patefactam nemo satis intelligit in hac imbecillitate naturae, sumus uere infantes ad illam sapientiam Dei propositam in natura, non tantum in euangelio, non ergo simus arrogantes et contemnamus alios. Sexto: De efficacia. Deus per infirma haec organa est efficax, colligit ecclesiam, destruit regnum diaboli, res magnas gerit per haec infirma organa 1. Cor. 1. Infirma mundi elegit Deus, ut destrueret fortia.

Enarratio grammatica singulorum uerborum. Perfecisti laudem i. e. res magnas geris, multo maiores quam sunt res gestae Alexandri, Scipionis, Julij Caesaris etc. hoc ut fiat conspectius consideretur tyrannis diaboli. Propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem i. e. diabolum et totum illius sodalitium et regnum. Os uocem, ministerium significat. Non debent esse muti in coetu publico pueri, sed os illorum sit etiam organum, per quod Deus celebretur. Infantium: Infans graece *νήπιος*, quasi *μὴ ἔπων*, non loquens. Infans proprie adiectiuum, qui non potest fari, infans orator, infans homo et quia pueri nondum possunt fari, uocantur infantes, et fit hic substantiuum. Lactentium: Interest inter lactare et lactere. Lactare est matris, nutricis, lactere infantis, est sugere ex ubere matris, graece *θηλάζειν*, utrumque significat et lactare et lactere. Illa uero ratio siue modus, quo infans alitur lacte matris, est pulcherrima imago ecclesiae. Nos sumus lactentes, oportet nos ali uoce Dei et spiritus sancti, scriptura est uber maternum, unde ecclesia alitur. Lac est uerbum Dei purum et incorruptum 1. Petr. 2. Sicut infantes recens geniti expetite lac uerbi incorruptum. *λογικὸν γάλα*. Lac, quod est uerbum Dei incorruptum. Laudem: In hebraeo est robur, regnum i. e. ecclesiam.
B 8. Deus colligit ecclesiam per haec infirma organa. Est Metalepsis. Nam in ecclesia, quae est robur regni Dei firmum, sonat laus Dei, uera agnitio Dei, uera inuocatio et gratiarum actio. Perfecisti: In hebraeo est fundasti, in graeco *καταρτίσω* a *καταρτίζειν*, quod proprie significat luxata membra in artus restituere, postea generatim dissipata componere et colligere. Genus humanum est auulsum a Deo, propter lapsum primorum parentum dissipatum et distractum in uarias opiniones. Quisque in uiam suam respexit, inquit Esaias cap. 53. Sed per uocem euangelii Deus *καταρτίζει*, colligit et consociat in ecclesia. Enarraui hoc dictum prolixius, quia cupio uobis infigi mentibus.

Quot sunt capita catechesis? Quinque. 1. De lege, summa legis decalogus est; 2. de euangelio siue de articulis fidei; 3. de inuocatione; 4. de sacramentis; 5. de noua obedientia siue de bonis operibus aut officiis uocationis. — Jam descriptiones et enarrationes horum articulorum discendae sunt.

Quot sunt communissima capita doctrinae coelestis? Duo. Lex et euangelium. Discrimen inter haec duo capita doctrinae est diligentissime considerandum.

Quod est discrimen inter legem et euangelium? Duplex est discrimen. Primum: Legis notitia nascitur nobiscum. Euangelium non est natura notum, sed a filio Dei ex arcano sinu patris prolatum. Secundum: Lex est doctrina praecipiens, arguens et condemnans, proponit praecepta et comminationes. Euangelium est promissio, offerens remissionem peccatorum, imputationem iustitiae, spiritum sanctum et uitam aeternam gratis propter filium Dei, non propter nostra merita.

Cur est tenendum hoc discrimen? In doctrina monachatus in papatu discrimen legis et euangelij ignorabatur et erat horrenda confusio et tenebrae. Nam fingebant euangelium esse nouam legem, tradere praecepta noua et homines esse iustos propter illa praecepta. Haec con- C 1.
fusio adfert tenebras tristissimas.

Recita testimonium scripturae de discrimine legis et euangelij. Lex per Mosen data est, gratia et ueritas per Jesum Christum facta est Johann. 1. Lex data est per Mosen, haec praecipit, arguit peccatum et denunciat iram Dei aduersus peccatum in toto humano genere, non abolet peccatum, sed tantum ostendit et arguit, non adfert remissionem peccatorum gratuitam. Gratia significat gratuitam remissionem peccatorum et reconciliationem. Veritas est uera et aeterna notitia Dei, uera iustitia, uera et aeterna uita.

Haec gratia et ueritas quomodo contingit? Vtrumque per ministerium euangelij exhibetur et fide accipitur, iustitiae imputatio. Veritas inchoatur a spiritu sancto per uocem euangelij, consumabitur autem in uita aeterna, cum coram Deum uidebimus a facie ad faciem et pectora nostra flagrabunt ardenti amore Dei atque integra obedientia et Deus erit omnia in omnibus.

Nonne et lex habet promissiones? Habet, sed conditionales, nam Deus et legi addidit promissiones: Honora patrem — — terram. Item Leu. 18. Qui fecerit haec, uiuet in eis. Sciendum igitur discrimen promissionum legis et euangelij.

Quod est discrimen inter promissiones legales et promissionem euangelij propriam? Promissiones legis omnes sunt conditionales, promissio propria euangelij est gratuita.

Dic aliquam promissionem legalem. In quarto praecepto: Honora — — super terram. Est conditionalis, habet conditionem impletae legis hoc est promittit lex et dat cum conditione, propter nostram obedientiam.

Quot sunt promissiones euangelicae? Est unica, sed C 2.
crebro repetita. Primum in paradiso post lapsum Adae est promulgata per filium Dei: Semen mulieris — — serpentis. Haec deinde saepe repetita et illustrata est. Gen. 22. In semine tuo — — gentes. Deinde

in nouo testamento est clarissime enarrata. Johan. 3. Sic Deus dilexit mundum etc. Rom. 3. Omnes sunt sub peccato — — in Christo Jesu. Duae sunt illustres differentiae promissionum legis et euangelij. In promissione euangelij est expressa mentio de redemptore et de exclusiua particula gratis. Promissio legis non facit mentionem de mediatore neque addit exclusiuam gratis, sed habet conditionem de nostris operibus.

Lex unde dicta est? Cicero dicit a delectu, sed uerius est a legendo, quia solebat publice legi et proponi populo. Deut. 21. Ibi sancitur, ut lex quotannis legatur in panegyri et conuentu uniuersali, ut omnes scirent et discerent. Graece *νόμος* a *νέμω* distribuo, quia unicuique suum opus attribuit. Hebraice תּוֹרָה a docendo, quia lex docet et proponit iram Dei.

Quot sunt gradus legum Mosaicarum? Tres. Lex moralis, iudicialis, ceremonialis. Lex moralis est ipse decalogus dextre intellectus, nam decalogus est optima methodus et epitome legum moralium. Leges iudiciales in Mose sunt praecepta a Deo tradita de externis actionibus, regentes hanc ciuilem societatem in diuisione hereditatum, in contractibus, in iudicijs, in poenis etc. Leges ceremoniales in Mose sunt praecepta a Deo tradita de externis ritibus sacrificiorum et quorundam exercitiorum in cibo et uestitu.

Suntne leges illae perpetuae et immutabiles et pertinentne ad nos? Respondendum est distinctione. Decalogus est lex C 3. aeterna et immutabilis. Est enim norma discernens iusta et iniusta et sicut Deus est aeternus et immutabilis, sic lex moralis est immota, quia est sapientia et norma aeterna in mente Dei, tantisper manet lex moralis, dum haec natura manet et ideo filius Dei missus est, ut obedientia erga legem moralem instauraretur.

Quid uero de iudicialibus et ceremonialibus sentiendum? Judicialia et ceremonialia sunt propria illius politiae, non obligant alios populos et cum politia illa iam abolita sunt, sed iudiciales et ceremoniales, quod ad morale attinet, sunt perpetuae et immotae. Lex de decimis dandis, quod ad ceremoniam attinet, pertinet tantum ad Mosaicam politiam, quod uero ad morale attinet, est perpetua, ut singuli aliquid conferant ad ministerium conseruandum. Canonistae dicunt, non quota, sed aliquota est iuris diuini. Deus illustri testimonio testificatus est, leges ceremoniales Mosaicas non esse iustitiam, de qua euangelium concionatur, nec pertinere ad alios populos, quia illam politiam funditus deleuit, nec postea instaurari passus est, etiamsi saepe Judaei post Titum tumultuati sunt et conarentur extruere. Erit perpetua uastitas, inquit Daniel cap. 9. illustre documentum, quod ceremoniae Mosaicae non pertinent ad ecclesiam, non sunt iustitia coram Deo.

Quid est lex Dei moralis? Est sapientia aeterna et immutabilis in Deo, quae in creatione transfusa est in mentes rationales et postea in monte Sinai uoce Dei promulgata cum magna maiestate et confirmata miraculis, discernens iusta et iniusta, praecipiens quales nos esse et quae facere et omittere oporteat, postulans integram obedientiam et congruentiam cum uoluntate Dei, quae in ipso uerbo expressa est et pronuntians Deum horribiliter irasci peccato et damnare ac punire in hac

uita et post hanc uitam poenis aeternis omnes, in quibus non est congruentia integra et promittens praemia obedientibus.

Declaratio definitionis. Lex Dei moralis: Excluduntur ceremonialia. — Immutabilis: Adulterium semper est turpe et fugiendum, hic nullus habebit dispensationem in omni aeternitate, lex C 4. 5
est sapientia aeterna et immutabilis in Deo, sicut Deus est aeternus, sic haec norma in lege expressa est aeterna immutabilis. — In creatione: Haec sapientia in Adam erat ualde illustris, post lapsum uero horribiliter est deformata, sed tamen manet reliqua scintilla legis, ideo Deus repetiuit hanc legem. — Cum maiestate ingenti: Tonitrua percrepabant, micabant fulgura, clangor tubae personabat et mons fumabat. — Confirmata miraculis. Eductio et transitus per mare rubrum, submersio et interitus Pharaonis, illud spectaculum in monte Sinai, uox Dei, clangor tubae, fulgura, postea reliqua testimonia praesentiae Dei, columna nubis et columna ignis, aqua e petra scaturiens. His miraculis Deus legem confirmare uoluit, ut certum esset, quod lex sit norma iudicij diuini contra peccatum. — Discernens iusta et iniusta: Iustum est, quod congruit cum lege, iniustum, quod discrepat a lege cum norma iustitiae in Deo et dicitur peccatum; *ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία* 1. Joh. 3. — Quales nos esse: Videlicet similes legi, debet in te lucere congruentia cum uoluntate Dei, quae est expressa in lege. Lex est speculum id, quo cernimus nostram *ἀνομίαν* et incongruentiam. — Postulans integram: Scilicet congruentiam externam in disciplina, in locomotiua et internam in corde, in uoluntate et mente. — Omnes in quibus: Omnes sumus incongrui, ergo omnes sumus rei mortis et meriti poenas aeternas, hoc uidit Adam in lapsu suo se haerere in morte aeterna. Lex ostendit iram Dei et praeparat nos ad euangelium audiendum et accipiendum. Euangelium adhibet *ἐπιείκειαν* aduersus terribile iudicium in lege patefactum. — Et promittens: Lex promittit bona propter nostram obedientiam; si obedieris, accipies bona; si non obedieris, punieris in hac uita poenis corporalibus et post hanc uitam aeternis.

De decalogo. C 5.

Decalogus graeca uox, latine decem praecepta significat et complectitur summam legis moralis.

Decalogus quomodo diuiditur? In duas tabulas. Prior tabula concionatur de operibus, quibus immediate cum Deo agimus. Secunda tabula continet opera, quae pertinent ad ciuilem uitam inter homines, quae exercentur in hac ciuili uita inter homines. Opera primae tabulae sunt cultus immediate, opera secundae tabulae fiunt cultus mediate. Prima tabula continet tria praecepta, altera reliqua septem.

Dic primum praeceptum. Sententia affirmatiua et negatiua complectenda est. [Bild.] Ego sum dominus Deus tuus — — coram me.

Quae est sententia? Agnoscas, timeas, diligas et colas unicum hunc solum uerum Deum Jehoua, qui se patefecit et uerbum suum tradidit et illud confirmauit testimonijs illustrissimis, uidelicet eductione ex Aegypto, deinde missione filij, resuscitatione mortuorum, donatione spiritus sancti et alijs miraculis. Huic soli confidas, ab eo expectes C 6.

consilium et auxilium in omni periculo et anxietate. — Negatiua. Et fugias atque execreris (sic!) omnes cultus sine uerbo Dei institutos, omnem doctrinam et omnes religiones pugnantes cum uerbo tradito per prophetas, Christum et apostolos.

Deus tuus. Hoc est: Te respiciens, curans, dans tibi uerbum, te inuocantem exaudiens, opitulaturus tibi in hac uita et post hanc uitam, hanc uocem fide accipi oportet. Vox Jehoua discernit uerum Deum conditorem a commentitijs numinibus. Hac appellatione prophetae utuntur de Deo uero et eum discernunt a commentitijs numinibus ethnicorum.

Qui eduxit te ex Aegypto. Addit testimonium, quo se patefecit. Primum est uerbum: Ego sum dominus Deus tuus. Postea est testimonium: Qui eduxit te ex Aegypto. Sic uoluit agnosci et deprehendi iuxta uerbum et testimonia. Nos in nouo testamento addimus alia testimonia: Inuoco te aeterne, uere, uiue Deus Jehoua, qui eduxisti populum Israel ex Aegypto per mare rubrum forti manu et excelso brachio, et misisti filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Non habebis Deos alienos. Quis est Deus alienus? Deus alienus est idolum commentitium, uidelicet imaginatio et opinio de Deo extra uerbum et cultus omnis sine uerbo Dei institutus. Nam Deus uult per uerbum agnosci et apprehendi. Ergo quicquid de Deo cogitatur extra uerbum, aberratur a uero Deo, et sculpitur idolum, quod nihil est. Turci habent Deum alienum, etsi inuocant uerum Deum conditorem, unam essentiam conditricem et architectatricem, tamen aberrant a Deo uero. Non apprehendunt hunc Deum in uerbo, sicut se patefecit. Non apprehendunt hunc Deum, qui misit filium et spiritum sanctum dat. Imo filium Dei reijciunt et blasphemia afficiunt. Johan. 5. Qui non honorat filium nec patrem honorat. Ergo Turci aberrant a uero Deo, non C 7. apprehendunt hunc uerum Deum Jehoua, quia extra uerbum quaerunt Deum. Sic cultus omnes extra uerbum instituti sunt idolum. Est ergo Deus alienus, quicquid mens humana cogitat extra uerbum. Nam illa cogitatio est idolum fictitium. Nam Deus tantum per uerbum uult agnosci, apprehendi et coli. Deos alienos habent omnes, qui ignorant uerbum et sine uerbo Deum colunt, inuocant, instituunt et seruant cultus. Vox Elohim, dij, saepe significat cultum apprehensum, rem sacram, *σέβασμα* uocat Paulus. Exod. 32 de uitulo aureo aiunt: Hi sunt dij, qui — — ex Aegypto. Non tribuebant uitulo aureo numen diuinum, hoc opus, quod per uitulum essent educti, sed: hi sunt dij, id est, sacra, quae placent Deo uero, qui se patefecit populo Israel et praesentiam suam declarauit hoc tanto opere. Deut. 12. Quod tibi praecipio, hoc solum facias Deo, non addas neque detrahas, non declinabis neque ad dextram neque ad sinistram. — Non habebis Deos alienos. Non tantum de essentia, sed etiam de illa imaginatione intelligendum est, quae Deum quaerit et instituit atque seruat cultus sine uerbo. Idolatria haec interior deinde quoque parit exteriorem idolatriam.

Quae sunt opera primi praecepti? Primi praecepti opera sunt: Agnoscere Deum iuxta uerbum ab ipso traditum. Timere Deum, credere uerbo, confidere uerbo, confidere Deo, diligere Deum ex toto corde. Ita Moses interpretatur Deut. 6: „Diliges dominum corde etc.“ breuissime. Opera primi praecepti sunt: Agnitio Dei, timor Dei et fides,

huc accedat patientia et humilitas et fides parit ueram dilectionem, non est dilectio nisi adsit fides.

Dic peccata pugnantia cum primo praecepto. Omnia uitia, quae pugnant cum timore Dei et fide.

Enarra hoc breue dictum. Cum timore Dei pugnant haec: **1.** Furor epicuraeorum et cyclopum, qui negant esse Deum, negant Deum esse iudicem et curare humana, dubitant an exaudiat, imaginantur Deum esse alligatum ad causas secundas. **2.** Furor idolatrarum, qui fingunt plures Deos et singulis tribuunt diuersam potentiam, qui colunt statuas, qui inuocant mortuos. **3.** Furor magorum, qui faciunt pacta cum idolis, C 8. 10 qui consulunt magos, qui retinent superstitiones, obseruationes et tribuunt illis potentiam sine ordinatione Dei. **4.** Furor haereticorum, qui corrumpunt ueram sententiam uerbi Dei. Item: Furores Mahometistarum et Judaeorum, qui non uolunt agnoscere hunc uerum Deum, qui se patefecit uerbo tradito per prophetas, filium et apostolos. **5.** Hypocritae, qui etsi uera profitentur, nec sunt polluti externis idolis, tamen in corde sunt securi, uiuunt sine poenitentia, sine fide uera et magis amant uoluptates suas et opes quam Deum. Illa securitas et superbia, quae plerumque est in magnis uiris, ut in Pompeio, Julio Caesare, Goliath, Nabuchodonosor ante castigationem, in Pharisaeo apud Lucam.

Quae Vitia pugnant cum fide? 1. Desperatio, 2. impatientia, 3. neglectio euangelij, ea est multiplex. Nam alij palam deficiunt ab euangelio, ut Julianus, Franciscus Italus, alij quaerunt alios mediatores et inuocant mortuos. Alij fingunt nouos cultus, ut missas, monachatum, satisfactiones, alij dubitant an exaudiantur, et indulgent diffidentiae, manent in dubitatione.

Quot sunt consideranda in quolibet praecepto? Quattuor. 1. Quid praecipitur; 2. quid prohibetur; 3. satisfitne huic praecepto in hac natura corrupta, et quomodo inchoatur; 4. de comminatione et promissione.

Satisfitne huic praecepto in hac corrupta natura? Nequaquam. Nam lex requirit integram congruentiam cum uoluntate Dei, quae est expressa in lege. Haec autem natura misera ualde dissimilis est huic legi, Deut. 6: Diligas dominum — — corde tuo. Manet perpetua precatio: Remitte nobis debita nostra. Cor nostrum est frigus et glacies, non ardet uera dilectione erga Deum. Omnis enim lex annuntiat nobis maledictionem, quia non satisfit ei. Necesse est autem inchoare hanc legem, sicut ait Christus Matth. 19: Si uis in uitam — — mandata.

Quomodo inchoatur primum praeceptum? Cum audito D 1. euangelio agnoscimus misericordiam gratis promissam et credimus propter filium nos recipi, peccatum nobis remitti, hac fide persona reconciliatur et placet Deo, tunc spiritus sanctus cor renouat et flectit atque inclinat, ut uelit iam obedire Deo. Haec inchoatio etsi est imperfecta, tamen iam placet, quia persona est recepta et placet propter filium. Necesse est apprehendi Christum filium Dei, sine eo non fit lex. Paulus Rom. 10. ait, Christus est finis legis, id est, impletio. Qui habet iustitiam, quam lex requirit, habet imputatam et inchoatam in hac uita. Post hanc uitam erit consummata iustitia, ubi Deus erit omnia in omnibus.

Recita comminationem et promissionem primo praecepto additam. Primum generalis comminatio Deut. 27: Maledictus omnis — — lege. Promissio generalis Leuit. 18: Qui fecerit haec, uiuet in eis. Deinde primo praecepto addita est peculiaris comminatio et promissio. Exod. 20: Ego dominus Deus fortis zelotes — — uerba mea custodiunt.

Ego dominus Deus fortis zelotes. Zelus est ardens ira aduersus eum, qui rem amatam uiolat aut aufert. Inde zelotes qui zelo ardet, ut Elias uero zelo ardet aduersus idolatras, qui gloriam Dei contaminant et polluunt. Fortis zelotes: Vere et horribiliter irascens aduersus uiolatores legis. Visitans iniquitatem patrum in filios: Visitare significat phrasi prophetica punire et opitulari, hic pro punire usurpatur, id est, Deus punit non tantum eos, qui delinquunt, sed etiam poenae uagantur in posteros, in natos natorum et qui nascentur ab illis. Qui oderunt me: Qui non toto pectore diligunt me et mandatis meis obediunt.

D 2. Ad primum praeceptum sunt addendae duae regulae. Prima: Primum praeceptum includendum est deinceps in omnibus sequentibus mandatis et discamus in illis semper respicere ad primum praeceptum, ut obedias parentibus propter Deum, non occidas, uites uagas libidines. Principaliter propter hunc finem, ut Deo obedias.

Exempla: Dauid non uult occidere Saulem. Item: Iram suam reprimit aduersus Nabal et Semei, quia respicit ad primum praeceptum et Deo uult obedire iuxta primum praeceptum. Cum Joseph repugnat illecebris dominae et reprimit incendia libidinum et uitat adulterium, intuetur primum praeceptum. Deus prohibuit uagas libidines, ergo non faciam hoc facinus. Sic primum praeceptum distinguit uirtutes ecclesiae proprias a uirtutibus ethnicorum et philosophorum. Alexander etiam coercet incendia libidinum, abstinet ab uxore, a gynecaeo Darij, nequidem uult uidere. Sed Joseph Deum intuetur et propter Deum uitat libidines. Alexander non intuetur Deum, sed iudicium rationis considerat. Est dignum principi magno tueri pudorem, habet commendationem pudor in heroica natura et est ornamentum aliarum uirtutum, econtra uagae libidines deformant ualde alias uirtutes.

Secunda regula: Primum praeceptum est summa lex et gubernatrix aliorum mandatorum. Ergo si magistratus mandat recipere cultus idolatricos missarum, hic primi praecepti autoritas est anteferenda quarto praecepto, quod iubet obedire magistratui.

Retinere imagines in templis estne peccatum contra primum praeceptum? Non. At dicit Deus: Non facias tibi ullum sculptile. Respondeo: Decalogus dextre intellectus est summa legum moralium. Nominatim additur haec particula dextre intellectus, ut excludat ceremonialia, quae sunt inserta in decalogo. Vt prohibitio imaginum in decalogo est ceremonia, quae tantum ad Judaeos pertinet, ergo illa prohibitio nos non obligat.

D 3. Estne haec prohibitio prorsus ceremonialis? Prior pars est ceremonialis: Non facias — — sculptile etc., altera est moralis: Non adorabis, non coles ea. Imagines habentur tamquam commonefactiones. Nam imagines sanctorum sunt libri rusticorum. Sicut literae ita etiam imagines sunt commonefactiones de historijs.

De Symbolo.

Quid est Symbolum Apostolicum? Symbolum hic uocatur collectio et comprehensio articulorum fidei. Sumpta est uox a militari K 1. more. Nam Symbolum proprie significat signum, quo milites inter se agnoscuntur et discernuntur ab hostibus. Sic professione Symboli et Articulorum Ecclesia discernitur ab Ethnicis et sectis. Articuli in Symbolo discernuntur in tres gradus iuxtra tres personas diuinitatis. Primus de Creatione. Secundus de Redemptione. Tertus de Sanctificatione.

Discenda est igitur Catechetica doctrina de Deo, et de tribus Personis.

Quomodo in Symbolo traditur doctrina de Deo et de tribus Personis? Credo in Deum patrem etc. Credo in Jesum Christum filium eius unigenitum etc. Credo in Spiritum sanctum etc. Hic expresse profitemur cum Ecclesia tres personas diuinitatis in una essentia. — Summa est: Vna est essentia diuina et aeterna, uidelicet Pater aeternus, Filius Imago Patris coaeterna, et Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio. Si quis dicat, quis potest haec intelligere tam sublimia? Respondeo. Hic articulus est patefactus, non ut intelligatur sed ut discas et reuerenter assentiaris Deo, sicut se patefecit. Est sapientia longe supra et extra captum humanae mentis posita, quam discemus et coram intuebimur in aeternae uitae societate et conspectu Dei, et hic intuitus est uita aeterna DEVS autem immensa bonitate sic se patefecit in Ecclesia, et requirit ut hanc doctrinam reuerenter audiamus, discamus, et fide amplectamur, et Deum inuocemus sicut se patefecit. In Schola aeterna audiemus filium *λόγον* de hac sapientia concionantem coram tota Ecclesia.

Quid est Deus? Integra descriptio collecta ex patefactione diuina haec est. DEVS est essentia spiritualis, intelligens, aeterna, uerax, iusta, bona, misericors, casta, liberrima, immensae potentiae et sapientiae. Pater aeternus, qui Filium ab aeterno genuit, et Filius Imago patris coaeterna, et Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio, sicut est patefacta diuinatas certo uerbo, quod Pater aeternus cum Filio et Spiritu sancto condiderit et seruet coelum et terram et omnes Creaturas. Et in genere humano condito ad imaginem suam, et ad certam obedientiam collegerit sibi Ecclesiam, ut in ea haec una et uera diuinitas K 2. patefacta certis Testimonijs et per uerbum traditum Prophetis et Apostolis agnoscatur, inuocetur, celebretur et colatur. Et damnentur omnes cultus, qui fingunt alios Deos, et haec uera diuinitas in omni aeternitate celebretur.

Quid Persona hic significat? Persona in hoc Articulo significat essentiam indiuiduam, intelligentem, incommunicabilem.

Quomodo Personae discernuntur? Per proprietates. Pater aeternus gignit Filium. Filius gignitur ab aeterno Patre. Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio.

Proprietates exteriores. Filius assumpsit humanam naturam et est Redemptor. Spiritus sanctus est sanctificator. Aeternus Pater est fons omnis bonitatis.

Quid est Filius? Est persona diuina genita a Patre, Imago Patris coaeterna, et assumpsit Naturam humanam, ut pro nobis uictima fieret.

Quid est Spiritus sanctus? Est persona diuina procedens a Patre et Filio, et mittitur in corda ut nos sanctificet, et accendat in nobis iusticiam et uitam aeternam, ut nos aeterno foedere amoris copulet cum Deo, cum Patre et Filio.

Primus Articulus, De Creatione et Sustentatione Naturae.

[Bild.] Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem coeli et terrae.

K 3. Quae est sententia? Credo quod DEVS aeternus Pater Domini nostri Jesu Christi cum Filio coaeterno et Spiritu sancto, ex nihilo coelum et terram, Angelos et Homines, et totam Naturam rerum condidit. Et perpetuo adest suo operi, sustentat et gubernat naturam a se conditam, quotannis terram foecundam facit, producit fruges et alimenta omnis generis. Et admirandum hoc opificium Mundi sustentat et seruat propter Ecclesiam, hanc alit, exaudit inuocantem, iuuat, custodit et defendit. Et credo me quoque ab illo uero Deo quotidie accipere demensum meum. Credo quod me uere curat, exaudit et defendit, sicut scriptum est Matth. 10. Capilli capitis uestri omnes numerati sunt.

Credo in Deum quid significat? Credo quod DEVS non solum uere est conditor et sustentator uniuersae naturae, sed etiam confido me ab ipso respici, ali, exaudiri, iuuari et defendi. Et firma fiducia in Deo acquiesco, uolo hunc uerum Deum uera agnitione, inuocatione et obedientia colere. Credere Deum, est tribuere illi essentiam, opponitur Epicureorum furoribus, qui imaginantur Deum esse nihil. Credere Deo, tribuit ei Veritatem. Credere in Deum, est firma fiducia acquiescere in Deo. Haec fiducia saepe describitur in Psalmis, Quem in coelo et terra praeter te desiderarem? Psalmo 73. Dominus mecum, non timebo, quid faceret mihi homo? Psal. 118.

Omnipotentem. Qui ubique adest, exaudit, iuuat es saluat, qui sua praesentia et potentia omnia implet in coelo et in terra, qui non est alligatus ad causas secundas.

Quid est Creatio? Est fabricatio ex nihilo omnium Rerum quae sunt extra essentiam diuinam, ut Angelorum, hominum, coeli et terrae, animantium, hoc est proprium Naturae omnipotentis, de alijs dicitur, ex nihilo nihil fit, Creatio includit etiam sustentationem, Creatorem, et intellige etiam sustentatorem.

Coelum et terram. Est Synecdoche. Nomine continentis contenta comprehenduntur, ut sunt Angeli, homines, omnia corpora, lapides, metalla, stirpes, uolucres, animantia etc.

K 4. Quomodo Articulus de Creatione declaratur? Quinque Capita sunt consideranda. Primum. Quae sit causa efficiens et quis sit architectus huius admirandi opificij, uidelicet, Aeternus Pater cum Filio et Spiritu sancto condidit et creauit hanc admirandam machinam, Creatio est commune opus totius Trinitatis, aeterni Patris, Filij, et Spiritus sancti. Secundum. Ex qua materia mundus sit conditus. Deus ex nihilo per Verbum omnia condidit, non ex materia aliqua praecedente, probo ex Psalmo 33. Dixit et facta sunt, mandauit et creata sunt. Sic colligo, Si Deo dicente et iubente res ortae sunt, ergo non ex materia priore sunt extructae. Nam Dei dicere est facere, Ergo uerbum Dei debemus plurimi facere, re uera timere comminationes, et credere

promissioni, Nam dixit, et facta sunt etc. Tertium. Quomodo seruetur et maneat talis ordo in Natura, Deus conditor semper adest suo operi, seruat et gubernat Naturam a se conditam, sustentat coelum et motus coelestes, foecundat terram, procreat fruges, impertit uitam uiuentibus. Haec sustentatio Rerum uocatur Actio Dei generalis, quia totam Naturam complectitur.

Dic Testimonia de sustentatione et praesentia Dei in tota Natura. Act. 17. In ipso uiuimus, mouemur et sumus. Sententia est. Per ipsum datur, fouetur et sustentatur uita. Deus non discessit a suo opificio, sed perpetuo adest suo operi. Est dulcissima consolatio, etiam impijs adest quod ad sustentionem substantiarum, tanta est bonitas Dei. Hebrae. 1. Omnia portans uerbo potentiae suae, id est, Verbum potens et efficax est, dixit et facta sunt, sicut omnia dicendo condidit, sic etiam dicendo omnia sustentat. Stigelius. Praesentemque refert quaelibet herba Deum, id est, in qualibet herbula cernitur uestigium Dei quod Deus suo operi adest. Quartum. Quod Deus libere et uolens mundum condidit, non necessario effudit ut Stoici imaginantur. Deus enim est agens liberrimum non alligatus ad causas naturales, ut non possit aliter agere, quam quantum iuuat ille ordo naturae. Psalmo 135. Omnia quaecunque K 5. uoluit Dominus fecit in coelo et in terra. — Execranda est imaginatio Stoicorum, qui sicut Poetae de Saturno fingunt, uincula inijciunt Deo, et alligant eum ad causas secundas, et fingunt Deum non aliter agere posse, quam cient causae naturales. Aduersus hanc imaginationem tenenda est Regula haec: DEVS est agens liberrimum, et semper adest suo opificio, et multa in secundis causis moderatur, adiuuat, impedit, mitigat, mutat multa propter salutem Ecclesiae. Stoica imaginatio impedit Inuocationem. Nam cum egens uidet naturam esse languidam et uim morbi superare naturam, cogitat, quid petas cum malum mutari non possit? sic sua cogitatione Deum alligat ad causas naturales. Est igitur tenenda Regula, quod Deus est agens liberrimum, et cogitanda sunt Testimonia Ephes. 3. Qui potest super omnia et excellenter opem ferre, supra quam petimus et intelligimus. Hic testatur Deum opitulari etiam cum causae secundae minitantur exitium. Psalmo 9. Tibi derelictus est pauper, Orphano tu eris adiutor. Matth. 16. Portae inferorum non praeualebunt aduersus eam.

Declara hanc Regulam per exempla. Mosi patefecit uiam per Mare, id est, repressit causas secundas. Juxta causas secundas erat impossibile Mare diuidi et fieri regiam uiam, qua tanta multitudo possit euadere. Deinde in Deserto per quadraginta annos aluit populum sine pane. Josue pugnante repressit Solem per horas aliquot. Josue 10. Et nemo piorum est qui non possit exempla domestica recitare, ubi Deus illi adfuit, et iuuit praeter et supra causas secundas.

Quintum. Propter quid Mundus est conditus, ad quem finem? Condidit Deus mundum et omnes creaturas, ut se in illis patefaceret, et ut naturae rationali communicaret suam sapientiam et bonitatem, et ut uicissim ab ea agnosceretur et celebraretur in tota aeternitate. Ita genus humanum praecipuum est in tota Natura, et propter homines alia sunt condita, genus humanum autem seruatur propter Ecclesiam.

K 6. Secundus articulus: De redemptione.

[Bild.] Et in Jesum Christum — — uiuos et mortuos.

Quae est sententia? Credo, quod Jesus Christus uerus est Deus et filius Dei naturalis ante saecula natus de essentia aeterni patris, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelo, assumpsit humanam naturam, conceptus de spiritu sancto, natus ex Maria uirgine, pro nobis passus, crucifixus et mortuus est, ut pro nobis λύτρα solueret et satisfaceret pro peccato et remissionem peccatorum nobis promereretur et liberaret nos a morte et ira aeterna. Resuscitatus est, ut nobis restitueret iustitiam et uitam aeternam, et assumptus in coelum ad dexteram Dei regnat et est noster rex et defensor, sacerdos et deprecator perpetuus et per ministerium uere est efficax, colligit ecclesiam, dat spiritum sanctum. Et iterum de coelo redibit cum maiestate iudicaturus totum genus humanum et restituet nobis corpora nostra et nos cum uniuersa ecclesia ornabit uita, laetitia et gloria aeterna. Impios uero omnes cum diabolis abiiciet in perpetuos cruciatos.

Quid debemus considerare de assumptione humanae naturae et de miranda copulatione diuinae et humanae
K 7. naturae in mediatore? Immensus amor filii erga nos considerandus est, quod hanc miseram massam humani generis aeterno foedere sibi copulauit et factus est frater noster et iram Dei aduersus peccata in se deriuauit et poenam pro nobis exoluit, ut nos per eum liberati cum ipso uiueremus et in dulcissima consuetudine Dei frueremur uita et laetitia perpetua. Haec consideratio est uerus animi hortulus et paradisus. De hoc amore filii Bernhardus ait: Plane iam Deus non potest nos despicere, frater enim noster est et caro nostra, quia naturalis usus ita fert, ut omnis caro similem sibi carnem diligat, iuxta illud Jesus Sirach cap. 13: Omnis caro — — congregatur. Et de hoc suo amore testatur Christus Matth. 10: Ego sum pastor bonus — — pro ouibus.

Quae sunt causae huius admirandae copulationis? Cur conueniebat mediatorem esse Deum et hominem? De natura humana: Primo oportuit in eo esse humanam naturam, ne totum genus humanum interiret. Nam statim post lapsum uniuersum genus humanum interiisset, nisi factum fuisset decretum, ut filius assumeret hanc massam humani generis; propter hoc decretum manet humana natura. Quia filius Dei sustinet hanc massam pro nobis, gestat tamquam oues pendentes de humeris eius. Secundo, quia homo peccauit, ordo iustitiae diuinae postulauit, ut homo esset, qui solueret poenam et satisfaceret iustitiae Dei, soluens pretium aequalens. Et quia hic redemptor est innocens, poena eius ualet pro aliis. — De natura diuina. Cur conuenit in mediatore esse naturam diuinam? Vt pretium esset aequiualens. Peccatum est malum infinitum. Requirebatur ergo pretium infinitae bonitatis. Nulla autem creatura potuit tale pretium soluere, oportebat autem mediatorem esse Deum. Secundo: Vt posset sustinere iram Dei, quae est ignis consumens. Nulla creatura potuit sustinere. Ergo conuenit mediatorem etiam esse Deum, igitur hoc argumentum firmum est: Christus sustinet
K 8. iram Dei, ergo est uerus Deus, non tantum homo. Tertio: Vt posset uincere mortem et restituere iustitiam et uitam aeternam, sicut in prima

promissione dictum est Gen. 3: Semen mulieris — — serpentis. Ergo erit homo et Deus. Quarto. Vt posset esse perpetuus custos ecclesiae, semper et ubique exaudire, iuuare, uidere gemitus cordium. Quinto: Vt posset ingredi in sanctum sanctorum i. e. uidere pectus et consilium arcanum Dei et immediate Deum accedere et esse sacerdos et deprecator noster. Haec sunt tantum naturae omnipotentis. Ergo in mediatore oportuit esse naturam diuinam.

Quot sunt partes in hoc articulo de redemptione? Duae sunt partes praecipuae. Prior de persona redemptoris, in quo mirando modo natura diuina et humana copulatae sunt, altera pars de beneficiis uidelicet de redemptione, de morte et resurrectione Christi, de regno eius aeterno, de liberatione integra.

Et in Jesum Christum: Jesus est nomen proprium mediatoris et significat saluatorem. Hebraeo sermone uocatur ישוע Josua, graece σωτήρ, latine saluator, teutonice ein Heylant. Etymologiam angelus Gabriel Matth. 1. his uerbis exponit: Saluum faciet — — a peccatis ipsorum. Christus est nomen officii, hebraice משיח Messias, graece χριστός, latine unctus, teutonice ein gesalbter. Complectitur regnum et sacerdotium. Reges atque sacerdotes olim solebant ungi, id significabat spiritus sancti donum et efficaciam. Ps. 45: Propterea unxit te — — consortes tuos. Filius Dei ibi describitur, ab aeterno patre unctus oleo balsami propter ecclesiam. Et Joh. 1: De plenitudine eius omnes accepimus. Ille est unctus propter omnes consortes. Exclusiue intelligendum est, quotquot accipiunt non aliunde quam de plenitudine eius accipiunt.

Filium Dei unicum: Hoc est: Genitum de essentia patris ab aeterno, diuina natura describitur et discernitur hic filius ab alijs, qui non natura, sed adoptione fiunt filij Dei propter hunc unicum filium.

Dominum nostrum: Id est: Defensorem et deprecatorem, quia L 1. est rex et sacerdos. Dominus est nomen patrocinii et praesidii, non tyranni.

Qui conceptus est de spiritu sancto: Descriptio assumptionis humanae naturae, de conceptione et natiuitate mediatoris. Conceptus est nouo atque inenarrabili modo, qualis conceptio non fuit ab initio mundi nec erit in aeternum, sicut dicit propheta Hag. 2: Commouebo coelum et terram, faciam tale opus, quo commouebitur tota natura in coelo et in terra, angeli et homines: Filius Dei descendens de coelo spiritu sancto concipietur.

Natus ex Maria uirgine: Nouum, quod uirgo fit mater et mater est uirgo, hoc etiam nunquam est auditum.

Vbi hic articulus est fundatus? Es. 7: Ecce alma — — Emmanuel. In nouo testamento apud Lucam cap. 1: Missus est angelus Gabriel etc. Historia de natiuitate etiam luculente enarratur apud Lucam. — Haec uerba describunt humanam naturam, conceptionem et natiuitatem Christi. Jam ueniemus ad passionem.

Passus sub Pontio Pilato. Eo tempore passus est Christus, cum Pilatus esset praeses Judaeae. Mentio Pilati admonet de statu populi. Judaei tum erant redacti in seruitutem. Sceptrum iam esse ablatum et euentum congruere cum uaticiniis prophetarum, iuxta prophetiam Gen. 9:

Non auferetur sceptrum — — Silo. Sententia haec est: Regnum hoc manebit in tribu Juda usque ad aduentum Messiae, tum uero auferetur.

Quoto anno mundi, quo mense et quoto die mensis Christus passus est? Anno mundi 3995. mensis Martii 25. die. Eodem die Christus est conceptus ante annos 34 de spiritu sancto. Eodem die etiam Adam creatus esse putatur, alii uero Adam lapsum esse dicunt. Ex ueteribus multi sentiunt, quod eodem die interfectus sit Abel, eodem die et Isaac debuit immolari in monte Orem (sic!).

Passus, crucifixus, mortuus: Beneficia mediatoris hic enumerantur, uidelicet redemptio facta per passionem et mortem Christi,
L 2. uidelicet passus, crucifixus et mortuus est, ut pro nobis fieret uictima, solueret poenam pro peccato, placaret iram Dei, promereretur nobis remissionem peccatorum et morte sua mortem destrueret et nos liberaret a peccato et morte, factus est pro nobis maledictum, ut nos a maledictione liberaret.

Sepultus est: Sepultus est, ut peccatum propter ipsum tegeretur et non imputaretur credenti, ut sepulchrum nostrum, quod antea fuit baratrum inferni, transferretur in dormitorium sanctum, in quo pii quiescant, expectantes resurrectionem.

Descendit ad inferos: Descendit ad inferos, ut suo descensu nos liberaret ab inferno, ut conculcaret caput serpentis et destrueret portas inferorum. Testimonium scripturae de descensu ad inferos est Ps. 16: Non relinques — — in inferno etc.

Resurrexit a mortuis: Resurrexit, ut nobis iustitiam et uitam aeternam restitueret. Paulus breuissime complexus est mortem et resurrectionem Rom. 4: Christus traditus est propter peccata — — iustitiam nostram. Duo membra sunt, prius de fructu mortis, alterum de fructu resurrectionis loquitur, factus est uictima, ut poenam lueret et solueret *λύτρα* et satisfaceret iustitiae diuinae. Resurrexit propter iustitiam nostram, ut nobis restitueret iustitiam et uitam aeternam. Resurrectio complectitur totum regnum Christi. Ab omnibus euangelistis describitur hic articulus. Prophetia de hoc articulo est ps. 16: Non dabis — — corruptionem.

Ascendit in coelum: Ascendere in coelum est ex hac uisibili conuersatione transire in uitam inuisibilem, est inuisibili modo intueri aeternum patrem.

Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis: De triumpho Christi et de regno illius. Regnat ad dexteram Dei. Est noster rex et defensor, est noster summus sacerdos, mediator et intercessor. Defendit iam nos aduersus portas inferorum, est efficax per ministerium, colligit ecclesiam, dat spiritum sanctum, exaudit inuocantes, defendit nos aduersus diabolos et est noster deprecator.

L 3. Quid significat sedere ad dexteram Dei? Est regnare diuina potentia cum Deo; dextra potentiam significat, sedere uero est regnare. Paulus ad Eph. 1. sic enarrat hanc phrasin: Est habere potentiam super omnes creaturas.

Inde uenturus est iudicare uiuos et mortuos: Viuos, qui illo tempore uiuent in hoc mundo. Mortuos, qui iam sunt sepulti. Judicabit, puniet impios et liberabit pios et ornabit ecclesiam uita aeterna.

Hic articulus continet doctrinam de iudicio uniuersali, in quo ecclesiam totam ex morte integre liberabit et adducet ad patrem, ut perpetua consuetudine Dei fruentes in omni aeternitate celebremus ipsum.

Quis erit processus in illo judicio uniuersali? Dominus noster Jesus Christus cum maiestate descendet de coelo, comitatu ingenti atque exercitu et agmine omnium, sanctorum angelorum cum celeusmate, cum uoce archangeli, cum tuba Dei et ignis praecedet ac inflammabit coelum et terram, ac coeli flagrantes cum fragore soluentur et elementa colliquescent et mortui resurgent e sepulchris ac recipient corpora et fiet renouatis ac separabuntur iusti ab iniustis, iusti ad dextram, iniusti uero ad sinistram. Tunc filius Dei iudex uiuorum et mortuorum pronuntiabit sententiam dulcissimam ad ecclesiam, ad coetum iustorum: Venite benedicti patris — — exordio mundi. Tristissimam uero ad impios, quae erit fulmen terribile: Ite maledicti — — angelis eius. Et tunc sequetur executio: Ecclesia a Christo recipietur in uitam aeternam, impij uero cum diabolis coniicientur in cruciatus aeternos.

Tertius articulus, De Sanctificatione.

Credo in Spiritum — — Vitam aeternam. [Bild.] L 4.

Quid complectitur hic Articulus? Docet quis sit Spiritus sanctus, et quae sint illius officia.

Quae est sententia? Credo quod Spiritus sanctus est uerus, aeternus, omnipotens Deus, procedens a Patre et Filio, et mittitur uoce Euangelij in corda credentium, ut nos sanctificet ad uitam aeternam, et flectat Corda ut assentiantur Euangelio, et confirmet assensionem, et accendat motus congruentes cum uoluntate Dei, et excitet inuocationem et laeticiam acquiescentem in Deo.

Spiritus quid significat? Spiritus in genere significat agitationem seu Naturam agitantem. Est autem uocabulum Aequiuocum, plura enim significat. Alias significat uentum *πνεῦμα*. Johan. 3. Spiritus ubi uult spirat, id est, uentus. Alias uitam significat, ut in Psalmo 146. Exibit Spiritus, et redibit in terram suam, id est, uita. Spiritus etiam significat motus animorum, ut in Psalmo 76. Aufert spiritum principum, id est, animositatem, illos motus uehementes. Item Spiritus non habet ossa, ibi spiritus significat spiritualem Naturam, et opponitur moli corporeae. Johan. 4. Deus spiritus est, Hic spiritus significat essentiam spiritualem et communem tribus Personis, aeterno Patri, Filio et Spiritui sancto. Spiritus uero in hoc articulo significat personam tertiam diuinitatis, ab aeterno procedentem a Patre et Filio, et est amor et laeticia essentialis inter Patrem et Filium. Est subsistens siue *ὑφιστάμενον* indiuiduum, intelligens, incommunicabile non sustentatum ab alio.

Per quid donatur Spiritus sanctus? Per uocem Euangelij, L 5. Ita Deus hunc ordinem instituit. Proba. 2. Corinth. 3. Euangelium est Ministerium Spiritus, id est, Est medium per quod Spiritus sanctus datur, et per quod est efficax in corda credentium, qui audiunt et amplectuntur Euangelium, non in fanaticos, qui Euangelium reijciunt.

Quae sunt effectiones Spiritus sancti? Sanctificare est proprium opus Spiritus sancti. Sanctificat autem per Verbum. Cum audimus Euangelium Spiritus sanctus per illud est efficax, accendit lucem

in mente ut recte intelligamus doctrinam, et adsentiamur Euangelio, confirmat assensionem, excitat fidem, ut credamus nos recipi et habere Remissionem peccatorum propter Christum, regit et ducit nos ad Deum, impellit ut inuocemus, et statuamus nos exaudiri, consolatione nos erigit in pauoribus, ostendit praesentiam et auxilium Christi, flectit corda ut sese Deo subijciant, et uelint nunc obedire Deo.

Has proprietates est complexus Zacharias cap. 12. Effundam super domum Dauid Spiritum gratiae et precum. Hoc dictum concionatur de missione et de effectionibus Spiritus sancti.

Primum ubi et quibus datur Spiritus sanctus? Effundam super domum Dauid, id est, datur Ecclesiae, Domus Dauid est Ecclesia, quae amplectitur Euangelium de Jesu Christo filio Dauid, nato ex stirpe Dauid, non datur Turcis, non Ethnicis, sed super domum Dauid effunditur, datur tantum istis qui sunt ciues Ecclesiae, in illo coetu qui amplectitur Euangelium de Messia nato ex stirpe Dauid.

Quae sunt effectiones? Gratia et Preces. Spiritus gratiae, Quia per uerbum quod sonat in domo Dauid, id est, in Ecclesia accendit lucem ut agnoscamus nos esse in gratia, et statuamus nos placere Deo, remitti nobis peccata propter filium Dauid, in quo habitat diuinitas *σωματικῶς*. Spiritus precum, Quia agnita misericordia flectit corda ut se conuertant ad Deum, et ausint inuocare, et statuant se uere exaudiri, et nostra gratitudine et obedientia uelimus celebrare Deum. Nam appellatione
L 6. precum complectitur totum cultum Nouum, quem Spiritus sanctus in renatis et iustificatis inchoat, studium obediendi Deo. Sic Paulus 2. Corinth. 3. Nos omnes reuelata facie tanquam in speculo intuentes gloriam Dei, ad eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini spiritu. Cum audimus Euangelium Spiritus sanctus accendit lucem, ut tanquam in speculo intueamur Christum, et cernamus fulgorem iudicij, et sensu irae Dei expauescamus. Rursus agnoscamus Misericordiam et statuamus nos recipi in gratiam propter Christum, et haec lux crescit operante Spiritu sancto indies magis magisque, haec noua lux fit imago Dei ad quam eramus conditi initio, sic in nobis renouatur et indies magis augetur. — Est autem Imago DEI congruentia cum Deo in mente, uoluntate et corde, fides, dilectio, uera Inuocatio et obedientia, haec efficiuntur a Domini spiritu non per arcanam et nouam reuelationem extra uerbum, sed per uocem Euangelij.

In quibus uero sic operatur? In his qui Verbum audiunt, agunt poenitentiam et credunt promissioni, et habent propositum uitandi peccata, et obediendi Deo in his tantum est efficax.

Quomodo retinetur hoc pignus, hic Arrabo? Retinetur cum perseueramus in poenitentia et meditatione in Lege Domini die ac nocte, et custodimus conscientiam puram. Nam cum contra conscientiam ruimus, et uiolamus mandata Dei, excutitur et amittitur Spiritus sanctus, et fit iuxta uersiculum:

Turpius eijcitur quam non admittitur hospes.

Est immensa misericordia, quod aeternus pater filium suum unigenitum pro nobis tradidit, ut fieret uictima, et de essentia Spiritum sanctum effundit in corda nostra, et aeterno foedere, amoris nos cum Deo copulat. Haec beneficia semper debemus habere in conspectu. Nemo

admittitur in aeternam Scholam, qui non fuerit hic iniciatus, Cupimus superindui, Si tamen non nudi sed induti reperiemur. Discamus igitur in terra quorum scientia sufficiet nobis in coelo, inquit Hieronymus.

Dic breuiter quae sunt dona Spiritus sancti. Spiritus L 7.
sanctus efficit tales motus in nobis qualis ipse est, uidelicet, Amorem et laeticiam acquiescentem in Deo. Proba. 2. Timoth. 1. Non dedit nobis DEVS spiritum Timoris, sed spiritum potentiae, dilectionis et modestiae. Spiritus sanctus est amor et laeticia essentialis inter aeternum Patrem et Filium. Tales ergo motus efficit in cordibus credentium. Qualis est causa, tales sunt effectus. Spiritus Timoris. Vocat Timorem seruilem, id est, Indignationem aduersus Deum, in afflictionibus et curis, ille timor et fremitus in impatientia non est ex Deo. Spiritus Potentiae, potens in consolatione, in conseruatione doctrinae, fortis in confessione. Spiritus dilectionis, feruor et zelus in conseruando Euangelio, in Inuocatione et in patientia. Deinde amor erga homines et studium concordiae, et obedientia iuxta omnia praecepta. Spiritus Modestiae, prospiciens metas, retinens nos intra metas uocationis, retrahens a polypragmonicis consilijs atque factis. Item qui impellit ad puritatem, ad castitatem, et ad alias uirtutes.

Propter quid dat nobis Deus Spiritum sanctum? Propter Filium pro nobis intercedentem Joh. 16. Rogabo patrem et dabit uobis alium Paracletum, Spiritum ueritatis.

Quomodo petenda sunt dona Spiritus sancti? Hac oratione, Psalm. 50. Cor mundum crea in me Deus, et spiritum certum innoua in uisceribus meis. Ne proijcias me — — et spiritu spontaneo confirma me. Sex petuntur in hac breui oratione. 1. Cor mundum, primum imputatione, secundo inchoatione, cum fide apprehendimus remissionem peccatorum, cum iam fit renouatio et regeneratio in nobis. 2. Spiritum certum, firmitas assensionis, non uacillantem, non dubitantem de uoluntate Dei. 3. Non me proijcias. Confessio peccati et petitio remissionis. 4. Spiritum sanctum tuum, sanctificantem et gubernantem me. 5. Redde mihi laeticiam, uel erige me laeticia, id est, sit in me L 8.
laeticia acquiescens in Deo, qua intuemur fide Dei praesentiam et auxilium, sicut Rom. 5. dicitur. Justificati fide pacem habemus erga Deum. 6. Spiritus spontaneus. Qui obedit Deo, qui se Deo subijcit in cruce, et est constans in confessione.

Sanctam Ecclesiam Catholicam. Credisne in Ecclesiam sanctam. Non, sed credo sanctam Ecclesiam Catholicam. Nazianzenus, Credere in aliquid est diuinitatis. Credere aliquid, conuenit cuique rei. Fides complectitur omnia, credere Deum, credere Deo, et in Deum. Credere Deum, non esse Epicurum, credere quod est Deus conditor Naturae, requirens obedientiam iuxta discrimen honestorum et turpium. Credere Deo, tribuere Deo ueritatem, assentiri uerbo illius. Credere in Deum, est firma fiducia acquiescere in ipso.

Quae est sententia huius Articuli? Credo quod Filius DEI ad dextram aeterni Patris regnans uoce Euangelij semper in Mundo colligit et seruat Ecclesiam, hoc est, coetum amplectentem et sonantem incorruptam uocem Euangelij, et Spiritu suo sancto eam regit, et diuina potentia defendit eam contra portas inferorum, et seruabit eam usque ad

iudicium uniuersale. — Da Testimonia. Ero uobiscum cunctis diebus usque ad consumationem saeculi. Matth. 28. Portae inferorum non praeualebunt aduersus eam, Matth. 16. Portae inferorum hebraica phrasi significant totum Regnum Diaboli. Hoc est foedus meum cum iis, Spiritus meus qui est in te, et uerba mea quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui in aeternum. Esaiae 59.

Quid est Ecclesia? Ecclesia est coetus uisibilis hominum, qui amplectuntur incorruptuam sententiam Euangelij, et retinent uerum usum Sacramentorum, et Reuerentiam erga Ministerium, in quo Filius Dei per uerbum uere est efficax, regenerat et sanctificat multos, ut fiant haeredes uitae aeternae, etsi in hoc coetu multi sunt admixti hypocritae, qui tamen retinent consensum de doctrina et de usu Sacramentorum.

M 1. Quid est Catholica Ecclesia? Catholica Ecclesia est quae per uniuersum orbem terrarum ex toto humano genere per uocem Euangelij colligitur, et amplectitur uniuersalem et integram doctrinam traditam per Prophetas et Apostolos, et retinet consensum et unitatem in fundamento, etsi in ritibus et ceremonijs est dissimilitudo aliqua, ut in graeca et latina Ecclesia sunt dissimiles Ceremoniae de pascha, de fermento, de ieiunijs. Et uox Catholica opponitur imaginationibus Judaicis, Papisticis et haereticis. Judaei imaginantur Ecclesiam esse tantum in populo Judaico, alligant Ecclesiam ad semen Abrahae, Papistae alligant Ecclesiam ad Romanum pontificem, ad Episcopos, ad Concilia, et ad eorum traditiones. Haeretici et Fanatici alligant Ecclesiam ad conuenticula.

Vnitas Ecclesiae Catholicae in quibus rebus consistit? In tribus, In doctrina de fundamento. In usu Sacramentorum. Et in Reuerentia Ministerij. Haec sunt substantialia, Ceremoniae uero sunt Accidentalia.

Sanctam Ecclesiam. Quomodo Ecclesia est sancta, cum adhuc habeat multum imbecillitatis et sordium? In hac uita est sancta dupliciter, Imputatione et inchoatione, In futuro saeculo erit sancta consumatione, ubi DEVS erit omnia in omnibus.

Sanctorum communionem. Quae est sententia? Est expositio declarans quid sit Ecclesia, uidelicet est communio et societas Sanctorum, qui per Euangelium uocati sunt ad haereditatem uitae aeternae, et habent beneficia Christi communia, uidelicet Remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, Justiciam et uitam aeternam, etsi in donis est dissimilitudo, Est una salus omnium, est dissimilitudo in donis. Daniel. 12. Doctores lucebunt sicut Stellae, et qui erudiunt alios tanquam fulgur Firmamenti.

Remissionem peccatorum. Quae est sententia? Credo quod Remissio peccatorum in nullo alio coetu datur, sed tantum in uera Ecclesia, id est, in coetu amplectentium Euangelium incorruptum, et datur

M 2. Gratis propter filium Dei, non propter nostra merita, et datur omnibus qui credunt promissioni Euangelij, et fide eam accipiunt et applicant. Et credo non aliquibus tantum remitti peccata, me uero excludi, sed credo mihi quoque remitti, quia promissio est uniuersalis, et est mandatum Dei aeternum et immotum, ut omnes audiant filium, credant Euangelio, et accipiant beneficia Christi. Matth. 17. Hunc audite. Act. 10. Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, uidelicet Remissionem peccatorum accipere in nomine eius, omnes qui credunt in eum.

In quibus articulis praecipue est dimicatio cum aduersarijs? In duobus illis. Credo Ecclesiam, Et credo remissionem peccatorum, His addunt corruptelas perniciosas quas necesse est taxare.

Quae sunt corruptelae Articuli de Ecclesia? Ecclesiam transformant in Regnum politicum, fingunt Romanum pontificem esse Monarcham et supremum caput in Ecclesia, tribuunt Papae Episcopis et Concilijs potestatem condendi dogmata et cultus, interpretandi scripturas, autoritate regia aut praetoria, alligant Ecclesiam ad ordinariam successionem Papae et Episcoporum, et ad ipsorum traditiones et interpretationem. Contendunt obseruationes talium decretorum et traditionum esse de necessitate salutis. Postea sanciunt leges ad stabiliendam potentiam suam, ut Lex de coelibatu, et ui corporali cogunt homines obedire. Hac hypothesi constituta postea praetextu Ecclesiae stabiliunt Idola, ut Mortuorum inuocationem, profanationem Coenae in Missis, et circumgestationem panis in spectaculis.

Articulum de Remissione peccatorum corrumpunt tripliciter. Primo. Credo Remissionem peccatorum dari alijs non mihi, fidem generalem docent, qua credis remissionem peccatorum aliquibus contingi. Secundo. Non credo Remissionem peccatorum, sed dubito. Tertio. Non credo Gratis dari Remissionem peccatorum, sed propter merita sufficientia, propter sufficientem Contritionem et Satisfactiones, Hae additiones pugnant cum Euangelio.

Carnis Resurrectionem. Quae est sententia? Credo quod M 3. corpora nostra, etsi in sepulchris resoluuntur, tamen non manebunt in interitu perpetuo, sed sicut Christus resurrexit a mortuis, ita etiam ipse in nouissimo die resuscitabit corpora nostra renouata et induta immortalitate, et nos secum assumet et adducet ad Patrem aeternum, et semper cum illo erimus fruentes laetissima consuetudine et conspectu Dei in tota aeternitate.

Recita patefactiones diuinas et Testimonia scripturae de hoc Articulo. Articulus de Resurrectione corporum longa concione confirmatur a Paulo. 1. Corinth. 5. et 1. Thess. 4. Johan. 5. Veniet hora, in qua omnes — — in ignem aeternum. Et Johan. 6. Haec est uoluntas Patris, ut omnis qui uidet Filium — — resuscitabo eum Esa. 25. Faciet Dominus exercituum in monte hoc conuiuium — — ab omni facie. Job 19. Credo, quod Redemptor meus uiuit, et in nouissimis super puluerem stabit — — etsi consumpta fuerint intestina mea in sinu meo.

Et Vitam aeternam. Quae est sententia? Credo quod Natura humana condita est non tantum ad hanc uitam mortalem et corporalem sicut pecudes, nec conditi sunt homines ad miserias perpetuas, sed omnes qui agnoscunt filium Dei et credunt in eum, per eum et propter eum donabuntur uita, laeticia, et foelicitate aeterna Johan. 3. Johan. 3. Qui credit in Filium habet uitam aeternam. Et Johan. 10. Ego do eis uitam aeternam.

Quid est Vita aeterna? Filius DEI dominus noster Johannis 17. tradit hanc mirandam definitionem, Haec est uita aeterna, ut agnoscant te uerum esse Deum, et Jesum, quem misisti, esse Christum, Videlicet, M 4. uita aeterna est agnitio ueri Dei et Christi. Intelligenda uero est haec definitio non tantum de futura uita, sed etiam de Inchoatione uitae

aeternae in hoc saeculo. De futura uita usitate dicitur, Vita aeterna est conspectus Dei, seu uisio Dei. Nam cum Deus coram se ostendet fauentem, et nos perfundet sua luce et sapientia, tunc accendetur in nobis inenarrabilis et perpetua laeticia et uita, cum scilicet uidebimus eum sicut est, 1. Johan. 3. et coram cernemus essentiam eius, cum Deus erit omnia in omnibus. Dictum Augustini, Tantum gaudebunt quantum cognoscent, cognoscent autem Deum immensa misericordia sese ostendentem et patefacientem sapientiam, Justiciam et nos perfundentem sua sapientia, iusticia et foelicitate.

Quomodo in hac uita inchoatur in nobis Vita aeterna? Inchoatur Vita aeterna in nobis in hac mortalitate cum fide acquiescentes in uerbo intuemur hunc aeternum Deum, qui misit Filium, et agnoscimus eum esse placatum propter filium, et eum inuocamus, petimus et expectamus consolationem in omnibus aerumnis, Haec consolatio in ueris agonibus est gustus uitae aeternae de qua hic dicit, Haec est uita aeterna, ut agnoscant etc. Et 2. Corinth. 3. Spiritus uiuificat, hoc est, consolatur perterrefactas mentes accendens in eis nouam uitam et lucem, id est, sapientiam, iusticiam et laetitiam, de hoc gustu petit Dauid, Redde mihi laetitiam salutaris tui etc. Haec fiunt fide cum corda agnoscunt Dei praesentiam et auxilium, et in Deo fide propter Mediatorem acquiescunt.

8. Die Methodi des Valentin Trotzendorf von 1564 resp. 1570.

Methodi doctrinae catecheticae, scholae Goldbergensi propositae a Valentino Trocedorfio. . . . . Primum edita opera Laurentii Ludouici Leobergensis. Deinde emendata et aucta per V. Cl. Martinum Taburnum.

Nobilitate generis, uirtute et eruditione praestanti uiro, Christophoro a Czedlicz in Samicz, Domino et fautori suo, omni obseruantia colendo.

* 3. Posteaquam enim Deus per viros non heroica modo animi fortitudine atque excellentia ornatissimos, sed Spiritu suo sancto vere illustratos atque accensos, hoc seculo, tenebris plusquam Cimmerijs, vt vetus habet prouerbium, oppressam Euangelij doctrinam, in lucem reuocarit: nec non multis mirandis modis confirmarit: eiusque studia tantisper conseruarit: dum integrum illud doctrinae corpus, quo Dei beneficio hodie fruimur, constitutum esset: videmus quotidie, qua animi acerbitate, quo furore, qua parua pertinacia et calumniandi studio, pluribus in locis, in medium prodeant: qui vix eruta obruere iterum, conantur: non alia adducti, opinor, caussa, quam Herostratus, qui templum Dianae Ephesiae incendisse scribitur: vt facinus aliquod ausus apud posteros memorabile diceretur.

Haec cum ita sint manifesta: vt orationem longiorem non requirant: satis iam dictum esse arbitror: nec amplius quidquam dicendum puto, de diuulgatione horum

libellorum: sed commemoratione dignam esse iudico pietatem atque beneficentiam * 4.
Generosi Domini, Johannis, Baronis a Kitlicz, cognati et amici tui: qui cum ipsis
literis tantum a prima aetate amorem erga praeceptorem suum imbibit: vt non
desinat hortari amicos: ac sua sponte sumptus offere, ad colligenda et conseruanda
ea: quae in schola Goldbergica Trocedorfius discentibus proposuit: cuius viri erudi-
tionem, vt plurimi sibi assequi videntur: ita fidem et assiduitatem eius, non multos
imitari cernimus: quam cum in alijs studijs indefessam, in exercenda doctrina cate-
chetica admirabilem fuisse, ipse vir Nobilissime, optime nosti: quae in Schola
docendo nobis erunt proferenda: cum haec docenda sint omnino: aut quae ab ipso
discipulis tradita sunt, studiose retinenda. Sed cum constet ita explicatum esse
corpus doctrinae et constitutum: vt requirere vel possit vel debeat amplius quidquam
nemo: nisi vt suo quisque loco fideliter id conseruare conetur: non tantum modesti
et grati ingenij est, heroicorum virorum beneficia agnoscere: verum ipsa cogit nos
necessitas, vt ea amplectamur, magnifaciamus, conseruemus, et quam plurimis com-
municemus. Et illud quidem sic faciamus, vt quo magis occupati sunt alij studio
calumniandi, rigandi, turbandi, disijciendi, deprauandi recte dicta: eo maiore con-
tentione et cura, praeceptorum nostrorum dictata, sententias, syllabas, literas (quod
semper in ore habebat Trocedorfius) accurate colligamus et sancte asseruemus: ac
cuius illos pudet puerorum more magistrorum adhaerescere vocibus: id nobis prae
caeteris laudi ducamus: et nihil aliud, nisi a Praeceptoribus acceptum, sonare
cupiamus.

Ego vero haud inuitus illam mihi passus sum iniungi operam, in edendis
methodicis his libellis: quos cum Rosario ad nos misit Marcus Rullus, vir praeceptoris
nostri inprimis obseruans et studiosus: qui cum meae permitteret voluntati: con-
seruatos ne eos, an oppressos diutius vellem: ego occasione commoda oblata, piaculum
duxi, tantam in me culpam admittere: quae studio aliquo meo auerti potuisse
videretur. Quamuis enim vtraque methodus in editione priore ita sit coniuncta: vt
hic ne verbum quidem diuersum fere proferatur: tamen cum ab ijs, quae *κατηχισι-
κῶς* in schola proponeret: atque ad distinctas discentium classes, suo quaeque loco,
accommodaret Trocedorfius: ipse omni tempore seiunxerit illa: quae in exegesi fusius
exponeret: non tantum recte id fieri, sed prorsus necessarium esse, longe iam tempore
didicimus ipsi: vt quae distinctis ille ordinibus proposuit: et ab auditoribus
κατηχίζων repetiuit: ea quoque seorsim in communem vsum publicaremus: cum vna
eademque methodo, in tam diuersis discentium ingenijs, aetatibus, progressibus, vti
nulla quantumuis rara schola possit.

Tuo vero patricinio, vir nobilissime, quod in editione horum libellorum vti
voluerimus, multae sunt caussae. Cum enim memor studiorum adolescentiae, et
scholam Goldbergicam grauissimis multos iam annos casibus varie iactatam; pietate * 5.
et virtute tua ita complectaris: vt eos, qui ibi docent, nullis amicis postponas: et
ipsis literarum studijs nullas te opes, nullos honores praeferre, ex multorum ser-
monibus in dies cognoscamus: optimarum vero artium cultores non paucos benigne
semper iuueris: officij est nostri, tuam erga scholam amplecti pietatem: modestiae,
tales agnoscere virtutes: gratitudinis, memoris aliquam animi ostendere significationem.
Accedit ad haec voluntas ipsius Baronis: qui cum coniunctos scholae Trocedorfij,
omnes nomine scholae vnice complectatur et ipse: minime sibi ferendum esse
censebat: cum pari erga scholam essetis voluntate: quin par quoque animi vtriusque
significatio publice extaret. Eius voluntati et iudicio cum resistere mihi propter
summa illius erga me et quotidiana beneficia non liceat: morem me illi hac in re
gessisse, reprehensurum te non vereor: sed sic mihi persuadeo, et amici et scholae, in

primis vero Praeceptoris nomine, quidquid est a me factum, tibi fore quam gratissimum. Vale. Datae VVitebergae Idibus Nouemb. Anno a nato Christo, M. D. LXIIII.

Spect. nobilit. tuae obseruandissimus

M. Laurentius Ludouicus Leobergensis.

Clarissimo viro Domino M. Martino Taburno, rectori scholae Goldbergensis, Praeceptori carissimo, salutem.

CVM multis in rebus Dn. Trocedorfij ingenium, et eruditionem, Praeceptor amicissime, mirari soleo: tum maxime iudicium et assiduitatem eius suspicio in ijs studijs, quae de vera DEI agnitione, ordine comprehensa, pueris summa religione tradidit.

Intellexit enim haud obscure vir sanctissimus: quanta res esset, eos erudire pueros: qui Christo Seruatori nomina dedissent: quantumue ad singulorum salutem interesset: a prima aetate doctrinae coelestis capita probe meditata habere.

Non Ethnicorum, non Mahometistarum, non aliorum, nomen Christi execrantium liberi ad nos deducuntur: verum illi, quibus sanguine Filij DEI parta est salus aeterna: in quorum pectora effusus est Spiritus sanctus: qui erepti ex faucibus inferorum, ascripti ciues sunt Ecclesiae Dei: quibus Angelos custodes omnibus momentis adesse iubet e cohorte praetoria pater coelestis: quod apud posteritatem Deus organa vult esse gubernationis in Ecclesia, Repub. et Schola.

Ardua sane haec est prouincia: sancte habendus est puer in scholis, nomen apud Christum professus, sancte docendus, sancte regendus.

* 6. Quod cum non ignoraret Trocedorfius noster: ita quidem optimarum artium fundamenta pueris tradidit: vt nemo fere temporibus illis felicius, nemo maiori cum fructu: paucissimi pari illud perspicuitate facerent: catecheticam vero, quam in Ecclesia nuncupauit vetustas doctrinam (a mutuo, et reciproco inter quos habetur, sermone seu viua docentium, discentiumque voce) animam ille scholae suae pie statuebat, et vere appellabat.

Equidem doctrinam hanc non est professus, sedens in Academia diuinus Plato: non inambulans in Lyceo solers Aristoteles: non differens in Stoa acutus Zeno: non vnum se sapientem dictitans obscurus Epicurus: qui singuli, quodnam homini summum esset bonum, frustra sine verbo Dei inquirentes, scholis suis orbem terrarum complexi sunt.

In nostris scholis sonat vox Filij Dei, monstrantis et communicantis auditoribus suis, vera, certa, summa atque aeterna bona: fiduciam, dico, acquiescentem in Deo, reconciliatio per Christum: Spiritum sanctum effusum in pectora credentium voci diuinae: instaurationem naturae deprauatae in hac vita, eiusque in futura perfectionem, atque aeternam cum Deo consuetudinem, et laetitiam.

Ab his bonis quo longius aberrarunt summi illi Philosophi: eo maiori cura Catechetica, hoc est, viua voce filij Dei tradita Ecclesiae dogmata, pueris sibi inculcanda Trocedorfius existimabat: quod quidem ita fecit: vt non tantum sua aetate palmam pluribus apud nos praeripuerit: sed ne hodie quidem extent libelli catechetici puerilibus scholis aptiores.

Assentiuntur nobis non tantum, qui in nostris oppidis ante publicationes, hos libellos studiose collegerunt: verum illi etiam, qui apud exteros hodie leges scholis suis scribentes, Catechesin D. Trocedorfij publicis scriptis commendant.

Etsi vero his libellis commendatione nostra nequaquam opus esse satis intelligam: idemque omnium bonorum iudicium esse non ignorem: qui mediocri cum vsu tum

eruditione catechetica tractant: ratio tamen iudicij nostri exponenda videtur ijs, qui suo consilio, suisque rationibus in alijs vtuntur.

Recte monent docti, eandem doctrinae formam pueris proponendam esse, vel in vniuersa, si fieri possit, regione. Perfectum hoc foeliciter est in Grammaticis a diuino Melanthone, cuius praeceptis maxima Germaniae pars vtitur: nec quisquam annos iam quinquaginta post remouere eum e scholis potuit. Idem obtinuit catechesi vernacula Elias seculi nostri, Lutherus: quae pueris semper satis breuis, adultis satis copiosa extitit.

Sed quae Lutherus populo Germano vernacula lingua praescribit: ea in scholas Latinas alijs atque alijs autoribus, dissimilimis libellis translata videmus. Ex quibus primi quidem rerum studiosissimi, linguae proprietate relicta, Catechesin ita Latine fecerunt: vt Latinam dici noluisse ipse videantur: quod tamen bona bonorum venia dixerim. Hos secuti, suo ordine, consilio, iudicio vsi: non Lutheri, sed suam pueris catechesin tradiderunt: qui quo maiori tum in rebus tum in verbis vsi sunt varietate: eo minus voluntati seruierunt doctissimorum virorum: qui eandem in omnibus scholis doctrinae methodum requirunt. Nondum vero horum quisquam assecutus fuit eam, quae in docendo requiritur, congruentem rebus ipsis, sermonis latini proprietatem atque perspicuitatem. * 7.

Inter omnes (id quod grato nos animo profiteri potius, quam metu inuidiae dissimulare decet) vnus extitit Melanthon: qui doctrina a Luthero recte et dextre accepta: ex omni antiquitate (quo fuit iudicio, ad hos labores diuinitus instructo) delegit et adiunxit ad expositionem grauissimae, sanctissimaeque doctrinae, genus sermonis, proprium, purum, perspicuum, eruditum, elegans: monstrauitque quid ad proprietatem Grammatica, ad veritatem Dialectica, ad persuadendum Rhetorica: ad ordinem, perspicuitatem, certitudinem, singulae in sacrarum literarum explicatione ponderis adferrent.

Hunc cum a Luthero pendere totum, nihilque ab eo profiteri diuersum: verum exornare potius atque illustrare doctrinam illius videret: totum sese Trocedorfius ad viri huius contemplationem, imitationemque contulit: et quae ille in Academia erudite et copiose adultioribus scripsit: ea hic scholae suae breuibus, et crassa Minerua proposuit.

Quid isto studio vir hic consecutus sit: testis est aetas superior: quae vocem eius diuinam in his regionibus multos annos audiuit. Conati sumus et nos, a peste, fame, conflagratione scholae, funere denique Dn. Trocedorfij erepta, amicorum officijs, ab interitu vindicare: studiumque nostrum erga ipsum, et sententiam de doctrina publice profiteri.

Nunc tuum accedit, Praeceptor excellentissime, iudicium grauissimum, operaque sanctissima, quam in libellorum istorum emendationem contulisti.

Multa nos ipsi desiderauimus in prioribus editionibus: quae partim integro nobis tradita nunquam fuerunt: partim aetate adolescentulorum nondum firmata exciderunt: nonnulla temporum tristissimorum miserrimis casibus cum rebus nostris perierunt: quae, quidem vel iudicio nostro supplere, vel studio sarcire, aut opera peregrina restituere: neque aetatis: neque ingenij, neque fidei esse nostrae, recte, spero, arbitrati sumus.

Quod vero semper publice professus sum: et priuatim saepe a te petiui: vt tu manum extremam his libellis adderes: id a te nunc factum gaudeo: et qua debeo obseruantia, de opera hac sanctissima gratias ago.

Etenim non tantum plures annos audiuisti Trocedorfium, et vna cum ipso docuisti, doctrinam eius percepisti, genus orationis obseruasti, de rebus ipsis saepe contulisti:

verum etiam Lutheri et Philippi scripta vario multiplicique vsu optime cognita ipse habes: ac quid rebus aptum, quid verbis congruum, vnus rectissime iudicas.

Grauissimum itaque mihi laborem hunc tuum accidisse publice profiteor: et sic statuo, hanc Lutheri vere esse Latinam Catechesin, Melanthonis stylo a Trocedorfio descriptam, et Philippica suauitate (das Orig.: suauite) conditam, tuaque tandem industria puritati et proprietati suae restitutam.

Quis sit vsus Aphorismorum, seu sententiarum sacrarum, quas rosas (voce a
* 8. studijs superioris seculi sumpta) appellabat Trocedorfius: non tantum literis eruditi norunt, et ingeniosi perspicuunt, sed fructum illarum vulgus percipit.

Celebrantur literarum monumentis Cretensium instituta: qui pueris honesto loco natis primum proponebant leges versibus conscriptas, quas memoriae mandarent, et voce, fidibusque canerent, vt molliores in cantu inflexiones, ac voculae numerose sonantes memoriam confirmarent: ne aetate adulta delictis suis ignorantiae nomen inducerent: deinde ad hymnos Deorum decantandos: tandem ad heroum laudes celebrandas eos adhibebant: vt Deo grata dicenda, pro patria res sibi fortiter gerendas intelligerent.

Pulcherrimum sane disciplinae honestissimae exemplum: quo omnes moueri conueniebat. Verum in Ecclesia habemus alia fundamenta in causa hac longe illustriora, atque adeo ab ipso Deo profecta.

Discant pueri nostri sententias sacras, quarum cognitione Spiritus sanctus accendit veram Dei agnitionem, fidem, oboedientiam. Recitent quotidie sententias, quarum pronunciationi adest Spiritus sanctus, maioremque per eam in dies lucem exuscitat fideique incrementa largitur. Gratae sint nostris sententiae: quae sunt tela inuicta aduersus Diabolum, mundum, carnem (quae sacrarum literarum sunt verba) et errantes animorum motus. Intimis cordis fibris infigant sententias: quas uoce patrum, Prophetarum, Christi, Apostolorum, non sensu tantum, sed verbis pene ijsdem repetiuit ab initio Deus, et vsque ad finem mundi est repetiturus.

Sed ad te de his, Praeceptor carissime satis, vel nimium etiam: qui de voluntate nostra rectissime sentis. Idem mihi de omnibus bonis polliceor.

Vale, Gorlicij, quod a monte Lusatiae Henetam gentem dixisse loci situs mouere videtur. In coenobio, quod literarum domicilium fuit annos 336 ab hoc M. D. LXX.

Laurentius Ludouicus Leobergensis,
tui tuorumque studiosissimus.

[Bild, die untere Hälfte der Seite füllend.]

A 1. 35 Catechesis Lygnicii post conflagrationem aurimontanam primae classi proposita a Valentino Trocedorfio. Anno M. D. LV. et LVI.

Quid est Catechesis? CATECHESIS est institutio in doctrina Ecclesiae de Fundamento, comprehensa breui methodo collecta ex scriptis Prophetarum et Apostolorum. — Catechesis ist ein vnterweisung in der Kirchenlere von den Heuptartickeln, in eine gewisse Ordnung gefasset, auß den Schrifften der Propheten vnd Aposteln.

Fundamentum quid est? Fundamentum sunt praecipui articuli in doctrina Ecclesiae. — Die Heuptartickel in der Lehre.

Quae sunt praecipua et communissima capita in doctrina Ecclesiae? Duo sunt: Lex et Euangelium.

Quid est Lex? Est doctrina, in qua DEVS praecipit, quales esse debemus: et requirit a nobis integram oboedientiam et conformitatem cum voluntate sua, iuxta normam in Decalogo expressam: et damnat atque horribiliter destruit omnes, qui non sunt conformes: nisi fiat remissio et reconciliatio propter Filium mediatorem.

Quid est Euangelium? Euangelium est promissio, in qua Deus pollicetur et exhibet remissionem peccatorum, et reputat nos iustos, hoc est, acceptos: et donat Spiritum sanctum et vitam aeternam, propter filium Mediatorem, et per eum, gratis: modo vt credamus haec certo nobis contingere propter Filium.

Quod est discrimen inter Legem et Euangelium? Duplex est discrimen, Primum noticia Legis nascitur nobiscum: Euangelium non est natura notum, sed a Filio Dei ex arcano sinu aeterni Patris prolatum. Secundum discrimen. Euangelium annunciat remissionem peccatorum gratuitam, et ostendit Mediatorem: Lex nihil concionatur de gratuita remissione peccatorum, nec ostendit redemptorem Filium Dei.

Dic causas cur necesse est conuenire ad Catechetica exercitia? Item cur necesse est audire et discere Catechesin? Prima est mandatum Dei iuxta illud: Hunc audite, Matth. 17. Et Psal. 68. In Ecclesijs benedicite Domino de fontibus Israel. Psal. 8. Ex ore infantium — — laudem. Secunda causa, vt in illis exercitijs noticia doctrina confirmetur et illustretur, iuxta illud Matth. 25. Habenti dabitur. Tertia, vt doctrina in Ecclesia conseruetur, et propagetur ad posteros, sicut scriptum est Psal. 145. Generatio generationi narrabit opera tua. A 2. 20

Qui articuli recitantur in Catechismo? Quinque. Decalogus. Symbolum. Oratio Dominica. Sacramenta, et Doctrina de bonis operibus, et de generibus vitae a Deo institutis.

Quid continet Decalogus? Continet summam legis moralis, et capita legis recitat ordine.

Quid continet Symbolum? Continet articulos fidei, de Deo, de tribus personis diuinitatis, de creatione, de redemtione, qui articulus summam Euangelij complectitur, de Christo Deo et homine, de beneficijs ipsius, de passione, morte, resurrectione et regno eius aeterno, de Spiritu sancto, et effectionibus eius in Ecclesia.

Quid continet Oratio Dominica? Continet optimam et perfectissimam formam precandi, et breuissime complectitur omnes res, quas a Deo petere debemus.

Quid Sacramenta? Sacramenta sunt signa et ritus externi, commonefacientes de promissione Euangelij, videlicet, de remissione peccatorum.

Quid doctrina de Bonis operibus? Est doctrina de noua oboedientia, quae in conuersis per Filium Dei dato Spiritu sancto incoatur: ea est iusticia bonae conscientiae.

De Lege seu Decalogo.

Recita Decalogum seu capita Legis. Primum Praeceptum. Ego sum Dominus DEVS tuus, qui eduxi te ex Aegypto: Non habebis Deos — — nec quicquid illius est. A 3.

Quid considerandum est in singulis praeceptis? Sententia affirmatiua et negatiua in singulis praeceptis consideranda est. Nam sententia affirmatiua semper includit negatiuam. Et contra: Negatiua sententia includit etiam affirmatiuam.

Dic primum praeceptum. [Bild.] Ego sum Dominus — — coram me.

Quid praecipit? Praecipit cultum cordis interiorem, videlicet: Deum verum recte agnoscere, iuxta verbum ab ipso traditum: Deum vere timere, confidere Deo, diligere Deum toto corde, esse humilem et patientem in afflictionibus.

Quid prohibet primum praeceptum? Prohibet et damnat
A 4. Epicureum contemtum Dei, idolatriam, esse sine timore Dei, sine fide, sine dilectione, confidere proprijs viribus, opibus, in aduersis irasci Deo, et fremere contra Deum.

Quid est idolatria? Idolatria est Deum extra verbum quaerere, et pro Deo colere aliquid, quod non est Deus: instituere et seruare cultum extra verbum.

Dic comminationem et promissionem primo praecepto additam. Exod. 20. Ego sum DOMINVS Deus tuus — et mandata mea custodiunt.

Dic secundum praeceptum. [Bild.] Non vane — — Dei tui.

Quid praecipitur? De cultu oris, videlicet, nomen Dei sancte et reuerenter vsurpare inuocando, gratias agendo, confitendo, docendo et iurando.

Quid prohibetur? Nomen DEI vane vsurpare execrando, iurando, impia docendo, spargendo blasphemias et falsa dogmata, inuocando homines mortuos: omittere veram inuocationem, gratiarum actionem, confessionem et curam docendi.

Dic comminationem secundi praecepti. Exod. 20. Non habebit DEVS innocentem, qui nomen ipsius vane vsurpauerit.

Dic promissionem. Glorificantes me glorificabo. 1. Reg. 2.

Dic tertium praeceptum. Sabbatum sanctifices.

Quid praecipitur? De cultu ceremoniarum, videlicet, de conseruatione ministerij et ceremoniarum diuinarum, quae propter ministerium institutae sunt. [Bild.]

A 5. Quae sunt opera tertij praecepti? Conuenire ad ministerium, audire, discere, et meditari doctrinam a Deo traditam: reuerenter vti Coena Domini: gratias agere Deo, quod ministerium instituit et conseruat in Ecclesia, et per illud est efficax et colligit in ecclesiam, et dat Spiritum sanctum: et petere, vt Deus conseruet ministerium, et puritatem doctrinae in ministerio: praecipitur quoque vt nos adiungamus Ecclesiae verae, et simus ciues Ecclesiae.

Quid prohibetur? Neglectio ministerij, contemtus ceremoniarum diuinarum: non audire, discere et meditari doctrinam Euangelij: negligere vsum Sacramentorum, diem festum consumere ludis et conuiuijs neglecto ministerio.

Dic comminationem et promissionem tertij praecepti. Ierem. 17. Si Sabbatum sanctificabitis — — qui non delebitur.

Dic quartum praeceptum. [Bild.] Honora patrem — — viuas in terra.

Quid praecipitur? Oboedientia, honor, reuerentia, pietas et gratitudo erga parentes, erga superiores, erga magistratus, erga doctores et gubernatores. In hoc praecepto requiritur quoque sedulitas, quae est diligentia fideliter faciens officia propriae vocationis. A 6.

Quid prohibetur? Contemtus parentum et superiorum, contumacia, seditio, inoboedientia et ingratitudo aduersus parentes, superiores, contumaciter obluctari legibus honestis.

Quod est praecipuum vinculum oboedientiae? Maximum vinculum oboedientiae est dictum Pauli Rom. 13. Necesse est obedire, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

Dic promissionem et comminationem. Promissio est: Vt tibi bene sit, et diu viuas. Comminatio Prouerb. 30. Oculum, qui subsannat Patrem suum, effodient corui torrentis.

Dic quintum praeceptum. Non occides.

Quid praecipitur? Dilectio proximi in protegendo et conseruando corpore et vita: Justicia non laedens corpora aliorum: fortitudo propugnans alios contra iniustam vim iuxta vocationem: misericordia, mansuetudo, aequitas. [Bild.]

Quid prohibetur? Prohibetur et damnatur iniusta ira, inuidentia, cupiditas vindictae priuatae, maleuolentia, crudelitas consilia sanguinaria, verberationes iniustae et caedes, ἐπιχαιρεκακία, id est, laetitia de aerumnis bonorum.

Dic comminationem et promissionem. Comminatio Matth. 18. Si non remiseritis — — Pater meus coelestis. Et Matth. 26. Qui gladium acceperit, gladio peribit. Promissio. Remittite et remittetur vobis, Luc. 6.

Dic sextum praeceptum. Non moechaberis. [Bild.]

Quid praecipitur? Sancitur et approbatur coniugium, et praecipitur castitas, puritas et pudicitia in corde, in voluntate, in corpore, in sermone et gestu, et in tota natura. Non solum externa membra sint sine contaminatione, sed etiam cor sit amans castitatis, sine omni motu impuro, et sine flammis inordinatis: et tota natura sit conformis DEO in hoc praecepto, qui est mens casta, horribiliter execratur et punit omnes pollutos. Sit etiam pudicitia in sermone et gestu: custodiatur temperantia et sobrietas: vitetur luxus, otium, occasiones illecebrae: cor in timore Dei repugnet incendijs libidinum: addatur inuocatio ardens, et petamus a Deo, vt nos custodiat in castitate. A 7.

Quid prohibetur? Prohibentur non solum externae contaminationes et commixtiones corporum: sed damnantur in corde quoque omnes flammae inordinatae, et incendia libidinum. Sic enim Christus Dominus interpretatur hoc praeceptum, Matth. 6. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, adulterium commisit, hoc est, reus in sexto praecepto, et damnatus ad poenas praesentes et aeternas.

Dic comminationem et promissionem additam huic praecepto. Comminatio Hebr. 13. Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Promissio Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Dic septimum praeceptum. Non furtum facies.

Quid praecipitur? Justicia in vsu facultatum, vt serues aequalitatem et neminem defraudes: Labor honestus in parando victu: parsimonia

et frugalitas in conseruando: liberalitas et beneficentia in communicando et in largiendis eleemosynis: abstinentia ab alieno, vitans fraudes et imposturas.

Quid prohibetur? Prohibet Deus in hoc praecepto non tantum
A 8. 5 furta et rapinas, fraudes et imposturas in contractibus [Bild]: sed damnat quoque auaritiam, cupiditatem lucri iniusti: damnat etiam diffidentiam de victu, quae est fons furtorum et imposturarum et omnis iniusticiae: Prohibet quoque profusiones et sumtus non necessarios, ignauiam et negligentiam. Nam ociosi etiam sunt fures, quia accipiunt et non reddunt 10 aequale, hoc est, non praestant laborem.

Dic comminationem et promissionem. Comminatio Esa. 33. Vae qui spolias, quia vicissim spoliaberis. Et vsitate dicitur: Male partum, male disperit: Vbel gewonnen, böβlich zerrunnen. Et Christus Lucae 6. Qua mensura mensi fueritis, eadem reddetur vobis. Promissio. 15 Date et dabitur vobis: Mensuram bonam, compressam et effluentem dabunt in sinum vestrum Lucae 6.

Dic octauum praeceptum. [Bild.] Non loqueris — — proximum tuum.

Quid praecipit? Requirit veritatem, amorem rectitudinis et 20 simplicitatis, fidem, hoc est, fidelitatem, candorem: et praecipit, vt in communi consuetudine vitae, candide et simpliciter agamus cum hominibus, sine fuco, sine simulatione et sine sophistica: et vt seruemus pacta et promissa honesta.

B 1. Quid prohibet hoc praeceptum? Prohibet mendacium, ca- 25 lumnias, falsas accusationes et sophisticas defensiones, falsas sententias in iudicijs, corruptelas doctrinae, maledicentiam, obtrectationes, violationem pactorum et foederum, assentationem, simulationem.

Dic comminationem et promissionem. Comminatio Prouerb. 12. Abominatio Deo sunt labia mendacia. Esaiae 5. Vae illis, qui 30 dicunt malum bonum, et bonum malum. Promissio Psalm. 15. Qui loquitur veritatem in corde, et non obtrectat lingua, hic habitabit in tabernaculo Dei.

Dic nonum praeceptum. [Bild.] Non concupisces domum proximi tui.

35 **Dic decimum praeceptum.** [Bild.] Non desiderabis — — quicquid illius est.

Quid praecipiunt et quid prohibent haec duo praecepta? Requirunt integram et interiorem oboedientiam in mente, voluntate, corde, et omnibus viribus: vt in tota natura sit conformitas 40 cum voluntate Dei, iuxta omnia praecepta.

B 2. Non concupisces, id est, Non tantum manus, lingua et membra externa oboediant Legi: sed etiam cor sit sine concupiscentia, sine caligine, sine dubitatione, sine prauis inclinationibus et affectibus.

Duo ergo postrema praecepta sunt interpretatio et declaratio prae- 45 cedentium mandatorum, et testantur in Decalogo prohiberi non tantum externa delicta, sed etiam accusari et damnari interiora vitia, immundiciem cordis, prauas inclinationes, affectus viciosos, et ipsam concupiscentiam, quae est fons et radix omnium peccatorum, interiorum et exteriorum.

Quid significat CONCVPISCENTIA in doctrina Ecclesiae? CONCVPISCENTIA non significat appetitiones in natura conditas, sed est horrenda deprauatio et ἀταξία appetitionum, affectuum et omnium virium in tota natura: vt in mente caligo, dubitationes: in voluntate auersio a Deo, esse sine timore, sine fide et dilectione Dei: in corde contumacia, rebellio, immundicies, prauae inclinationes, e quibus oriuntur affectus praui, et impetus errantes ac pugnantes cum Lege Dei, vt inuidentia, furores irarum, libidinum, mendaciorum.

Dic EPITOMEN Decalogi. Hoc dictum comprehendit summam legis in vtraque Tabula: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis et proximum tuum sicut teipsum, Matth. 22.

Dic comminationem generalem, pertinentem ad omnia praecepta. Deut. 27. Maledictus qui non permanet in omnibus, quae scripta sunt in Lege.

Dic promissionem generalem. Qui fecerit haec, viuet in eis, Leuit. 18.

Regula de Decalogo. Primum praeceptum includendum est caeteris omnibus, id est, in singulis mandatis debemus respicere Deum, in primo praecepto sic concionantem: Ego sum Dominus Deus tuus: ac propter Deum praestemus oboedientiam in omnibus praeceptis. Et contra: In violatione vniuscuiusque praecepti inest contemtus Dei in primo praecepto.

Propter quid est tradita lex? Quis est vsus? et quot sunt officia Legis? Triplex est officium atque vsus legis. Primum officium legis est, conseruare disciplinam in externis moribus. Secundum officium legis est, ostendere et arguere peccatum in toto genere humano, reuelare iudicium et iram Dei aduersus peccatum, et efficere in conscientia terrores horrendos. Hoc est praecipuum officium et maxime proprium. Tertium officium pertinet ad renatos, et est docere et admonere conuersos, quae opera et qui cultus placeant Deo. Praeterea lex in renatis coërcet et arguit reliquias peccati, vt crescat poenitentia.

Cur disciplina est necessaria? Quatuor sunt caussae. B 3. Prima mandatum Dei, Deus seuerissime mandauit, vt omnes homines coerceantur et regantur disciplina. Secunda causa, vt vitentur poenae, praesentes et futurae. Deus enim est custos disciplinae et violationem disciplinae punit in omnibus, iuxta regulam: Atrocia delicta puniuntur atrocibus supplicijs. Tertia causa, tranquillitas communis. Seruanda est disciplina, ne alij turbentur, iuxta illud: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quarta causa, disciplina est paedagogus in Christum. Nam coercet et assuefacit homines vt doceri possint, et Spiritus sanctus voce doctrinae efficax est, et accendit agnitionem Christi: cum homines non frenantur disciplina, non possunt doceri in illa cyclopica vita: nec Spiritus sanctus est efficax in ijs, qui sine poenitentia perseuerant in violatione disciplinae.

De Peccato. Quid est peccatum? Peccatum est quicquid est contra Legem Dei. Sic breuissime definit Johannes Apostolus, 1. Johan. 3.

Quomodo intelligenda est haec breuis definitiuncula? Est intelligenda non tantum de actionibus externis: sed etiam de interioribus defectibus, videlicet de caligine et dubitatione in mente, de

auersione in voluntate, de contumacia in corde, et de tristissima desertione, quod non lucet in homine Sol iustitiae, filius Dei, ostendens Patrem, et accendens cor Spiritu sancto. Praeterea intelligatur definitio quoque de reatu, quod homo nunc propter peccatum reus est irae Dei et aeternarum poenarum, nisi fiat remissio peccatorum propter Filium Dei.

Quae est prima diuisio peccati? Duplex est peccatum. Originale et Actuale.

Quid est peccatum Originale? Est reatus propter lapsum Adae: et propter defectum et deprauationes et inclinationes malas, quae sunt secutae lapsum in omnibus hominibus: et sunt mala pugnantia cum Lege Dei: et merentur aeternam damnationem, nisi fiat remissio propter Filium Dei.

Quid est peccatum Actuale? Peccatum actuale est omnis actio pugnans cum lege: tum in mente, vt dubitatio de verbo: tum in voluntate et corde, vt incendia malorum affectuum: tum in membris externis, vt externae actiones pugnantes cum lege Dei.

Quae est altera diuisio peccati? Peccatum deinde diuiditur in mortale et veniale, siue in peccatum regnans et non regnans.

Quid est peccatum mortale? Peccatum mortale in non renatis est omne peccatum, videlicet, mortale et veniale. Joan. 3. Qui non credit in Filium, ira Dei manet super eum. Sed cum loquimur de Lapsibus renatorum, discernendum est inter peccatum mortale et veniale. Peccatum mortale in renatis est error de fundamento, et lapsus contra conscientiam.

B 4. Quid est peccatum veniale? Peccatum veniale in renatis tantum sic vocatur, et est malum originis: dubitationes, incendia malorum affectuum, quibus tamen repugnant renati, ne ruant contra conscientiam, et dolent propter has sordes: et credunt se placere Deo propter Mediatorem, et tegi has sordes, et gratiam exuberare supra peccatum.

De Symbolo.

Quae doctrina in Symbolo traditur? Symbolum comprehendit articulos fidei, de Deo, de creatione: Euangelium de redemtione, et beneficijs Redemtoris: de donatione et effectione Spiritus sancti: de Ecclesia, de remissione peccatorum, de resurrectione mortuorum, et vita aeterna.

Primus Articulus Symboli de Deo. In inuocatione necesse est scire quis sit verus Deus, quomodo se patefecerit, quomodo velit agnosci et discerni ab idolis et commenticijs numinibus. Necesse est igitur tenere descriptionem Dei, collectam ex patefactionibus diuinis: et discernenda est inuocatio Ecclesiae ab Ethnica inuocatione.

Quid est verus Deus? Deus est essentia spiritualis, aeterna, omnipotens, videlicet: Pater aeternus, Filius et Spiritus sanctus, sicut est patefacta diuinitas certo verbo, et testimonijs diuinis: quod pater aeternus cum Filio et Spiritu sancto condidit et seruat coelum et terram, et omnes creaturas: et misit Filium, qui assumta humana natura constitutus est Mediator, et Spiritu sancto Ecclesiam sanctificat ad vitam aeternam.

De Creatione. [Bild.] Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae.

Quae est sententia? Credo quod Deus, aeternus Pater, cum Filio et Spiritu sancto, ex nihilo condidit coelum et terram, angelos et homines et omnes creaturas: atque huic suo opificio perpetuo adest: seruat et gubernat motus corporum coelestium, vices temporum, foecunditatem terrae, generationem animantium, alit, fouet et sustentat totam B 5. naturam, maxime vero Ecclesiam alit et defendit. Credo quod ego quoque ab hoc ipso conditore Deo quotidie accipio demensum meum, ab ipso defendor et custodior aduersus pericula innumerabilia.

Cur Deus condidit naturam? Deus condidit hoc pulcrum opificium, vt se patefaceret: vt testimonia de se ostenderet: vt bonitatem suam impertiret multis: vt in humano genere sibi colligeret Ecclesiam, cui lucem, sapientiam et laetitiam suam communicaret, et ab ea agnosceretur et celebraretur in omni aeternitate.

Secundus Articulus. De Redemptione, de Gratia et iustificatione. [Bild.] Credo in Jesum Christum — — viuos et mortuos.

Quae est sententia? Credo, quod Jesus Christus verus est Deus et Filius Dei, ante secula natus de essentia aeterni Patris: et est verus homo, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelo, et assumsit humanam naturam, conceptus de Spiritu sancto, et natus ex Maria virgine, pro nobis passus, crucifixus et mortuus est, vt λύτρα pro nobis solueret, et satisfaceret pro peccato, et mereretur nobis remissionem peccatorum, et liberaret nos a morte et ira aeterna: et resuscitatus est vt nobis restitueret iusticiam et vitam aeternam: assumtus in coelum, ad dexteram Dei regnat, et est noster rex, atque defensor, et sacerdos, atque intercessor noster perpetuus: et de coelo redibit cum maiestate, iudicaturus totum genus humanum: et restituet nobis corpora nostra, et donabit nos vita, laetitia et gloria aeterna: impios autem cum Diabolis abijciet in cruciatus perpetuos.

Quot sunt partes in hoc articulo? Duae sunt partes praecipuae. Prior de persona Redemptoris. In Christo mirando modo copulatae sunt naturae diuina et humana, hoc est, Deus et homo. Altera pars de beneficijs Redemtoris, scilicet, de redemtione, de gratia seu iustificatione, per mortem et resurrectionem Christi. B 6.

Quid debemus considerare de assumtione humanae naturae, et de miranda copulatione diuinae et humanae naturae in Mediatore? Immensus amor Dei erga nos hic considerandus est, quod aeterno foedere Christus nos sibi copulauit, factus frater noster, et sua admiranda oboedientia iram Dei aduersus peccata placauit, et poenam pro nobis exoluit, vt nos per eum liberati, cum ipso viueremus, et in dulcissima consuetudine Dei, frueremur vita et laetitia perpetua.

Credo in Jesum Christum. JESVS est nomen proprium Mediatoris, et significat Saluatorem. Etymologiam exponit Angelus his verbis, Matth. 2. Saluum faciet populum suum a peccatis ipsorum. CHRISTVS vero est nomen officij, id est, vnctus, et complectitur regnum et sacerdotium.

Filium eius vnicum. Natura diuina describitur. Filium, id est, ab aeterno genitum de essentia aeterni Patris. Vnicus, discernit Filium Dei ab electis, qui sunt filij adoptione.

Dominum nostrum. Defensorem et deprecatorem, qui rex et sacerdos noster est. Appellatio, Domini, monet de beneficijs: Nostrum, monet de applicatione.

Qui conceptus — — virgine. Describitur assumtio humanae naturae: de conceptione et natiuitate Redemtoris admiranda hic cogitandum est.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus. Beneficia Mediatoris enumerantur, videlicet, redemtio facta per passionem et mortem Christi: Passus, crucifixus et mortuus est, vt pro nobis fieret victima, solueret poenam pro peccato, et satisfaceret iusticiae Dei, et placaret iram, et nobis promereretur remissionem peccatorum, vt morte sua mortem destrueret. Sub Pontio Pilato. Est descriptio temporis.

Sepultus est. Scilicet, vt peccatum nostrum tegeretur et non imputaretur nobis: vt sepulcrum nostrum, quod ante fuit Barathrum inferni, transferetur in dormitorium sanctum, in quo pij quiescunt, expectantes resurrectionem.

Descendit ad inferos. Cur descendit ad inferos? Vt nos liberaret ab inferis: vt contereret caput serpentis: vt destrueret portas inferorum.

B 7. Tertia die resurrexit a mortuis. Quis est vsus atque effectus huius articuli? Resurrexit, vt nobis restitueret iusticiam et vitam aeternam. — Da testimonium. Rom. 4. Resuscitatus est propter iustitiam — — iusticiam et vitam.

Ascendit in coelum. Ascendere in coelum, est ex visibili consuetudine transire in vitam inuisibilem.

Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Quae est sententia? Sedet, hoc est, est noster rex et defensor, et noster summus Sacerdos, Mediator et intercessor. Sedere ad dexteram Dei, est regnare pari potentia cum Deo.

Inde venturus est iudicare viuos et mortuos. De iudicio vniuersali.

Dic formam iudicij. Dominus noster Jesus Christus, visibili specie de coelo descendens, veniet cum maiestate magna, comitante agmine omnium sanctorum Angelorum, cum celeusmate, cum voce Archangeli, cum tuba Dei, et ignis praecedet, atque inflammabit coelum et terram, ac coeli flagrantes cum fragore soluentur, et elementa colliquescent, et mortui resurgent e sepulcris, ac recipient corpora, et fiet renouatio, ac seperabuntur iusti ab iniustis. Justi consistent ad dextram, iniusti ad sinistram. Tunc filius Dei iudicabit viuos et mortuos, pronunciabit sententiam dulcissimam illam quidem ad Ecclesiam: Venite benedicti — — ab initio mundi: Tristissimum vero impijs: Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo et Angelis illius. Et tunc sequetur executio: Ecclesia quidem a Christo recipietur in vitam aeternam: Impij vero cum Diabolis abijcientur in cruciatus aeternos.

Tertius Articulus. De Sanctificatione. [Bild.] Credo in B 8. Spiritum sanctum — — vitam aeternam.

Credo in Spiritum sanctum. Quid complectitur hic articulus? Docet quis sit Spiritus sanctus, et quae sint illius beneficia.

Quae est sententia? Credo quod Spiritus sanctus est verus, aeternus, et omnipotens Deus, procedens a Patre et Filio, et mittitur voce Euangelij in corda credentium, vt nos sanctificet ad vitam aeternam, et flectat corda, vt adsentiantur Euangelio, et confirmet assensionem, et accendat motus congruentes cum voluntate Dei, et excitet inuocationem et laetitiam acquiescentem in Deo.

Quae sunt effectiones Spiritus sancti? Sanctificare est proprium officium Spiritus sancti: Sanctificat autem per verbum. Cum Euangelium audimus, Spiritus sanctus accendit lucem, vt recte intelligamus doctrinam, flectit mentes vt adsentiamur et credamus nos recipi propter filium, et confirmat, vt perseueremus: regit ducit et impellit nos, vt accedamus ad Deum, et inuocemus, et statuamus nos exaudiri: consolatione nos erigit in pauoribus: accendit amorem et laetitiam, qua acquiescimus in Deo intuentes ipsius praesentiam et auxilium: flectit corda, vt nos subijciamus Deo et velimus oboedire iuxta verbum ipsius. Has effectiones Spiritus sancti breuiter complectitur Zacharias 12. cap. Effundam super domum Dauid Spiritum gratiae et precum.

Credo Ecclesiam sanctam Catholicam. Quae est sententia? Credo quod Filius Dei ad dextram aeterni Patris regnans, voce Euangelij, semper colligit et seruat Ecclesiam in terra, et Spiritu sancto eam regit, et diuina potentia defendit eam contra portas inferorum, et seruabit eam vsque ad iudicium vniuersale, sicut inquit Dominus Matth. vltimo: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.

Vbi est Ecclesia? Haec Ecclesia vera, non est alligata ad personas, loca et ordinariam successionem Episcoporum, sed est vbicunque sonat vox Euangelij, Johan. 10. Oues meae vocem meam audiunt.

Quid est Ecclesia? Ecclesia visibilis est coetus hominum amplectentium incorruptam doctrinam Euangelij, et recte vtentium Sacramentis, in quo coetu Filius Dei per ministerium Euangelij est efficax, et multos regenerat, et facit haeredes vitae aeternae: Sunt et in eo coetu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes.

Sanctorum communionem. Ich gleube, das die Heiligen sitzen in gemeinem vngetheiltem Gute. Quae est sententia? Est expositio, declarans quid sit Ecclesia, videlicet: Ecclesia est communio et societas Sanctorum, qui per Euangelium vocati sunt ad haereditatem vitae aeternae, et habent beneficia Christi communia, videlicet, remissionem C 1. peccatorum, Spiritum sanctum, iusticiam, et vitam aeternam.

Remissionem peccatorum. Quae est sententia? Credo quod remissio peccatorum in alio nullo coetu datur, sed tantum in vera Ecclesia, hoc est, in coetu amplectentium Euangelium incorruptum: et datur gratis propter Filium Dei, non propter nostra merita: et datur omnibus, qui credunt promissioni, et fide eam accipiunt, et sibi applicant. Credo sine vlla dubitatione, mihi quoque omnia peccata remitti: quia promissio est vniuersalis: et est mandatum Dei aeternum et immotum, vt omnes audiant Filium, et credant Euangelio, et accipiant beneficia Christi.

Carnis resurrectionem. Quae est sententia? Credo quod corpora nostra, etsi in sepulchro resoluuntur, tamen non manebunt in interitu. Sed sicut Christus resurrexit a mortuis: ita etiam ipse resuscitabit in nouissimo die corpora nostra, renouata et induta immortalitate, et nos secum assumet, et adducet ad Patrem aeternum, et semper cum illo erimus, fruentes laetissima consuetudine et conspectu Dei in tota aeternitate.

Recita testimonia scripturae de hoc articulo. Articulus ille longa concione confirmatur Paulo, 1. Cor. 15. et 1. Thess. 4. Joan. 5. Venit hora, in qua omnes — — in ignem aeternum. Et Joan. 6. Haec est voluntas Patris, vt omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego in nouißimo die resuscitabo eum.

Et vitam aeternam. Quae est sententia? Credo quod natura humana condita est, non tantum ad hanc vitam mortalem, sicut pecudes: nec conditi sunt homines ad miserias perpetuas: sed omnes qui agnoscunt Filium Dei, et credunt in eum, per eum et propter eum donabuntur vita et laetitia aeterna. Joan. 3. Qui credit in Filium, habet vitam aeternam. Et Joan. 10. Ego do eis vitam aeternam.

Quid est vita aeterna? Filius Dei Dominus noster Joan. 17. tradit hanc definitionem mirandam: Haec est vita aeterna, vt cognoscant te solum verum esse Deum, et Jesum, quem misisti, esse Christum.

Collige nunc definitionem ex his verbis. Vita aeterna est agnitio veri Dei et Domini nostri Jesu Christi.

Quomodo intelligenda est haec definitio? Intelligenda est non solum de futura vita, sed etiam de incoatione vitae aeternae in hoc seculo. De futura vita vsitate dicitur sic: Vita aeterna est conspectus Dei, seu visio Dei. Nam cum Deus se coram ostendet fauentem, et nos perfundet sua luce et sapientia: tunc accendetur in nobis in-
C 2. enarrabilis et perpetua laetitia et vita: cum scilicet videbimus eum sicut est, et coram cernemus essentiam eius, et cum erit Deus omnia in omnibus.

Quomodo in hac vita incoatur in nobis vita aeterna? Vita aeterna in hac mortalitate incoatur in nobis, cum fide acquiescentes in verbo, intuemur hunc aeternum Deum, qui misit Filium, et agnoscimus eum esse placatum per Filium, et cum inuocamus, petemus et expectamus consolationem in omnibus aerumnis. Haec consolatio in veris angoribus est gustus vitae aeternae, de qua Christus dicit: Haec est vita aeterna etc. Et 2. Cor. 3. Spiritus viuificat, hoc est, consolatur perterrefactas mentes, accendens in eis nouam vitam et lucem, hoc est, sapientiam, iustitiam et laetitiam. Haec fiunt fide, cum corda agnoscunt Dei misericordiam, praesentiam et auxilium, et in Deo fide propter Mediatorem acquiescunt.

De Inuocatione.

Quid est Inuocatio? Inuocatio est bona a Deo petere in nomine Christi: et pro acceptis beneficijs gratias agere, et celebrare bonitatem Dei.

Quod est discrimen verae inuocationis in Ecclesia, et aliarum impiarum gentium? Duae sunt praecipuae differentiae, altera de essentia Dei, altera vero de voluntate. Ethnici et alij impij

negant hunc esse DEVM, quemadmodum se patefecit misso Filio, videlicet, aeternum Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Aberrant igitur Ethnici a vero DEO, et alloquuntur aliud quiddam commentitium, quod non est verus, aeternus, et patefactus Deus. Ideo scriptum est, Joan. 4. Vos nescitis quid inuocetis. Deinde ignorant promissionem, ignorant an et quare exaudiantur. Inuocatio vero sine fide, et oppressa dubitatione inanis est, iuxta dictum: Quomodo inuocabunt, cum non credant? Rom. 10. Ecclesia vero alloquitur verum Deum, patefactum illustribus testimonijs, et agnoscit eum sicut se patefecit. Scit enim promissiones et agnoscit Mediatorem, et scit Deum velle inuocari et exaudire fiducia Mediatoris, sicut ipse Dominus inquit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, Joan. 16.

Quae requiruntur ad veram inuocationem?[1]) Horum sex capitum consideratio necessaria est in omni inuocatione. Primum: Mens non vagetur in inuocatione, sed vera attentione dirigatur ad hunc verum Deum, qui se patefecit per verbum, et misit filium Mediatorem, et dat Spiritum sanctum paracletum et gubernatorem Ecclesiae. Secundo: Praeceptum Dei nobis proponamus, vt Matth. 7. Petite et dabitur vobis. Et Psalm. 50. Inuoca me in die tribulationis. Est itaque inuocatio necessaria oboedientia erga Deum. Tertio: In nos ipsos inquiramus, an sit in nobis vera conuersio ad Deum, seu poenitentia. Sine hac enim C 3. nullius momenti est Inuocatio. Johan. 9. Deus peccatores non audit. Quarto: Requirenda est promissio, vt certo sciamus preces nostras exaudiri propter Christum Pontificem nostrum: vt promissio illa Joan. 16. in omni inuocatione cogitanda nobis est, et ante oculos ponenda: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Quinto: Fides excitanda est, quae in promissionem intuens, certo statuat nos exaudiri propter Mediatorem nostrum. Nam promissio correlatiue requirit fidem.

Appendix. Discrimen hic obseruandum est, cum petimus donum spirituale, et cum petimus bonum corporale. Cum petimus beneficium spirituale, vt remissionem peccatorum, confirmationem fidei, vitam aeternam: tunc fides simpliciter et sine vlla conditione expectet rem promissam. Quia Deus nominatim promisit se haec daturum esse, et vult haec semper dare. Cum vero petimus auxilium corporale, vt victum, defensionem, liberationem in morbo etc. in his fides certo statuat, preces nostras placere Deo, et exaudiri: cum inuocatione simul adferat voluntatem paratam ad oboediendum in afflictione, si Deo ita videatur. Quia Deus vult Ecclesiam in hac vita exerceri cruce et afflictionibus: et tamen eam seruat mirabiliter, dat hospitium et victum. Ideo sancti beneficia corporalia petunt cum conditione huiusmodi, vt leprosus: Domine, si vis, potes me mundare, Matth. 8. Et Dauid petens restitutionem adfert voluntatem paratam ad oboediendum Deo in afflictione, cum ait: Si volet, reducet me: si dixerit, non places, praestosum. 2. Reg. 15.

Sexto: Oratio non sit inanis *βαττολογία*, sed aliquid proponamus, quod petamus a Deo. Proponenda sunt pericula, tum publica, tum priuata. Res petendae in oratione Dominica ordine et breuiter omnes comprehensae sunt.

Quid complectitur Inuocatio? Inuocatio duo complectitur: Precationem et gratiarum actionem.

Quid est PRECATIO? Precatio est petere in nomine Christi beneficia a Deo, et certo credere, quod preces nostrae placeant Deo, et im-

[1]) Dieser Abschnitt (bis zu Sexto) differiert von der Ausgabe von 1565.

petrent beneficia expetita propter Filium Dei Mediatorem, qui est summus sacerdos, perferens gemitus nostros ad Patrem, et intercedens pro nobis.

Quae est forma precandi? Filius Dei summus Sacerdos noster proposuit breuem et exactissimam formam precandi. Pater noster
C 4. 5. qui es in coelis — — libera nos a malo, Amen.

Dic Encomium huius precationis. Oratio Dominica est oratio orationum, oratio supra omnes orationes, optima et perfectissima oratio. [Bild.]

Pater noster qui es in coelis. Quid hoc principium sibi vult? Est exordium commonefaciens nos, vt cogitemus, quem Deum alloquamur, et requirens fidem, Intuearis et alloquaris aeternum patrem, qui misit Filium Mediatorem, propter quem nos recipit et exaudit, et Spiritu sancto nos sanctificat, accendit et mouet vt clamemus: Abba pater.

Cur iubet orare Pater noster? et non Deus noster? Vult a nobis appellari pater. Ergo recipit nos in filios, et adoptat nos propter Filium vnigenitum, ac vere nos diligit, atque paterna storge nos complectitur. Vult ergo nos exaudire, et requirit fidem, vt credamus nos certo exaudiri propter Mediatorem.

Noster,[1]) Admonet de consociatione in Ecclesia: vt scilicet consensu verae doctrinae, et mutua dilectione inter nos coniuncti simus, et alij alios fratrum loco habeamus, ijsque non minus quam nobis omnia feliciter euenire optemus.

Qui es in coelis, id est, qui vbique ades, omnia corda introspicis, et es omnipotens.

Complectere iam sententiam totius exordij. Aeterne Deus, Pater coelestis, qui es omnipotens opitulator, et vere ades vbique, exaudis et iuuas te inuocantes: qui te patefecisti per verbum tuum, et misisti Filium tuum Mediatorem nostrum, propter quem nos adoptas, et paterna beneuolentia complecteris, atque exaudire vis: ac iussisti, vt in aerumnis nostris, quibus vt pater benignus, vere afficeris, te inuocemus: Juua nos Spiritu sancto tuo, vt te recte inuocemus, et firma fide statuamus, nos in nomine et fiducia Christi Filij tui petentes, certo exaudiri.

Quae sunt petenda? Omnia quae sunt comprehensa in septem petitionibus.

Quis est ordo rerum petendarum in septem petitioni-
C 5. bus? 1. Est de vera agnitione Dei, et de doctrina, per quam agnitio accenditur. 2. De efficacia doctrinae et agnitionis, videlicet, de gubernatione diuina. 3. De vocatione, siue de actionibus vocationis, de oboedientia. 4. De conseruatione vitae, de victu et similibus rebus. 5. De remissione peccatorum. 6. De auxilio et defensione DEI in certamine et tentatione. 7. De liberatione, hoc est, de mitigatione calamitatum in hac vita, et de integra liberatione.

De prima petitione. [Bild.] Sanctificetur nomen tuum. Quid petitur? De agnitione Dei, et de vera doctrina, per quam accenditur agnitio Dei.

---

[1]) Die Erklärung von noster ist in 1565 kürzer gefaßt.

Quae est sententia? Da vt nomen tuum sit nobis sanctum, hoc est, vt luceat in nobis notitia Dei sancta, hoc est, pura, vera, non polluta errore et idolis. Sonet inter nos in Ecclesia vera et incorrupta doctrina Euangelij, et sint veri cultus: iuua vt Euangelium firma assensione amplectamur, et custodiamus fide et conscientia bona: Da vt cogitemus serio, et expauescamus ad iram tuam ingentem aduersus peccata, vt te vere timeamus, et vitemus peccata. Da vt agnoscamus immensam misericordiam in Euangelio patefactam, et credamus promissioni, et acquiescamus in Filio, et fiducia illius te inuocemus, et bonitatem tuam celebremus. Sanctifica nos in veritate tua, et accende in nobis veram agnitionem Dei, quae est vita aeterna, verum timorem, veram fidem, inuocationem, oboedientiam atque sanctitatem vitae. Excita doctores salutares, et sis per eos efficax, vt agnitio tui late spargatur, vt in nobis et in toto genere humano nomen tuum vere sanctificetur, celebretur, et glorificetur in tota aeternitate. Custodi nos, ne aberremus a vera sententia Euangelij, ne ruamus in errores, in superstitiones, in deliria, in contemtum Dei Epicureum. Abole omnia scandala, blasphemias, idola, errores et superstitiones.

Secunda petitio. [Bild.] Veniat regnum tuum. Quid petitur? C 6. De efficacia doctrinae et agnitionis, videlicet, de gubernatione diuina.

Quid comprehendit haec petitio? Spiritu sancto tuo nos rege, doce et iuua, vt Euangelio vere credamus: collige et serua inter nos Ecclesiam: regnum tuum in nobis inchoatum prouehe et confirma, vt simus haeredes regni tui aeterni, iuua vt te recte inuocemus, vt ardenti pectore gratias agamus, et celebremus bonitatem tuam. Juua vt perseueremus et simus constantes in fide et confessione vsque ad finem, vt fiamus discipuli Christi, et fructum multum feramus, vt nostra confessione atque officio multi ad te conuertantur, et regnum tuum amplificetur et propagetur. Tu regnes in nobis in hac vita, et in omni aeternitate. Sanctifica nos veritate tua, et verbo tuo, et Spiritu sancto nos renoua, mundifica et sanctifica, vt corda nostra sint domicilium Dei et templum Spiritus sancti, et vt in nobis, tanquam in templo diuino, luceat vera agnitio, fides, inuocatio, et vitae sanctitas: et habites atque regnes in nobis in omni aeternitate, vbi fruemur tuo conspectu, consuetudine et colloquio, et erit Deus omnia in omnibus et videbimus eum sicut est, et similes illi erimus, liberati a peccato, morte, et omnibus calamitatibus, et perfusi luce sapientia, iusticia, et laeticia aeterna. Serua et defende Ecclesiam aduersus furores Diaboli, Turcorum, Tyrannorum et haereticorum, Sicut dixisti, o Domine Jesu Christe: Oues meas nemo rapiet de manu mea: Ero murus igneus circum vos. Destruito regnum Diaboli, et reprime furores aduersantium regno tuo. Non regnet in nobis peccatum, et prauae cupiditates: Gressus meos dirige verbo tuo, et non dominetur in me peccatum.

Tertia petitio. Fiat voluntas tua in terra, sicut in coelo. Quid petitur? De oboedientia erga Deum, et de officijs vocationum, vt Deus adiuuet vocationes.

Quae est sententia? Rege et iuua nos Spiritu sancto, vt in terra, in hac mortali imbecillitate, tibi recte oboediamus iuxta [Bild] C 7. verbum tuum, vt vera humilitate et patientia nos voluntati tuae subijcia-

mus, et placide ac sine fremitu feramus afflictiones, vt a te petamus et expectemus consolationem, auxilium et liberationem in tempore opportuno. Juua vt singuli in nostra vocatione recte seruiamus, et faciamus, quae tu vis, et quae tibi placent. Juua vt doctores et discipuli, gubernatores et subditi, et omnes omnium hominum ordines suo quisque loco faciant officia, et oboediant ad normam verbi tui. Juua vt voluntas nostra fiat conformis voluntati tuae, vt in terra simus mansueti, humiles, casti, iusti, veraces: sicut beati Angeli in coelo sunt spiritus casti, humiles, veraces, et conformes voluntati tuae. Et cum perfeceris vt velimus credere Euangelio, et tibi obedire: Juua quoque, o aeterne Pater, vt perficiamus, vt tibi aliqua grata fiant in terra sicut Angeli in coelo tibi grata faciunt.

Quarta petitio. [Bild.] Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quid petitur? De victu et alijs bonis corporalibus, vt sunt: valetudo, successus in vocationibus, laboribus, studijs, bonum regimen, pax, vbertas annonae, commodae tempestates.

C 8. Quae est sententia? Coelestis Pater, da nobis victum et amictum, et omnia necessaria ad hanc vitam, videlicet: valetudinem bonam, bonum regimen, gubernatores salutares, pacem, tempestates commodas, terrae foecunditatem, aërem salubrem, successum in regimine Ecclesiastico, politico, et oeconomico, in laboribus vocationum, in studijs, in educatione iuuentutis. Rege nos vt agnoscamus haec bona a te dari et conseruari, vt cum gratitudine donis tuis vtamur, et bonitatem tuam celebremus. Custodi nos et depelle noxas, famem, pestem, bellum, tetros morbos, vastationes et alias calamitates. Custodi nos, ne implicemur auaritia et helluationibus rege nos, ne corda nostra grauentur crapula et ebrietate.

Quinta petitio. [Bild.] Et remitte nobis — — debitoribus nostris. Quid petitur? De remissione peccatorum. Haec petitio complectitur confessionem, qua tota Ecclesia agnoscit et confitetur, se adhuc habere peccatum, et semper indigere remissione peccatorum.

Quae est sententia? Agnoscamus, aeterne Pater, deplorantes, et confitemur nos esse reos et horribiliter pollutos. Non intres in iudicium cum seruis tuis, non nos reijcias propter sordes nostras: miserere nostri, et remitte nobis peccata nostra, propter Filium tuum crucifixum pro nobis et resuscitatum. Rege nos sancto tuo Spiritu, vt vitemus peccata et occasiones peccati. Juua nos, vt grati simus pro misericordia tua, et propter te vicissim condonemus aliorum offensiones, et tegamus errata ipsorum, et tueamur concordiam, ac beneuolentia vera nos mutuo complectamur, et in te vnum simus.

Cur addita est haec appendix: Sicut et nos remittimus debitoribus nostris? Est commonefactio de nostra poenitentia, et mutua condonatione. Non enim potest peti, nec retineri remissio peccatorum, nisi abijciamus cupiditatem vindictae, et nisi fiat condonatio, et quaeratur reconciliatio: nec valet precatio, nec exauditur, cum cor retinet propositum faciendi contra mandatum Dei. Sicut scriptum est: Peccatores non audit Deus, id est, retinentes propositum peccandi. In

D 1. summa, nostra condonatio est exploratio, an vere credas et petas remissionem peccatorum. Nam qui non condonat, non credit, nec vere potest credere.

Sexta petitio. [Bild.] Ne inducas nos in tentationem. Quid petitur? Est petitio auxilij in certamine et tentatione.

Quae est sententia? Coelestis pater, adsis nobis in tentatione, sicut dixit Filius tuus Dominus noster: Nemo rapiet oues meas de manu mea. Non sinas nos succumbere et vinci cum tentamur, Serua nos ne euertamur ab hoste, ne trahamur in errore in idolomaniam, in superstitiones, in furores fanaticos, in securitatem profanam, in Epicureum contemptum Dei, in peccata et scelera tragica atque exitia. Juua nos Domine Jesu Christe, et guberna nos Spiritu tuo sancto, vt euitemus ignita tela Diaboli, vt vincamus illecebras viciorum, et per te triumphemus aduersus Diabolum.

Septima petitio. [Bild.] Sed libera nos a malo. Quid petitur? Liberatio a malis praesentibus et aeternis.

Quae est sententia? Libera nos o vnice liberator, a malis praesentibus et perpetuis, et propter Filium intercessorem nostrum mitiga D 2. calamitates, quibus propter peccata iuste premimur. Corripe nos Domine, in iudicio, et non in furore, ne ad nihilum redigamur. Spiritu sancto paracleto consolare et confirma omnes aerumnosos, da leuationem, et effice placidos exitus. Excubias Angelorum nobis adiungito, et custodi nos in omnibus vijs nostris cursum vitae nostrae inter pericula guberna ad optatum exitum. Adsis nobis, Domine Jesu Christe, in extremo agone, et Spiritu sancto tuo nos iuua, et confirma, vt in vera agnitione, fide, inuocatione et confessione hinc emigremus, et animam nostram recipe in manus tuas, et transfer nos in vitam aeternam, Amen.

Quid significat haec vox? Sint rata, firma et certa, quae petiuimus. Epiphonema requirens fidem, quae certo statuit nos iuxta promissionem exaudiri propter Mediatorem.

Quae est sententia? Coelestis Pater, quae te iubente petiuimus, ea velis esse rata, firma, et certa, propter Filium intercessorem. Juxta promissionem ipsius iuramento sancitam: Amen, amen dico vobis, si quid Patrem in nomine meo petetis, dabit vobis. Amen, amen. Semper vero addendum: Credo Domine, opem fer meae diffidentiae.

De Gratiarum actione. Quid est Gratiarum actio? Gratiarum actio in genere est profiteri, vnde profectum sit beneficium, et obligare sese ad officia mutua.

Adde declarationem. Nam gratitudo est virtus coniungens duas summas virtutes: veritatem et iusticiam. Veritas profitetur, vnde sit acceptum beneficium. Justicia praestat mutua officia. Ergo ingratus est mendax et iniustus.

Quid est gratiarum actio erga Deum? Gratiarum actio erga Deum est profiteri nos a Deo accepisse beneficia, et agnoscere, quod est omnipotens, praesens, et opitulator: et est opus iustificiae praestans officia Deo grata.

Declara. Gratiarum actio erga Deum primum est veritas, quae fatetur, quod a Deo accepimus beneficia Summum autem beneficium est, quod Filius vnigenitus pro nobis est mortuus. Qui non gratias agit filio Dei pro passione et morte sua, est mendax, non agnoscit et fatetur a Christo collata sibi esse ingentia beneficia, bona spiritualia et aeterna. Deinde est iusticia praestans officia Deo grata. Sunt autem officia Deo

grata, quae in tua vocatione a te requirit, vt in tua vocatione sis diligens et ei oboedias, discas diligenter doctrinam, et cupiditates prauas coërceas et refrenes, tuearis disciplinam inculpatam.

De Sacramentis,

Proposita Anno M. D. LVI. 3. Calend. Januarij.

Quid nominatur Sacramentum in Ecclesia? Vetus dictum est: Sacramentum est signum gratiae. Sacrament ist ein Gnadenzeichen.

D 3. Declara hanc breuem definitiunculam. Sacramentum est externus ritus, diuinitus institutus, vt commonefactio exhibitae et applicatae promissionis gratiae.

Quid est Sacramentum noui Testamenti?[1]) Est ceremonia a Christo recens instituta in Euangelio, et addita promissioni tanquam sigillum, admonens de promissione gratiae propter Christum, et testificans tibi vere exhiberi et applicari remissionem peccatorum, merito Christi partam.

Quae ritus sunt additi promissioni gratiae? Et quare Sacramenta sunt instituta? Duae causae maxime sunt illustres: Prior, Vt sint commonefactiones de promissione Euangelij, et testimonia de applicatione, quod scilicet promissio pertineat ad singulos. Altera causa, vt ritus illi discernant Ecclesiam ab omnibus gentibus, et monstrent, quae sit Ecclesia, et ostendant Deum velle, vt nos adiungamus ad Ecclesiam, vt simus auditores vocis Euangelij, nec eos, qui non audiunt vocem Euangelij esse electos.

Enumera Sacramenta. Sacramenta noui Testamenti sunt Baptismus, et Coena Domini. Et in hoc articulo debet addi doctrina de Absolutione, atque adeo de tota poenitentia.

Cur Absolutionem numeras inter Sacramenta?[2]) Quia habet annexam promissionem de remissione peccatorum. Et sicut caetera Sacramenta sunt applicationes, quae testantur promissionem Euangelij ad singulos pertinere: Sic et absolutio applicat singulis Euangelium, et testatur promissionem gratiae ad singulos pertinere: quod quidem Sacramenti caput est.

At de est signum externum? Sonus et vox ministri applicans tibi remissionem peccatorum autoritate Christi, est signum externum, quod sensum mouet. Ac coniungitur remissio peccatorum cum ministerio et voce hominis: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, Joan. 20. Est et manuum impositio signum externum, quod etsi Christus huic Sacramento non expresse addidit: tamen cum ipse et Apostoli, hunc ritum, haud dubie a primis patribus acceptum, saepe vsurparint, pie etiam in Absolutione adhibetur: cum fuerit signum benedictionis, et rei destinatae ad cultum Dei.

De Baptismo.

D 4. [Bild.] Quid est Baptismus? Baptismus est mersio in aquam cum pronunciatione verborum: Ego baptizo te in nomine Patris, et Filij, et

---

[1]) Diese Frage fehlt in 1565. — [2]) Diese und die nächste Frage fehlen in 1565.

Spiritus sancti: a Filio Dei instituta, vt testificetur eum, qui sic mergitur, reconciliari Deo propter Christum, et sanctificari a Spiritu sancto ad vitam aeternam.

Quid significat Baptismus, et quis est eius vsus? Significatio et vsus praecipuus est, quod Deus hoc signo testatur, quod propter Filium nos recipit in gratiam, et remittit nobis peccata, et abluit nos in sanguine Christi, et hoc lauacro paciscitur nobiscum, et confirmat foedus, quod vult esse Deus noster, Hic vsus est, et haec consolatio etiam traditur in verbis Baptismi, scilicet: Ego baptizo te in nomine Patris, et Filij, et Spiritus sancti.

Quae est sententia verborum Baptismi? Ego baptizo te in nomine Patris et Filij, et Spiritus sancti, id est, Ego minister hoc ritu testificor in nomine, id est, mandato diuino, Te, qui sic mergeris recipi in gratiam a vero Deo, qui est aeternus Pater, Domini nostri Jesu Christi: et recipi te propter Filium: et sanctificari te Spiritu sancto. — Et comprehendenda est correlatiua sententia: Ego testificor te recipi in Nomen, id est, ad agnitionem et inuocationem veri Dei, qui est Pater aeternus Domini nostri Jesu Christi, et Filius, et Spiritus sanctus: et recipi te propter Filium redemtorem, et te credentem sanctificari Spiritu sancto: hunc verum Deum agnosces et inuocabis. Et tu vicissim testaris hoc Baptismo, te omnia commentitia numina execrari.

Suntne infantes baptizandi?[1]) Sunt baptizandi: et haec sententia confirmatur ex Euangelio his rationibus. Prima. Promissio regni coelorum, hoc est, remissionis peccatorum et vitae aeternae propter Christum donandae, pertinet etiam ad infantes, vt Matth. 19. dicitur: Sinite paruulos ad me venire: talium enim est regnum coelorum. Omnes autem qui futuri sunt haeredes regni coelorum, necesse est baptizari. Nam Deus remissionem peccatorum et haereditatem vitae aeternae per verbum Euangelij et per Baptismum impertit hominibus. Sicut inquit Apostolus ad Titum 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis etc. Ergo, Infantes necesse est baptizari. — Altera ratio. Extra Ecclesiam non est salus. Ad infantes pertinet promissio salutis. Ergo infantes necesse est inseri Ecclesiae, ac fieri eiusdem membra. Omnes autem qui futuri sunt membra Ecclesiae, necesse est baptizari, Ephes. 5. Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificet, mundans eam lauacro aquae per verbum. Ergo etiam infantes necesse est per lauacrum aquae et verbum mundari, siue baptizari.

De Absolutione.[2])

Quid est Absolutio? [Bild.] Est annunciatio et applicatio remissionis peccatorum, quae fit nomine et autoritate Christi, per vocem hominis in ministerio: Juxta haec dicta, Joan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Matthaei 18. Quicquid solueritis super terram, solutum erit in coelo. Luc. 10. Qui vos audit me audit. D 5.

Quomodo Absolutio tibi prodest? Absolutio tibi prodest et efficax est, cum eam fide tibi applicas, et credis voci ministri, tanquam

[1]) Diese Antwort differiert von der in 1565.

[2]) In 1565 steht hier der Abschnitt de coena domini, während der über die Absolution folgt.

Christus tecum coram loqueretur et te absolueret, hoc est, liberum pronunciaret a reatu et damnatione aeterna.

Estne retinenda in Ecclesia arcana Confessio qua petimus Absolutionem? Est retinenda propter Absolutionem, et propter explorationem seu institutionem.

Quid est Confessio arcana? Confessio illa est agnoscere et confiteri nos esse reos, et petere veniam, et credere quod absoluente ministro, Deus remittit peccata, et absoluit te per vocem hominis.

Estne necessaria in Confessione enumeratio singulorum vel aliquorum delictorum? Non est necessaria, tum quia nullum mandatum Dei traditum est de enumeratione, tum quia est impossibilis.

Qua forma vtendum est in Confessione? Forma teneatur ex Decalogo breuiter et erudite collecta ad hunc modum: Miser ego peccator, confiteor me reum esse, et horribiliter peccasse contra omnia praecepta Dei. 1. Non est in me firma agnitio Dei, nec verus timor Dei, fides et dilectio ardens. 2. Segnis et negligens sum in inuocatione et gratiarum actione. 3. Non est in me vera reuerentia erga ministerium, sum negligens in audiendo et discendo verbo Dei, et in vsu Sacramentorum. 4.—9. Parentibus et superioribus meis non tribuo debitum honorem et oboedientiam: non satis fideliter facio officium vocationis meae in studijs doctrinae. Cor meum impurum est, et contaminatum iniusto odio, flammis vindictae atque libidinum, appetitione alieni, mendacio et sophistica. D 6. 10. Denique tota natura mea horribiliter deprauata est concupiscentia, inclinationibus, et affectibus viciosis, pugnantibus contra omnia mandata Dei, et nihil sum nisi massa damnata, Toto autem corde doleo, quod offendi Deum, et serio statuo deinceps auxiliante Spiritu sancto emendare mores, vitare peccata et occasiones peccati: et confugio ad Mediatorem Filium Dei, qui in cruce factus est victima pro peccatis nostris, et peto a vobis, vt mihi annuncietis remissionem peccatorum in nomine Christi, summi sacerdotis nostri, iuxta ipsius ordinationem, expressam his verbis: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.

De Coena Domini.

[Bild.] Quid est Coena Domini?[1]) Est sumptio veri corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, in pane et vino, a Christo instituta, ad recordationem mortis suae. Haec definitio clare traditur in verbis coenae.

Recita verba Coenae. Dominus noster Jesus Christus — — in mei recordationem.

Quomodo seruanda est haec Ceremonia? Instituta est, vt seruetur in honesto et publico coetu, cum concione de morte et resurrectione Christi, et inter precationes et gratiarum actiones distribuatur hoc Sacramentum, in quo Christus impertit corpus et sanguinem suum, et est efficax in pie sumentibus, et adiungit sibi eos tanquam membra. Hunc modum describit Paulus 1. Cor. 11. Conuenientibus vobis etc.

[1]) Hier unterscheidet sich 1565, indem diese Ausgabe die Frage Quis est fructus sumptionis anschließt und dieselbe mit dem unten unter Repetitio brevis doctrinae de coena domini bei dieser Frage beigebrachten Material beantwortet; auch die Antwort auf die erste Frage ist anders gefaßt.

Item: Mortem Domini annunciate, donec venerit. Item iubet vt alij alios D 7.
expectent, vt fiat participatio.

De vsu Coenae Domini. Quid prodest hoc Sacramentum? Quis est principalis finis et vsus huius Sacramenti? 1. Principalis finis huius Sacramenti est confirmatio fidei, videlicet, vt hoc tanto pignore admoniti fidem in nobis excitemus et confirmemus: et credamus hic nobis vere impertiri remissionem peccatorum propter mortem et sanguinem Christi: et fide nobis applicemus promissionem reconciliationis. Hunc finem et vsum docent verba haec: Pro vobis traditur: Pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Item: Hoc facite in mei recordationem. — De finibus inferioribus. 2. Ad confirmationem fidei debet addi alius finis inferior, videlicet, gratiarum actio. Ideo huic ceremoniae nomen attributum est *εὐχαριστία*, hoc est, gratiarum actio. Debent enim in hac ceremonia commemorari beneficia Christi, et tum publica voce, tum in priuatis precationibus gratiarum actio dicatur. — 3. Tertius finis, exemplum tuum seruiat ad congregationem communem conseruandam. — 4. Quartus finis est Confessio. Nam cum accedis ad Coenam Domini, profiteris te amplecti Euangelium, et approbare doctrinam eius Ecclesiae, in qua communicas. — 5. Quintus finis est commonefactio mutuae dilectionis, cum ait: Vnus panis et vnum corpus multi sumus, 1. Corinth. 10. — 6. Sextus finis est commonefactio de diligentia in regendis moribus, et vitandis peccatis. Quia enim efficimur membra Christi maiore studio vitemus delicta, et caueamus, ne polluamus membra Christi.

De digna participatione. Qui sunt admittendi? et qui digne accedunt? Digne accedunt, qui seipsos probant, hoc est, qui serio agunt poenitentiam, dolent se peccasse, et expauescunt ad iudicium Dei, et ideo accedunt, vt hoc pignore et testimonio admoniti fidem accendant, et confirment, vt credant se recipi, sibi ignosci et remitti peccatum propter victimam Christi, et habent propositum oboediendi Deo, et corrigendi mores.

De abusibus huius Sacramenti. Contra huius Sacramenti pium vsum a Christo institutum, horrendi abusus, prophanationes et Idolatriae in Ecclesiam peruaserunt, in missis sacrificulorum, vbi dicunt se offerre Filium Dei: et in spectaculo, cum circumfertur panis, et populo adorandus proponitur. Hos cultus Idolatricos pij fugere et execrari debent. Sicut seuerissime praecipit verbum Dei: Fugite idolorum cultus.

Et tenenda est Regula: Ceremonia non amplius est Sacramentum, cum aliquid instituitur extra et praeter verbum Dei: aut cum ceremonia transformatur in opus genere diuersum, hoc est cum constituitur alius finis, quam qui a Deo oppositus est.

Declaratio Regulae. Aliud instituitur extra verbum Dei, cum D 8.
in spectaculo panis circumfertur, et ibi alligatur Christus, prorsus sine omni verbo Dei. Nam Christus hoc Sacramentum instituit ad manducandum. Circumgestatio profecto non est manducatio. Item, opus genere diuersum instituitur, cum Sacrificuli in Missa dicunt se offerre Filium Dei: et hoc opere suo mereri viuis et mortuis remissionem peccatorum, et alia bona. — Est autem firmissime statuendum, Christum vnico sacrificio in ara crucis peracto, meruisse toti Ecclesiae remissionem peccatorum.

quae a viuentibus sola fide accipitur. Ergo illa spectacula, cum panis circumfertur, item Missae sacrificulorum non habent rationem Sacramenti.

Repetitio breuis Doctrinae de Coena Domini.

Quid est Coena Domini? Est sumptio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi in pane et vino, sicut in verbis Euangelij instituta est. Huic sumptioni Christus vere et substantialiter adest, et testatur se applicare credentibus sua beneficia, et se assumpsisse humanam naturam propter nos vt nos quoque sibi insertos fide membra sua faciat, et nos ablutos esse sanguine suo. Simul etiam testatur, se deinceps esse, et habitare velle in credentibus, atque eos docere, viuificare et regere. Sicut scriptum est: Qui in me manet et ego in eo, id est, qui fide retinet Euangelium, in eo vero adest filius Dei.

Quis est fructus sumptionis? Primus et praecipuus fructus est, hac communicatione confirmare fidem, et statuere quod hoc tanquam pignore seu sigillo Filius Dei testetur, se tibi applicare beneficia sua, et te abluere sanguine suo, et te inserere corpori suo, et facere membrum suum. — Secundus vsus est gratiarum actio. Gratias agas Filio Dei, quod assumpsit humanam naturam: quod pro nobis passus est, et redemit nos: quod donauit et seruat Euangelium: quod nos sanctificat Spiritu sancto et seruat Ecclesiam. Sunt et alia beneficia hic commemoranda. — Tertius vsus est, vt haec Coena sit neruus publicae congregationis. Cogitemus Deum velle hanc sumptionem in publico congressu fieri, vt sit neruus congregationis. Quia Deus semper voluit Ecclesiam esse visibilem coetum, et habere honestos congressus publicos, in quibus sonet vox Euangelij de Filio Dei.

De bonis Operibus.

Quid sunt bona opera? Bona opera sunt opera verbo Dei mandata, quae fiunt in fide et agnitione Christi, et referuntur ad hunc finem, vt Deus celebretur.

Suntne bona opera necessaria ad iustificationem? Non. Quia Justificatio datur GRATIS propter Filium Dei credenti.

E 1. Si non sunt necessaria ad iustificationem, quid ergo opus est bonis operibus? Sunt multae et magnae causae cur oporteat bona opera fieri. Impulsiua. Efficiens et Finalis. Causa impulsiua, quia est aeternus et immotus ordo, vt creatura oboediat creatori, aut abijciatur in poenas aeternas et infinitas. — Causa efficiens est Spiritus sanctus, qui efficit tales motus, qualis ipse est. Spiritus sanctus est amor substantialis et laetitia coaeterna inter Patrem et Filium: Efficit ergo in credentibus veram dilectionem Dei et proximi, laetitiam in Deo acquiescentem, quae est vita aeterna. — Causa finalis. Filius Dei nequaquam ideo passus est, et sudauit sanguinem, neque ideo datur remissio peccatorum, vt confirmetur peccatum, et horrendi furores in humano genere: sed vt peccatum aboleatur, et restituatur in nobis vita et iustitia aeterna, et conformitas cum sapientia et voluntate Dei. Est et haec causa, ne amittamus gratiam, ne fides excutiatur, ne Spiritus

sanctus eijciatur, ne cor nostrum, quod factum est templum Spiritus sancti, rursum fiat lupanar Diaboli.

Quae sunt consideranda in doctrina de bonis operibus? Haec tria sunt consideranda: 1. Quae bona opera sint facienda. — 2. Quomodo placeant DEO in hac imbecillitate nostra. — 3. An in conuersis maneat peccatum, et quae peccata maneant: propter quae peccata sancti non amittant Spiritum sanctum, et propter quae amittant.

De prima quaestione. Quae bona opera sunt facienda? Bona opera sunt facienda et docenda, quae Deus praecepit in Decalogo recte intellecto. Juxta illud, Ezech. 20. In praeceptis meis ambulate, et facite ea. Ideo Deus immensa bonitate semper voluit sonare verbum suum in Ecclesia, vt sciamus quae opera, qui cultus ipsi placeant, et vt corda nostra regantur verbo Dei, in fide et operibus, iuxta illud: Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Secunda quaestio. Quomodo possunt fieri bona opera, et quomodo placent? Bona opera fiunt opitulante Spiritu sancto et placent Deo, cum haec tria accedunt. Primum. Cum credimus quod persona placeat Deo per misericordiam et Mediatorem, non propter nostra merita. — Secundo. Cum agnoscimus in nobis adhuc haerere multas sordes et immundiciem, caliginem in mente, dubitationes, flammas affectuum malorum. — Tertio. Cum statuimus quod oporteat in nobis incoari E 2. nouam oboedientiam, et ea placeat Deo propter Mediatorem, non propter suam dignitatem et perfectionem.

Tertia quaestio. An manet peccatum in Sanctis, et quae peccata manent in Sanctis? In Sanctis manet peccatum, propter quod non amittunt gratiam, videlicet: interior immundities, peccatum originis, prauae inclinationes et alij affectus, quibus sancti spiritu repugnant, et petunt condonationem. Talia peccata vocantur peccatum veniale siue non regnans.

Propter quae peccata Sancti desinunt esse templum Spiritus sancti? Propter peccata contra conscientiam, et propter lapsus in fundamento, cum labuntur in errores, in furores, fanaticos. Hoc vocatur peccatum regnans seu mortale. Quia propter hoc peccatum homo rursus fit reus irae Dei et mortis aeternae, nisi vera conuersione redeat ad Deum.

Hanc generalem doctrinam de bonis operibus singuli teneant in suis vocationibus, de quibus peculiaria praecepta ex doctrina Apostolica alibi traduntur.

Repetitio Doctrinae
de Absolutione, et de Coena Domini.

De Absolutione. Von der entbindung von Sünden.

Quid est Absolutio? ABsolutio est annunciatio remissionis peccatorum, quae fit nomine et autoritate Christi, qua Christus ipse, per vocem Sacerdotis, tibi applicat remissionem peccatorum, ac te pronunciat liberum a reatu et damnatione aeterna. Die entbindung ist das gnedige Vrtheil, da Christus durch den Mund des Priesters dir verkündiget vergebung der Sünden vnd dich loß sagt vom ewigen verdamnuß.

Probat testimonio scripturae? Johan. 20. Quorum peccata remiseritis, remittuntur eis. Et Luc. 10. Qui vos audit, me audit.

Quomodo accipienda est Absolutio? Fide est accipienda, ita scilicet vt credas tibi remitti peccatum, non aliter ac si Christus ipse sua voce de coelo tibi annunciaret et applicaret remissionem peccatorum.

Quomodo quaerenda est Absolutio? Debemus nos submittere coram Deo, vera poenitentia agnoscere peccatum, et confiteri nos reos esse, ac petere absolutionem.

E 3. Quomodo debes confiteri? Debes intueri Decalogum, et tanquam in speculo contemplari et considerare, quomodo cor tuum et tota vita congruat cum praeceptis Dei. Haec si vere cogitabis, tunc expauesces, in teipsum descendes, et videbis quantopere tibi opus sit consolatione, per confessionem, in absolutione quaerenda.

Dic formam confitendi. Venerande Domine, agnoscor et fateor coram Deo et coram vobis, quod sum reus, et horribiliter peccaui, cogitatione, affectibus, verbis atque factis, ac meritus sum iram Dei atque poenas aeternas. 1. Non enim vere timeo Deum, non confido Deo, non diligo Deum toto corde. 2. Non ardenter inuoco Deum, non gratias ago, et nomen Dei non vero honore et gratitudine celebro, saepe, proh dolor, nomen Dei vane vsurpo execrationibus et iurationibus. 3. Non reuerenter me comparo ad conciones, ad Sacramentum: non vero honore prosequor sanctum ministerium in Ecclesia. 4. Parentibus et superioribus meis non praesto debitam oboedientiam et fidelitatem, non fideliter seruio in mea vocatione, atque officio proprio. 5.—10. Cor meum contaminatum est et feruet malitiosis, venenatis, impuris, obscoenis, pleonecticis et fraudulosis cogitationibus et affectibus, et sunt in me inclinationes prauae ad omne malum. Vere autem doleo quod offendi Deum, et contaminatus sum tot peccatis: Et confugio ad Mediatorem filium Dei, qui in cruce victima factus est pro me, et statuo adiuuante Deo emendare vitam, et vitare delicta: et peto vt mihi annuncietis remissionem peccatorum, et impertiatis absolutionem, iuxta mandatum et institutionem Christi: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.

De Coena Domini,

ex prolixioribus enarrationibus.

D. Trocedorfij descripta studio. M. Martini Taburni.[1])

Vnde sumenda est doctrina de coena Domini? Sumenda est ex verbis Christi, quibus instituit hoc Sacramentum.

Vbi traduntur haec verba Christi? Quatuor sunt testes, ex quorum recitatione colligenda sunt verba Christi instituentis hoc Sacramentum, Matthaeus 26. Marcus 14. Lucas 22. et Paulus Apostolus 1. Corinth. 11.

---

[1]) An Stelle von dem hier folgenden Abschnitt bietet 1565 zuerst drei Seiten de coena domini, auf welchen die folgenden Fragen beantwortet werden: Quid sumitur in coena d. — Quomodo sumi debet haec coena — Ad quid et ad quem finem sumi debet — Qui digne sumunt et consequuntur salutem — Qui sumunt indigne? Ein weiterer Abschnitt von vier Seiten enthält abermals Quaestiones de coena domini, die den Vermerk tragen: repetitae ferijs Soteriorum Anno M. D. LVI. Dann setzt der zweite Hauptteil ein, der hier nicht Epitome catechismi, sondern Compendium catechismi secundae classis etc. betitelt ist.

Da verba institutionis. Dominus noster Jesus Christus, ea nocte qua traditus est etc.

Quot capita doctrinae tenenda sunt de coena Domini ex his verbis? Haec sex capita ordine tenenda sunt. I. Definitio, Quid sit Coena Domini. II. Quid in hac Coena exhibeatur et percipiatur. III. Quomodo sumi et seruari debeat haec Coena. IIII. Ad quem finem seu vsum instituta sit et sumi debeat haec Coena. V. Qui digne sumant, et salutem consequantur: Seu, quae sit idonea praeparatio ad hanc Coenam. VI. Qui indigne sumant ad iudicium et condemnationem. Et de abusa ac profanatione huius sacrosanctae Coenae. E 4.

De primo. Quid est Coena Domini? Coena Domini est sumptio veri corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, cum recitatis verbis solennibus, distribuuntur panis et vinum, instituta a Christo ad recordationem mortis suae.

De secundo. Quid exhibetur et sumitur in hac Coena? In administratione huius Coenae, cum sumuntur elementa visibilia, panis et vinum: simul vere et substantialiter adest Christus voluntaria praesentia, et suum corpus ac sanguinem exhibet sumenti. Ergo in hac Coena, cum pronunciatis verbis institutionis, distribuitur panis et vinum, simul etiam exhibetur et sumitur verum corpus et verus sanguis Domini nostri Jesu Christi.

Proba. Dominus noster Jesus Christus, vt diserte dicitur in verbis institutionis, de pane fracto ac dato discipulis, perspicue asseuerat: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Et calicem sumens discipulisque porrigens, ait: Hic est sanguis meus, qui est noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum, Matth. 26. Quibus verbis verum et substantiale corpus, pro nobis ad mortem traditum, verus item et substantialis sanguis pro nobis in passione profusus, describitur. Nec requirendae sunt hic probationes aliae rationi consentaneae: Sed fides nitatur simplicibus et simpliciter intellectis verbis veracis, omnipotentis et vbique praesentis Dei et Mariae filij, Domini nostri Jesu Christi.

Recita quaedam Patrum dicta huc spectantia. Irenaeus lib. 5. Quando mixtus calix et fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis et corporis Christi. Et aliquanto post repetit dictum Christi Lucae 18. Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. — Augustinus in concione ad Neophytos. Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: Hoc accipite in calice, quod effusum est de Christi latere. — Bernhardus in concione de Coena Domini. Quod videmus, species est panis et vini: Quod sub illa specie credimus, verum est corpus et verus sanguis Christi, quod pependit in cruce, et qui fluxit de latere.

De tertio. Quomodo sumi et seruari debet haec Coena? Primum. Sumi debet sicut a Christo ipso est instituta, Coena integra, corpus Domini in pane, et sanguis eius in vino. Nihil detrahendum est, sicut Papa detraxit calicem: neque quicquam addendum, sicut Papa addidit, transformans hoc Sacramentum in Sacrificium. Integra non mutilata haec Coena sumi debet. Est enim pro omnibus membris Ecclesiae instituta, vt de altera parte vniuersaliter dicitur: Bibite ex hoc omnes. E 5.

Quid faciunt qui Sacramentum hoc sumunt mutilatum, sub vna specie, vt loquuntur? Fiunt corruptores Testamenti ipsius filij Dei.

Obijciunt autem: Oboediendum est matri Ecclesiae, quae hoc ita ordinauit. Respondendum est ex Paulo Apostolo ad Galat. 3. Hominis Testamentum nefas est mutare. Christus hoc Sacramentum vocat suum Testamentum. Ergo nulli creaturae licet id mutare. Horrendum sacrilegium est, illa mutatio institutionis Christi.

Secundo. Haec Coena seruari seu celebrari debet in loco publico, et honesto congressu Ecclesiae non separatim in angulo, sicut faciunt in Missa priuata sacrificuli Pontificij. Non debet esse sacrum opertaneum et seclusum, sed in celebri conuentu seruari debet.

Proba hoc. Paulus ait: Conuenientibus vobis etc. vult ergo in coetu publico et honesto seruari hanc Coenam.

Tertio. Celebranda est haec Coena cum recordatione mortis Christi, hoc est, cum praeconio seu praedicatione Euangelij de Christo nostra caussa mortuo et resuscitato. Sicut in formula institutionis dicitur: Hoc facite in mei recordationem. Recordari enim phrasi Hebraica est annunciare, praedicare. Ita Paulus interpretatur 1. Corinth. 11. Quotiescunque panem hunc, qui est corpus Christi comederitis, et de hoc calice, qui est sanguis Christi, biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Id est, ad Coenam hanc accedat concio de morte et sacrificio Christi, ne

memoria beneficiorum ipsius inter homines extinguatur. Extremum membrum, donec veniat, monet de stabilitato Ecclesiae, et docet Ecclesiam piorum duraturam in mundo, vsque ad gloriosum aduentum Christi, iudicis viuorum et mortuorum.

Quatuor. Haec Coena ita seruetur, vt fiat distributio in plures: Et extra necessitatem, quam vel morbus, vel alius casus affert, absit τὸ μονοφαγεῖν. In Missa Pontificia institutum est, vt sacrificuli Idolatrici sint μονοφάγοι, id est, soli edant et bibant caeteris exclusis. Jubet autem Apostolus 1. Corinth. 11. vt alius alium expectet. Vult igitur esse communem Coenam: vult hoc Sacramentum distribui pluribus, et quidem ijs, qui sunt explorati.

Cum hoc modo celebratur Coena sacra, Christus in ea vere exhibet corpus et sanguinem suum, et in ijs, qui pie sumunt, vere est efficax, ita vt sibi eos adiungat tanquam membra, regat eos Spiritu suo, et confirmet illis spem salutis ac resurrectionis ad vitam et gloriam aeternam.

De quarto. Quis est finis et fructus huius Coenae? Finis principalis est, confirmatio fidei, qua singuli statuimus, Christum corpus suum ad mortem
E 6. tradidisse, et sanguinem suum fudisse, in remissionem peccatorum nostrorum.

Quomodo fides confirmatur vsu huius Sacramenti? In hoc Sacramento Christus promissionem Euangelij visibili testimonio obsignat, et applicat singulis meritum passionis suae, hoc est, testatur, fructum passionis suae, nempe remissionem peccatorum, gratiam, Spiritum sanctum, iustitiam et vitam aeternam, pertinere ad singulos credentes Euangelio, et singulis certo exhiberi. — Confirmatur ergo fides tua vsurpatione huius Coenae, cum statuis Christum hoc tanquam pignore et sigillo testificari, quod tibi applicet sua beneficia: quod pro te corpus suum seu vitam suam morti obiecerit: quod sanguinem suum pro salute tua profuderit: quod sanguine suo abluat peccata tua: quod te sibi inserat, et membrum suum efficiat: quod te Spiritu suo viuificet, sanctificet et mortuum etiam reuocaturus sit ad vitam immortalem. In vsu igitur huius Coenae cogites remissionem peccatorum tibi applicari per Christum ipsum, ita te alloquentem: En hoc pignore et quasi signo, promissioni de communione beneficiorum meorum addito, testor, remissionem peccatorum, propter mortem meam, dari, non in genere aliquibus: sed ego ipse eam Tibi applico, te testificor Tibi vere remissa esse peccata. — Illud quoque animo infixum teneto, sumptione corporis et sanguinis Christi in Coena sacra, confirmari fidem, qua certo credas, te remissionem peccatorum consecutum, et Christo insertum esse, ac haeredem fore vitae aeternae, non propter hanc sumptionem, sed propter Filium Dei, qui in cruce factus est victima pro nobis, et iam ad dexteram Dei regnans colligit et sanctificat Ecclesiam, et hoc summo pignore fidem tuam confirmat.

Vbi hic vsus ostenditur in verbis Coenae? Ostenditur vbi dicitur: Quod pro vobis traditur: Qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite in mei recordationem. Hic est praecipuus finis seu vsus: deinde accedunt alij fines inferiores.

Secundus finis est gratiarum actio pro beneficijs acceptis. Agnitio tantae misericordiae Dei, quae hic declaratur, et fides apprehendens beneficia Christi, excitet et inflammet animum tuum ad veram gratitudinem. Gratias agas aeterno Patri, quod immensa charitate et benignitate te miserum et damnatum complexus, Filium suum tibi misit opitulatorem. Gratias agas Filio Redemptori, quod tua caussa assumsit humanam naturam: quod pro te passus est: quod te a morte et condemnatione aeterna liberauit: quod tibi impetrauit, et in hoc Sacramento impertit remissionem peccatorum: quod e sinu aeterni Patris protulit et nobis exposuit Euangelium de gratuita misericordia Dei: quod per Euangelium et Sacramenta colligit, ac diuina potentia seruat Ecclesiam: quod te regenerat et sanctificat Spiritu sancto: quod te sibi domicilium constituit, ac tibi restituit vitam atque beatitudinem aeternam. Petas
E 7. item, vt te a Diabolo impulsus, et prauis et cupiditatibus obsecutus, inde deflectas. — Est ergo et propter hunc finem instituta haec Coena, vt in memoriam reuocentur, et publice commemorentur beneficia Christi: et publica voce, ac priuatim a singulis: expressa gratiarum actio dicatur Filio Dei quod corpus suum pro nobis in mortem tradiderit, et sanguinem suum pro nobis in remissionem peccatorum nostrorum effuderit. — Haec cum Ecclesia palam confitetur, alij quoque inuitantur, vt agnoscant, amplectantur et celebrent beneficia Christi Redemptoris. Atque hanc ob causam veteres hunc ritum appellarunt εὐχαριστίαν, id est, gratiarum actionem.

Tertius finis est confessio verae doctrinae. Nam cum accedis ad hanc Coenam, eamque secundum Christi institutionem percipis integram: ostendis confessionem, id

est, declaras te abhorrere a sectis, et hostibus Euangelij: et profiteris te iudicare doctrinam eius Ecclesiae, in qua vteris Sacramento hoc, veram et diuinam esse: et te damnatis alijs sectis, velle membrum esse eius coetus, cum quo hac sacra communione te coniungis.

Quartus finis, Instituta est haec Coena, vt sit neruus et vinculum publicae congregationis, quae fit docendi causa. Cogites Deum velle hanc sumptionem in publico congressu fieri, vt sit neruus honestae congregationis. Quia Deus semper voluit Ecclesiam esse visibilem coetum, et habere congressus publicos, in quibus sonet vox Euangelij de Filio Dei. Cogites item Deum velle, vt omnes sese adiungant administerium, et suo exemplo seruiant ad congregationem communem retinendam: Et quod tantum hi sint haeredes vitae aeternae, qui sunt adiuncti ministerio: quodque extra hunc coetum nulla sit spes salutis. De hoc fine inquit Apostolus. 1. Corinth. 11. Conuenientibus vobis etc. Ac statim addit amplissimam promissionem, quae vt et supra dictum est, docet, Deum semper in mundo conseruaturum esse aliquos coetus publicos, et publicum ministerium Euangelij, vsque ad visibilem reditum Christi in nouissimo die: Quotiescunque, inquit, comederitis panem hunc, et de hoc calice biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.

Quintus. Est neruus memoriae, et propagationis verae doctrinae ac beneficiorum Christi. Quemadmodum enim ritus agni paschalis institutus erat, vt memoria admirandae liberationis ex Aegypto conseruaretur: Sic Coena Domini etiam ad hunc finem referenda est, vt promissio de remissione peccatorum propter Christi sanguinem pro nobis effusum commemoretur, et certius ad posteritatem propagetur. Sicut in verbis Coenae dicitur: Hoc facite in mei recordationem, id est, vt mei et meorum beneficiorum memoriam conseruetis.

Sextus. Est Symbolum seu nota professionis, discernens Ecclesiam Dei a Judaeis, Turcis et alijs gentibus. Vult enim Deus Ecclesiam conspici in mundo, et publicum testimonium dicere de doctrina Euangelij, vt multi ad eam cognoscendam, et verae Ecclesiae congregationem celebrandam et fouendam inuitentur.

Septimus. Est commonitio de arctissima societate omnium membrorum Ecclesiae E 8. in vno Christi corpore, et de concordia atque dilectione mutua Christianorum inter ipsos. De vno pane omnes edimus, et ex eodem poculo omnes bibimus. Sit ergo inter nos consociatio et summa beneuolentiae coniunctio. Sic et Paulus Apostolus docet, hanc communionem esse vinculum mutuae dilectionis, cum ait: Vnus panis, vnum corpus multi sumus. Nam omnes ex eodem pane participiamus.

Octauus. Est commonefactio de diligentia tuendi bonam conscientiam, et vitandi lapsus. Christus vsu huius Sacramenti te sibi coniungit, et corpus tuum efficitur membrum Christi. Maiore igitur studio vites delicta, et caueas, ne flagitio polluas membrum Christi, ac templum Dei turpitudine aliqua foedes.

De quinto. Qui digne accedunt, et recte se praeparant ad hanc Coenam? Qui sunt discipuli Christi, qui se ipsos probant, et qui dijudicant corpus Domini, hi digne sumunt hanc Coenam et consequuntur salutem.

Qui sunt discipuli Christi? Qui audiunt et discunt doctrinam a Filio Dei traditam Ecclesiae: siue, qui Euangelium amplectuntur fide, et custodiunt id bona conscientia.

Quid est seipsum probare? Teipsum probas, cum in te inquiris, an agnoscas peccatum, et vere doleas, quod offenderis Deum: an te erigas fide intuente promissionem gratuitae reconciliationis, et credas tibi in hac Coena offerri et applicari meritum passionis Christi, videlicet, remissionem peccatorum: et an tibi certum sit emendare vitam.

Quid est dijudicare corpus Domini? Est discernere Coenam Domini, et Coenam profanam. Est accedere ad hanc Coenam, vt hoc pignore confirmetur fides petens et accipiens remissionem peccatorum, propter victimam Christi.

De sexto. Qui sumunt indigne, ac propterea iudicio diuino condemnantur? Qui non sunt discipuli Christi, qui se non probant, nec dijudicant corpus Domini.

Qui non sunt discipuli Christi? 1. Qui non tenent doctrinam Christi, nec eam discere cupiunt: qui negligunt Euangelium et contemnunt Ministerium.

Qui se non probant. 2. Qui accedunt sine poenitentia, hoc est, qui non expauescunt cogitatione irae et iudicij Dei aduersus peccatum: qui non credunt Euangelio, nec habent *προαίρεσιν* ac studium emendandi mores. — Ex hoc praecepto Apostolico, quod requirit probationem, dijudicare potest quaestio: an infantes etiam

admittendi sint ad Coenam Dominicam. Respondendum est autem, non esse admittendos, quod sic demonstrari potest: Paulus Apostolus requirit probationem in ijs,
F 1. qui accedunt ad Coenam sacram. Infantes nondum se probare possunt, cum nec se ipsos, nec doctrinam Ecclesiae norint. Ergo ad sacrae Coenae communionem non sunt admittendi.

Qui non dijudicant corpus Domini? 3. Qui de Coena Domini vt de profano conuiuio sentiunt: quales sunt Sacramentarij, qui affirmant tantum panem et vinum distribui in Coena sacra, et negant praesentiam corporis et sanguinis Christi in Coena: negant item hac sumtione confirmari fidem. — 4. Indigne sumunt hanc Coenam, qui per hypocrisin, aut ex consuetudine accedunt. Multi etiam vsu Coenae Domini quaerunt praetextum sceleri: quod horrendum peccatum est. — 5. Qui hanc Coenam non secundum institutionem Christi integram, sed mutilam sumunt, vt apud Papistas, qui detrahunt calicem Laicis, cum tamen dicat Filius Dei: Bibite ex hoc Omnes. — 6. Indigne accedunt qui addunt figmentum de opere operato, id est, sentiunt Coenam Domini prodesse, et afferre remissionem peccatorum, propter ipsum opus, eo ritu qui praescriptus est, peractum, quod scilicet accedunt, et cum pane ac vino sumunt oblatum corpus et sanguinem Christi, etiam si id sine fide fiat. Estque notanda regula: Sacramenta requirunt fidem, qua vnusquisque sibi applicat remissionem peccatorum propositam in promissione, et ostensam in Sacramentis.

Quibus modis profanata est Coena sacra? Coena sacra horribiliter profanata est a sacrificulis Pontificijs. 1. Affirmant enim se in Missis offerre Filium Dei, pro viuis et mortuis, et hoc opere mereri eis remissionem peccatorum. Sic Ceremoniam hanc transferunt in opus genere diuersum, et Sacramentum vertunt in Sacrificium. At coena sacra instituta est, vt in ea cum pane accipiatur et edatur corpus Christi: cum vino bibatur sanguis Christi: non vt corpus et sanguis Christi denuo offeratur Deo. Ipse enim summus Sacerdos noster, vnica sui oblatione, perfectos effecit in perpetuum, eos qui sanctificantur. Itaque plenam consecrationem habent sancti omnes in vnica Christi oblatione: nec opus est repetitione huius oblationis. — Secundo. Partem Sacramenti, videlicet panem consecratum, auferunt et circumgestant, ac populo monstrant adorandum, alligantque ibi Christum, prorsus sine vllo verbo Dei. At manducatio praecipitur, non asseruatio, non circumgestatio, non adoratio. — Tertio. Longius discedunt ab institutione Christi, qui in Missis conferunt Coenam hanc ad bona corporis impetranda, ad victoriam, ad felicitatem in mercatu, ad depellendum morbum etc. — Quarto, alienissima a Christi institutione res est, cum sacrificuli ignari quid agant, tantum sui ventris causa, hanc oblationem, vt vocant, peragunt.

Quid his profanationibus et abusibus Coenae sacrae est opponendum? Haec regula. Ceremonia extra vsum, ad quem diuinitus instituta est, non habet rationem Sacramenti, id est, non est signum gratiae Deo placens: Sic
F 2. perit Sacramenti vis, cum Ceremonia transformatur in opus genere diuersum, id est, cum alius finis constituitur, quam qui a Deo propositus est.

Propter has profanationes grassantur in Ecclesia poenae publicae et priuatae, sicut Paulus ait, pestilentiam esse poenam profanationis Coenae dominicae, 1. Corinth. 11. Ideo multi inter vos dormiunt. Ita iudicandum est de alijs calamitatibus, de caritate annonae, de bellis, de vastationibus: vt Turcica immanitas, quae iam aliquot secula grassatur contra Ecclesiam, sine dubio est poena, qua Deus punit profanationem Coenae Dominicae, quae fit in Missis Idololatricis.

FINIS.

F 2b Epitome Catechismi, secundae classi, qui Terentianorum seu Grammaticulorum erat ordo, in schola Goldbergensi proposita a Valentino Trocedorfio. Anno M. D. L.

F 3. Praefatio Valentini Trocedorfii, recitata in repetitione doctrinae Catecheticae, Anno 1552. 18. Martij.

IN Epitaphio Epicharmi Poetae scriptum est: *Τοῖς παισὶ χρήσιμα εἶπε,* Pueris vtilia dixit. Haec est magna laus docentis in schola. Non ambitiosa proponenda

sunt in Scola, quae ostendunt eruditionem: sed docendi ratio est accommodanda ad ingenia et captum auditorum. Grauissime dictum est a Quintiliano: Difficilius est iudicare quid doceas, quam cum iudicaueris, docere. Ideo in repetenda Catechesi, quantum facere potero, me demittam, et accommodabo ad ingenia et captum puerorum. Anni iam sunt quadraginta tres, cum mea mater postremo me a se dimitteret. Nam pestis tum grassabatur in his regionibus, ea quoque eadem ablata est. Haec erat nouissima vox, dicebat: Lieber Son, bleib ja bey der Schulen. Hanc vocem ego de Ecclesia interpretor, fuit tum os Ecclesiae, magnae matris. Non dixit tantum Dorothea Irenaea, sed gerebat tum personam Ecclesiae. Haec vos voce hac compellat vniuersos, poscit Ecclesia mater a singulis, vt doctrinam discamus et ipsi, et conseruationem eius, et propagationem iuuemus. Nomen etiam meae matris conuenit huic rei, Dorothea, donum Dei. Ecclesia enim est coetus excerptus ex toto humano genere, et consecratus Deo. Cognomen etiam conuenit Irenaea, Friedlandin, *εἰρήνη* erga Deum est in Ecclesia: et in terra pax etc. Poëta inquit: *Πάντα μέσοισιν ἄριστα, μέσος θέλω ἐν πόλει εἶναι.* Optima sunt mediocria, sim mediocris in vrbe, Id est, debemus in communi gradu seruire officijs communibus Reipub. et Ecclesiae, Alij per ambitionem appetunt functiones splendidas, alij sunt terrae inutilia pondere. Nos consideremus mandatum Dei, et discamus doctrinam Catecheticam.

Dic sententiam ex Rosario, quae commendat studium Catechismi? In Corollario Rosa tertia: Beatus vir, cuius voluntas in lege Domini etc. Psal. 1. Et sexta: Scrutamini scripturas etc. Johan. 5. Item in Redimic. Eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi etc. Item, in Rosario Rosa trigesima: Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud, Luc. 11.

Haec sententia de qua re loquitur? De efficacia verbi. Tria hic sunt consideranda. Primum, quid sit verbum Dei. Secundo, quid sit audire verbum Dei. Tertio, quid sit custodire verbum Dei.

Quod est verbum Dei? Quo Deus nobiscum loquitur, et voluntatem suam patefacit nobis. Dadurch Gott mit vns redet vnd seinen willen vns offenbaret.

Quale est hoc verbum? Lex et Euangelium. Vtroque verbo voluntatem suam patefacit. Per legem patefacit, quales nos esse velit: quae faciamus, quae vitemus. F 4. Per Euangelium patefacit nobis voluntatem suam de reconciliatione gratuita propter Filium. Per Legem patefacit praecepta viuendi. Per Euangelium patefacit promissionem de gratuita reconciliatione, et saluatione propter Filium.

Quomodo Deus nos per verbum suum alloquitur? Non immediate, sed mediate. Loquitur in ministerio per vocem ministri, in concione, in absolutione: in familiari colloquio per parentes, per doctores, per familiares. Cum in ministerio audis concionem ex verbo Dei, hic Deus te alloquitur per vocem hominis. Hoc verbum debemus sic complecti, quasi Deus nos immediate voce de coelo sonante alloqueretur. Nam hunc ordinem instituit, vt per vocem hominis nobiscum ageret. Gott hats also geordnet, hat die Zunge geschaffen, vt sit organum, per quod ipse nobiscum loquitur, erigit, castigat, consolatur. Ergo grauissime peccant, qui negligunt conciones. Non me doctorem, sed te contemseris ipsum. Qui vos audit, me audit, Qui vos contemnit, me contemnit. Deus ad Samuelem inquit: Non te reiecerunt, sed me. Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. In Schola cum ego tibi propono verbum Dei, aut tuus Paedagogus te monet aut castigat, aut hortatur, aut consolatur ex verbo Dei: hic etsi audis vocem hominis: tamen certe scias Deum te alloqui. Nam nos verbum loquimur, non natum ex corde nostro, sed a Deo traditum, vt propagetur. Ergo beati sunt, qui hoc verbum ita amplectuntur, quasi verbum Dei: qui sic

audiunt, quasi Deum ipsum audiant. Contra Diaboli sunt, qui contemnunt verbum, quod audiunt per concionatorem in templo, a magistratu in curia, et parentibus in oeconomia, et Deus illos iudicabit, et vindicabit, tanquam contemtores Dei. Qui vos contemnit, me contemnit. Ergo conueniendum est diligenter ad conciones, quia illis Deus nos alloquitur: et reuerenter audiendum est, quia Deus nobiscum loquitur. Bonitas Dei inenarrabilis est, quae hunc modum instituit, et nobiscum loquitur in hac vita. Odio digni sunt et execrandi Enthusiastae, qui ministerium reijciunt, et expectant vocem de coelo sonantem. Et videmus hunc ordinem seruari in tota scriptura, inde ab initio vsque Adam de coniugio dicit: Erunt duo in carne vna etc. Hoc Deum dixisse per vocem Adae Christus Matth. 19. affirmat. Deinde Genesis 4. Dixit Dominus ad Cain: Quare tristis est facies tua etc. Hoc dicebat Adam ad Cain: Et scriptura ait, dixit Dominus, scilicet, mediate per vocem Adae. Hanc persuasionem concipite animis, atque imprimite. Nam haec alit veram reuerentiam erga ministerium in Ecclesia, erga parentes in Oeconomia, erga magistratus in curia, erga familiares in conuictu familiari. Deus posuit verbum suum in os proximi tui, audis verbum Dei per fratrem.

Quando Deus nobiscum loquitur per vocem hominis? Est discernendum inter
F 5. verbum Dei et vocem Diaboli. Quando audis a concionatore verbum Legis, aut Euangelium a Deo traditum, tum Deus te alloquitur. Quando concionator papisticus proponit verbum non a Deo traditum, sed ab homine excogitatum, Deus non loquitur, sed aut homo, aut Diabolus per hominem: sicut per serpentem Diabolus Euam alloquebatur. Nam Diabolus est Simius Dei, Wo Gott eine Kirche hin bawet, da bawet der Teuffel bald seine Capellen dran. Cum Deus proponit verbum in ministerio, vt audias eum ad nos loquentem per homines, ist der Teuffel bald da vnnd schmeist seinen Dreck auch hin.

Quid est audire verbum Dei? Est reuerenter et serio, vera attentione atque assensione complecti verbum: non tantum spiritum haurire auribus, sicut canis, Pharisaei etiam percipiebant sonum a Christo, et Apostolis, sed illi non dicuntur audiuisse. Papistae etiam sonum percipiunt, legunt: sed non audiunt: quia non attendunt et assentiuntur.

Et custodiunt illud. Quid est custodire verbum Dei? Est fide et bona conscientia retinere. Fide, mit glauben. Bona conscientia, das man das Gewissen darnach richtet vnd nicht vorsetzlich dawider thut.

Quid autem ad hoc requiritur? Meditatio, collocutio, communicatio, recordatio, lectio. Deinde etiam confessio. Das mans maul auffthue vnd bekenne, wo es die sachen fordert.

Quis est effectus auditi atque custoditi verbi Dei? Beatitudo. Beati qui audiunt etc. Magnum praemium propositum huic studio.

Quid est beatitudo, vel esse beatum? Beatum esse, est liberari ab omnibus malis, et potiri omnibus bonis. Dem da wol ist, der vberhaben ist alles vnglücks vnd alles, was jm lieb ist.

Haec beatitudo quomodo contingit? Philosophi quaesiuerunt alij aliter. Christus proposuit hanc viam: audire verbum et custodire. Id qui facit, liberatur ab omni malo, praesenti et aeterno, vt, a peccato, ab ira Dei, a morte, a Diabolo, a damnatione et exitio aeterno: liberatur a peccato, et a poenis peccati. Nam peccatum non imputatur credenti Euangelio. Manent poenae ad tempus: interea tamen consolatio suppetit: Postea etiam contingit liberatio aeterna. Omnes aerumnae in hac vita et futura sunt poenae peccati.

Enumera bona? Remissio peccati, gratia Dei, quod Deus propitius est, et nos recipit: item imputatio iusticiae, donatio Spiritus sancti, auxilium in aerumnis vitae praesentis, et vitae aeternae haereditas. Sic contingit liberatio ab omnibus malis, et consecutio omnium bonorum, cum auditur, et custoditur verbum Dei.

Dic commentarium huius dicti? Totus Psalmus 119. Beati immaculati, est commentarius huius dicti: Beati qui audiunt etc. interpretatur et declarat hoc dictum.

Qui sunt immaculati in via? Qui habent fidem sine corruptelis: qui non sunt F 6. contaminati culto idolorum et falsis opinionibus: qui fidem retinent bona conscientia iuxta Euangelium. Ambulare in Lege Domini, est oboedire verbo. Hi sunt beati.

Beati custodientes) De perseuerantia. Beati, qui non audiunt tantum, sed etiam perseuerant in confessione, et vero studio verbum meditantur.

Non enim operantur iniquitatem, qui in vijs eius ambulant. De effectu. Verbum Dei custodit nos, ne peccemus, et imbecillitas non imputatur his, qui verbum Dei audiunt et custodiunt illud. Das da geschicht auß gebrechen, est peccatum tectum, zugedeckt.

Haec praefationis loco dicta sint, ad inuitandum et excitandum vos, vt diligenter discatis Catechesin, quae est breuiarium sermonum Christi, propterea dictum hoc prolixius enarraui. Scribete illud in vestibulum Catechismi vestri.

Methodus Doctrinae Catecheticae.

Quid est Catechesis? EST summa doctrinae Christianae, contracta in pauca capita.

Quot capita doctrinae Christianae recitantur in Catechesi? Quinque. I. De Lege Dei. II. De Euangelio, seu de articulis fidei, ac de iustificatione. III. De inuocatione. IIII. De Sacramentis. V. De bonis operibus, siue de officijs vocationis eiusque, seu de noua oboedientia.

De Lege Dei.

Quid est Lex Dei? Lex Dei est doctrina a Deo tradita, praecipiens quales nos esse, quae facere, et quae omittere oporteat: requirens perfectam oboedientiam erga Deum: promittens bona, sed cum conditione perfectae oboedientiae: et denuncians iram Dei et poenas aeternas omnibus non praestantibus perfectam oboedientiam: nisi fiat remissio et reconciliatio propter filium Mediatorem.[1])

Nota. Haec definitio intelligatur de lege morali, cuius summa in Decalogo inclusa et comprehensa est.

Quot sunt capita legis diuinae: Seu, quot sunt praecepta Decalogi? Decem. I. Ego sum Dominus — — nec quicquid F 7. illius est.

Diuisio Decalogi. Quomodo diuiditur Decalogus? Decalogus diuiditur in duas tabulas. Prima continet tria praecepta, et praecipit de operibus interioribus, et exterioribus, quibus immediate cum Deo agimus: Secunda septem praecepta continet, et praecipit de officijs erga homines.

[1]) Die Ausgabe von 1565 differiert hier.

De prima tabula. Dic primum Praeceptum. Ego sum — — coram me.

Quae est sententia? Vnum hunc verum Deum Jehoua, qui se edito verbo patefecit, agnoscas, colas, timeas, huic confidas et oboedias: hunc vere inuoces: ab hoc solo consilium et auxilium in omni periculo et anxietate expectes.

Quid praecipit? Praecipit de interiore cultu mentis, voluntatis et cordis, videlicet, de vera agnitione Dei, de timore et dilectione Dei, de fide seu fiducia in Deum, de humilitate, de patientia et oboedientia in afflictionibus. Haec sunt opera primi praecepti.

Sunt autem Legi additae comminationes et promissiones.

Dic comminationem generalem ad omnia praecepta Decalogi pertinentem? Ea est addita primo praecepto: Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem, eorum qui oderunt me.

Dic promissionem generalem. Et faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, et mandata mea custodiunt.

Dic secundum Praeceptum. Non vane vsurpabis nomen Domini Dei tui.

Quid praecipit? Secundum praeceptum concionatur de externa professione, scilicet, de recto vsu nominis Dei: ac iubet vt Deum recte cognitum expressa voce inuocemus et celebremus: et veram de Deo doctrinam pure et incorrupte profiteamur: nec abutamur nomine vel verbo Dei ad periuria, execrationes, incantationes.

F 8. Quid significet nomen Dei?[1]) Significat verbum, quo se et voluntatem suam patefecit Deus: et agnitionem, inuocationem et celebrationem Dei, secundum illud verbum.

Quid est vane vsurpare nomen Dei? Est abuti nomine Dei, seu profanare nomen Dei execrando, temere iurando, incantando, falsa docendo.

In quibus rebus consistit verus vsus nominis Dei? Vel, quae sunt opera seu virtutes secundi praecepti? Quinque. 1. Inuocatio Dei. 2. Gratiarum actio. 3. Praedicatio verbi Dei. 4. Confessio verae doctrinae, et 5. Jusiurandum, quod ad inuocationem pertinet.

Dic promissionem. Psalmo 50. Inuoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me. Et, 1. Reg. 2. Glorificantes me glorificabo.

Dic comminationem. Secundo praecepto addita est peculiaris comminatio, videlicet: Non dimittet Deus impunitum eum, qui vane vsurpauerit nomen Dei.

Dic tertium Praeceptum. Sabbatum sanctifices.

Quid praecipit? Praecipit, vt omnes omnium temporum homines, diem, qui publicae tractationi doctrinae, et exercendis ceremonijs diuinitus institutis, destinatus est, non ignauo et inerti ocio, sed verbo Dei audiendo et meditando tribuant: et omissis alijs laboribus, corporis, qui ministerium

[1]) Anders in 1565.

impediunt, tantum sancta opera factant, seu proprie dicata Deo: quae scilicet ad veram agnitionem et inuocationem Dei, et ad animarum nostrarum salutem immediate pertinent: et quibus Deus immediate colitur, et honore afficitur.

Quid significat Sabbatum? Quietem et ocium, seu diem ociosum.

Quid significat sanctificare? Ab vsu profano separare, et Deo dicare.

Quid est sanctificare Sabbatum? Est diem illum ab vsu profano separatum, conferre ad opera sancta et Deo dicata, seu ad cultum Dei directa.

Quae sunt opera tertij praecepti? Sex. 1. Conuenire ad ministerium Ecclesiae, hoc est, frequenter interesse publicis ceremonijs, concionibus, psalmodijs: et nostro exemplo ac frequentia inuitare alios, vt etiam praestent hunc cultum. 2. Studiose diligenterque audire, discere et meditari doctrinam a Deo traditam. 3. Pie vti Sacramentis. 4. Alere, honore afficere, et defendere ministros recte docentes, ijsque oboedire in his, quae ad ministerium pertinent.[1]) 5. Aequitate tegere, et condonare pijs ministris quasdam morum infirmitates. 6. Adiuuare studia Ecclesiae necessaria.

Dic promissionem. Jerem. 17. Si sanctificabitis Sabbatum, G 1. ingredientur per portas ciuitatis huius Reges et Principes, et habitabitur ciuitas haec in sempiternum, hoc est, habebitis regnum florens. Deus dabit et conseruabit patrem et felicitatem publicam et priuatam, si ministerium ornabitis, et debita ei officia praestabitis.

Dic comminationem. Si non sanctificabitis Sabbatum, succendam ignem in portu ciuitatis huius, et deuorabit domos Hierusalem, et non extinguetur, hoc est, Deus punit profanationem Sabbati, neglectum et contemtum ministerij, bellis alijsque calamitatibus, publicis et priuatis.

De secunda tabula. Quomodo opera secundae tabulae fiunt cultus Dei? Cum fiunt in agnitione et fide Christi Mediatoris, cum timore Dei, et referuntur ad primum praeceptum, hoc est, ad hunc finem principalem, vt fiant haec opera propter Deum praecipientem, et vt DEO praestetur oboedientia debita, atque is hoc modo a nobis honore afficiatur.

Exemplum. Vt cum pius puer credens Euangelio, et fide petens atque expectans auxilium a Deo, oboedit parentibus et praeceptoribus, ac discit literas propter Deum. Tale studium quod ex fide oritur et refertur ad Deum, fit cultus et opus bonum, quod placet Deo, et quod Deus remunerat ingentibus praemijs praesentibus et aeternis.

Dic quartum Praeceptum. Honora patrem tuum, et matrem tuam, vt bene sit tibi, et diu viuas in terra.

Quid sancit hoc praeceptum? Sancit imperium et regimen, vt aliqui praesint, caeteri obtemperent: et praecipit oboedientiam erga parentes et gubernatores: Et nominat suum gradum oboedientiae, videlicet, honorem.

[1]) 1565 differiert unbedeutend.

Qui patris et matris appellatione intelliguntur? Ipsi parentes, et omnes quibus Deus officia parentum commendauit, videlicet, magistratus, tutores et praeceptores.

Honor quid complectitur? Haec tria. 1. Vt agnoscamus Deum esse autorem consotiationis et gubernationis oeconomicae et politicae: et personas parentum ac magistratuum ab ipso Deo, et Dei loco nobis praepositas esse. 2. Oboedientiam externam, vt propter Deum autorem, nos reuerenter subijciamus parentibus et gubernatoribus, eisque inseruiamus, et grati simus erga illos. 3. Aequitatem, vt dissimulemus, tegamus et toleremus quaedam errata, quosdam naeuos, et infirmitates parentum et superiorum.

Quae sunt virtutes, seu bona, opera, quarti praecepti? Septem. 1. Justicia vniversalis, omnibus honestis legibus, et legitimis magistratibus oboediens. 2. Pietas seu *φιλοστοργία* erga parentes, liberos G 2. et caeteros sanguine cunctos. 3. Justicia distributiua discernens gradus personarum et officiorum in vita, et singulis conuenientem locum et honorem, et conueniens munus attribuens. 4. Reuerentia. 5. Gratitudo. 6. Sedulitas. 7. Modestia.

Dic promissionem. Promissio pecculiaris addita est quarto praecepto, quam magnifice praedicat Paulus Apostolus Ephes. 6. Vt bene sit tibi, et diu viuas in terra, hoc est, vt totius vitae cursus tibi felix et faustus sit, ac vt longa vitae spacia et florentem senectam tibi Deus tribuat.

Dic comminationem. Exod. 21. Qui percusserit patrem suum, aut matrem suam, morte moriatur. Qui maledixerit patri suo aut matri suae, morte moriatur. Prouerb. 20. Qui maledixerit patri suo, aut matri suae, extinguetur lumen eius in medijs tenebris. Prouerb. 30. Oculum qui subsannat patrem — — pulli aquilae deuorabunt, Id est, tragicum habebunt exitum, qui parentes contumelia afficiunt.

Dic quintum Praeceptum. Non occides.

Quid prohibet, et quid requirit hoc praeceptum? Prohibet non solum externas corporum et famae iniurias, vt verberationem, caedem, conuicia: sed etiam in animis prohibet maleuolentiam, odia, inuidentiam, et priuatae vindictae cupiditatem. Et contra postulat erga omnes homines beneuolentiam, misericordiam, zelum, candorem, mansuetudinem, patientiam et aequitatem, quae remittit et condonat quaedam errata et offensiones, propter concordiam et tranquillitatem communem.

Dic promissionem. Remittite, et remittetur vobis, Lucae 6. Et: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, Matth. 5.

Dic comminationem. Si non remiseritis, nec pater meus coelestis remittet vobis, Matth. 18. Et: Qui gladium acceperit, gladio peribit, Matth. 26.

Dic sextum Praeceptum. Non moechaberis.

Quid praecipit? Sancit et approbat coniugium, et prohibet non solum adulteria et stupra, sed et impudicas et spurcas cogitationes, obscoenos sermones, lasciuos gestus, denique omnes flammas illiciti amoris, intemperantiam. Et praecipit pudicitiam, castitatem, verecundiam, sobrie-

tatem, temperantiam. Nam sine temperantia, pudicitiam nemo retinere ac tueri potest.

Dic promissionem.[1]) Beati mundo corde, quoniam ipsi videbunt Deum, Matth. 5.

Dic comminationem. Sectemini sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, Hebr. 12. Sanctimoniam scriptura vocat castitatem. Item, Scortatores et adulteros iudicabit Deus, Hebr. 13.

Dic septimum Praeceptum. Non furtum facies. G 3.

Quid praecipit? Sancit rerum dominia et proprietatem: ac prohibet furta, rapinas, fraudem et imposturas in contractibus, auaritiam, ignauiam et prodigalitatem: et requirit iustitiam atque aequalitatem in contractibus, liberalitatem, sedulitatem et parsimoniam. Nam omnes ignaui ac prodigi sunt fures. Nisi enim ex alieno rapiant, non possunt ocium suum et sumtus tolerare.

Dic promissionem. Date et dabitur vobis, Lucae 6.

Dic comminationem.[2]) Vae qui spolias, quia vicissim spoliaberis, Esaiae 33. Et experientia comprobauit regulam: Male parta, male dilabuntur. Et Christus ait: Qua mensura mensi fueritis, eadem reddetur vobis, Lucae 6.

Dic octauum Praeceptum. Non loqueris falsum testimonium contra proximum tuum.

Quid praecipit? Praecipit vt fugiamus omnia mendacia, falsas opiniones in artibus, calumnias in accusationibus, defensionibus, testimonijs et sententijs forensibus, perfidiam in foederibus, et amicitijs, vanitatem, maledicentiam, obtrectationem, simulationes in omni vita. Et iubet, vt in dictis et factis constanter amemus et colamus veritatem propter Deum: et nominatim in iudicijs, contractibus et pactis requirit veritatem. Munit igitur hoc praeceptum iudicia, contractus et pacta aduersus sycophanticam et sophisticam.

Dic promissionem. Domine, quis habitat in tabernaculo tuo? Qui loquitur veritatem in corde suo, et non obtrectat lingua sua, Psal. 15. Item, Nolite iudicare, et non iudicabimini, Lucae 6.

Dic comminationem. Perdes omnes qui loquuntur mendacium, Psal. 5. Abominatio Deo sunt Labia mendacia, Prouerb. 12.

Dic nonum Praeceptum. Non concupisces domum proximi tui.

Dic decimum Praeceptum. Non desiderabis — — nec quidquid illius est.

Quid praecipitur? Nonum et decimum praeceptum sunt declaratio praecedentium. Docent enim lege Dei non tantum de externis operibus praecipi, sed et requiri omnium virium hominis, hoc est, mentis, voluntatis et cordis rectitudinem, ad normam diuinae voluntatis congruentem: nec solummodo externa delicta prohiberi, verum etiam accusari et damnari interiora vitia: prauas inclinationes, inordinatas appetitiones, et flammas viciosorum affectuum, siue concupiscentiam. Nam dicit: Non

[1]) Ed. 1565 stellt comminatio und promissio um.

[2]) 1565 stellt comminatio und promissio um.

concupisces. Clare ergo hic refutatur error Pharisaicus, quod lex Dei tantum requirat et damnet externa facta.

G 4. Quid est concupiscentia? Est praua inclinatio, et contumacia omnium virium, repugnans legi Dei. Haec deprauatio in natura humana secuta est lapsum Adae, non est condita a Deo.

Cur homines tam leuiter violant mandata Dei?[1]) Quia dubitant de comminatione, non statuunt Deum seuere punire contumaces.

Dic epitomen Decalogi. Christus Matthaei 22. vtriusque tabulae praecepta in duo capita redigit, inquiens: Diliges — — sicut teipsum.

Dic promissionem pertinentem ad omnia praecepta Decalogi. Leuitici 8. Qui fecerit haec, viuet in eis, hoc est, fruetur praemijs et commodis promissis in lege.

Dic comminationem generalem. Maledictus qui non permanet in omnibus quae scripta sunt in lege, vt faciat ea, Gal. 3. Ex Deut. 7. cap.

Quid est, esse maledictum? Est a Deo esse reiectum et condemnatum ad poenas aeternas.

Quid significat, Permanere in Lege? Habere integram oboedientiam et conformitatem cum voluntate Dei in lege expressa.

In singulis autem praeceptis Decalogi, considerandae sunt duae regulae: prima, de fine legis, Secunda, quomodo fiat lex.

Prima regula. Quis est finis Legis? In singulis praeceptis diligenter addendus est finis, vt fiant propter Deum, id est, vt fiant cum timore Dei et referantur ad Deum. Exempli gratia: Oboedias parentibus et magistratibus: quia timeas Deum, et velis Deo parere. Non tollas alienum, nec defraudes in contractu proximum: quia timeas Deum, et velis Deo praestare oboedientiam.

Epiphonema. Sic in singulis praeceptis necesse est Deum apprehendi et repeti primum praeceptum, vt omnia opera fiant cultus Dei, et in omnibus operibus Deum intueamur, et illi seruiamus.

Secunda regula. Quomodo fit Lex? Cum praelucet timor Dei, fides et agnitio Christi, quae a Spiritu sancto, per Euangelium pio studio auditum, accenduntur.

Quod est officium, et quis vsus Legis? Triplex est officium et usus Legis. Primum officium Legis est, conseruare disciplinam externam. Secundum et quidem proprium ac praecipium legis officium est, ostendere peccatum, accusare naturam deprauatam, et perterrefacere conscientiam. De hoc officio Legis Paulus proprie concionatur, Roman. 3.
G 5. Per legem cognitio peccati. Et Roman. 4. Lex iram operatur. Tertium officium legis est in renatis, qui sunt sanctificati per fidem in Christum: hos admonet de veris operibus, et de veris cultibus. Est enim regula actionum Deo probatarum, et coercet errantes impetus.

Propter quas causas necesse est praestare externam disciplinam? Propter quinque causas. 1. Propter mandatum Dei, cui necesse est oboedire. 2. Vt vitentur poenae praesentes et futurae. 3. Vt societas conseruetur, et tranquilla sit. 4. Vt nostro exemplo alios

[1]) 1565 ist hier kürzer.

ad virtutem inuitemus. 5. Quia est pedagogia in Christum, hoc est, Homines non possunt doceri de DEO, nec Christus per verbum et Spiritum sanctum est efficax in ijs, qui violant disciplinam, seu qui perseuerant in delictis contra conscientiam.

Secundum caput de Euangelio,
seu de Articulis fidei, ac de iustificatione.

Quid significat Euangelium? Laetum nuncium, Gute mehre vnd botschafft.

Quid est Euangelium? Euangelium est promissio de Christo, seu doctrina non natura nota, sed ex arcano consilio diuinitatis per Filium prolata, in qua Deus immensa misericordia propter Filium suum GRATIS promittit remissionem peccatorum, iustitiam, Spiritum sanctum, et vitam aeternam, omnibus agentibus poenitentiam, et fide haec promissa bona amplectentibus.

Quod est discrimen inter Legem et Euangelium?[1]) Lex est doctrina praecipiens, et requirens nostram, eamque perfectam oboedientiam, arguens et damnans peccatum. Euangelium est promissio offerens remissionem peccatorum et vitam aeternam, gratis, propter Christum: et haec promissio fide est apprehendenda.

Recita dictum Christi quod continet summam Euangelij. Johan. 13. Sic Deus dilexit mundum — — vitam aeternam.

Quot sunt beneficia Christi, quae in Euangelio offeruntur, et exhibentur? Quatuor. Remissio peccatorum, siue, reconciliatio. Imputatio iustitiae. Donatio Spiritus sancti, et Haereditas vitae aeternae. Haec in iustificatione hominis coniuncta sunt.

Quomodo consequimur Justificationem? Euangelium arguit peccatum, et offert promissionem Christi. Debemus igitur agnoscere peccatum et ingentem iram Dei aduersus peccatum. Et perterrefacti, debemus intueri promissionem, et credere, quod propter Filium Deus remittit peccata, et reputat nos iustos, hoc est, acceptos. Hac fide certo consequimur iustificationem, seu gratiam, et efficimur haeredes vitae aeternae. Et cum remissione peccatorum datur Spiritus sanctus, qui nouam lucem et vitam in corde incoat, et nouam oboedientiam erga Legem Dei. Itaque in reconciliatis sequi debet incoatio nouae oboedientiae, et omnia bona opera, quae in Decalogo praecipiuntur. Haec summa est propheticae et apostolicae doctrinae de iustificatione. G 6.

De fide. Quid est fides? Fides est assentiri omni verbo Dei, in quo Deus se et voluntatem suam patefecit: et est confidere promissioni gratuitae reconciliationis, quae propter Christum Mediatorem exhibita est.

Declaratio. Fides enim haec duo complectitur, videlicet, noticiam, seu firmam assensionem verbi: et fiduciam, qua voluntas vult et accipit promissam misericordiam, et acquiescit in promissione.

Vbi breuiter descripti sunt articuli fidei? In Symbolo Apostolico.

---

[1]) An dieser Stelle differiert 1565.

De Symbolo. Quid est Symbolum? Symbolum Graeca vox, latinis significat signum militare et tesseram castrensem, qua socij ab hostibus dinoscuntur, Ein Heerzeichen. In Ecclesia Symbolum vocarunt breuem articulorum, seu omnium, seu praecipuorum doctrinae Euangelij collectionem. Nam horum articulorum professio est nota, qua agnoscitur Ecclesia: et signum, quo Christiani discernuntur ab Ethnicis, Judaeis, Mahometistis et Haereticis.

Recita Symbolum Apostolicum. 1. Credo in Deum patrem, omnipotentem — — 11. Carnis resurrectionem: et 12. Vitam aeternam, AMEN.[1])

Quot sunt partes Symboli? Tres. Prima, est de Deo Patre, omnium rerum conditore. Secunda, De Filio eius Jesu Christo, humani generis redemtore. Tertia, De Spiritu sancto, Ecclesiae Christi sanctificatore et gubernatore.

Repete primam partem Symboli de creatione. Credo in Deum patrem, omnipotentem, creatorem coeli et terrae.

Quae est sententia? Credo quod Deus, aeternus pater Domini G 7. nostri Jesu Christi, cum Filio coaeterno et Spiritu sancto, condidit ex nihilo coelum et terram, Angelos, homines et reliqua omnia corpora. Nec condidit tantum naturam, et postea ab ea discessit: sed perpetuo adest suo operi, fouet, sustentat et gubernat totam naturam, regit motus coelestes, efficit vices temporum, quotannis foecundam facit terram, producit fruges. Maxime vero curat, alit et defendit Ecclesiam.

Haec doctrina de sustentatione naturae saepe repetitur in Psalmis, vt Psalmo 145. Oculi omnium in te sperant Domine — — benedictione. Et Actorum 17. In ipso viuimus, mouemur et sumus, Id est, Deus alit, fouet et sustentat naturam, dat vitam, motum, et conseruat essentiam.

Repete secundam partem Symboli de Redemtione. Credo in Jesum Christum, filium DEI vnicum, Dominum nostrum etc.

Quae est sententia? Agnosco et confiteor, quod ego et totum genus humanum sumus sub peccato, et meriti iram Dei, et mortem aeternam: nec possumus nos ipsos liberare a peccato et morte. Sed aeternus Deus immensa misericordia promisit liberatorem, et misit in hunc mundum Filium suum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, qui est verus Deus, et verus homo, natus ex Maria virgine, factus pro nobis victima: et sanguine suo ac morte sua redemit et liberauit nos a peccato, ab ira Dei et morte aeterna: et resuscitatus a morte, sedet ad dexteram aeterni patris, perpetuus pontifex et interpellator noster apud Patrem: et per vocem Euangelij colligit sibi Ecclesiam: dat Spiritum sanctum: et per ministerium Euangelij incoat vitam aeternam in credentibus: et in nouissimo die totam Ecclesiam resuscitatam ex morte ornabit gloria aeterna.

Repete tertiam partem Symboli de Sanctificatione? Credo in Spiritum sanctum — — vitam aeternam. Amen.

Quae est sententia? Credo quod Spiritus sanctus est verus, aeternus et omnipotens Deus, procedens a patre et Filio, qui per verbum et Sacramenta, Filio Dei ex omni hominum genere in toto orbe terrarum

[1]) 1565 bietet hier den Text des Credo nicht.

congregat Ecclesiam, in qua mentes omnium assentientium Euangelio illuminat, et corda eorum, remissis peccatis, purificat atque sanctificat, vt fiant domicilia Dei. Ac ut in Ecclesia tota, ita in me quoque fidem veram per verbum accensam conseruat et confirmat: ducit et impellit me, vt fiducia Christi Mediatoris accedam et inuocem Deum, ac statuam me exaudiri: in periculis, certaminibus et aerumnis me consilio regit, consolatur, et sustentat vsque ad finem vitae. Credo etiam, me tandem eiusdem Spiritus sancti virtute ex morte excitatum, cum omnibus electis resurrecturum ad vitam et gloriam aeternam, Amen.

Enarra membra singula huius partis. Credo in Spiritum sanctum. G 8. 10

Quae est sententia? Credo quod Spiritus sanctus est verus, aeternus et omnipotens Deus, procedens a Patre et Filio, viuificans et sanctificans corda credentium in Ecclesia. Hunc Spiritum sanctum, verum Deum, exaudientem et saluantem inuoco, et peto, vt accendat in me diuinam lucem, agnitionem Dei, fidem, timorem Dei: et me consoletur, confirmet et regat in periculis et aerumnis vitae huius, et incoet in me nouam et aeternam vitam.

Quod est officium Spiritus sancti? Officium Spiritus sancti est, sanctificare corda, hoc est, per vocem Euangelij colligit Ecclesiam, et accendit in mente veram lucem seu agnitionem Dei, et in corde excitat motus voluntati Dei congruentes, reuerentiam erga Deum, fiduciam, inuocationem et dilectionem Dei, odium peccati, consolationem et laeticiam in Deo, quae est incoatio vitae aeternae: consilio suo nos regit, in doloribus nos consolatur, et in certaminibus confirmat corda. Ideo Johan. 15. vocatur Spiritus veritatis et paracletus. Spiritus veritatis: quia per Euangelium facit lucere in nobis veram Dei agnitionem, fiduciam et inuocationem. Paracletus, hoc est, aduocatus, quia regit, consolatur et confirmat corda in confessione et varijs certaminibus.

Credo sanctam Ecclesiam Catholicam. Quae est sententia? Credo quod inter homines est Ecclesia, hoc est, coetus amplectentium et profidentium Euangelium, dispersus per totum orbem terrarum, vbicunque sonat vox Euangelij incorrupta: in quo coetu Spiritus sanctus est efficax per vocem Euangelij et Sacramenta, impertit remissionem peccatorum, accendit in animis piorum agnitionem Dei, fidem, inuocationem, et incoat vitam aeternam. Ad hunc coetum me adiungo confessione et inuocatione. De hac societate Ecclesiae dicitur in Psalmo 84. Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.

Quid est Ecclesia? Ecclesia est coetus hominum, amplectentium et profitentium Euangelium incorruptum, et recte vtentium Sacramentis: in quo Deus est efficax per ministerium Euangelij, et multos sanctificat et regenerat ad vitam aeternam. Sunt et in eodem coetu multi non renati, sed tamen de doctrina consentientes.

Cur Ecclesia dicitur Catholica, id est, Vniuersalis? Quia non est alligata vni alicui certo loco, sed est dispersa per totum mundum, vbicunque sonat pura doctrina Euangelij. Non tantum est in Judaea, sed colligitur ex omnium gentium hominibus.

Credo sanctorum communionem. Quae est sententia? Est expositio praecedentis articuli, declarans quid sit Ecclesia. Ecclesia est communio, hoc est, societas et congregatio sanctorum, qui per Euangelium vocati sunt ad haereditatem vitae aeternae, et habent bona Christi communia, videlicet: remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, iustitiam et vitam aeternam.

H 1. Credo remissionem peccatorum. Quae est sententia? Credo quod in Ecclesia, hoc est, in coetu audientium et profitentium Euangelium perpetuo est remissio peccatorum omnium, quam Spiritus sanctus per vocem Euangelij, et per Sacramenta distribuit, et applicat omnibus, qui ad Deum conuertuntur, et credunt promissioni. Et promissio remissionis est gratuita et vniuersalis, hoc est, gratis propter Christum datur omnibus credentibus, qui fide apprehendunt et accipiunt beneficium in promissione oblatum. Vt docet S. Petrus Actor. 10. Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius OMNES, qui credunt in eum.

Credo carnis resurrectionem. Quae est sententia? Credo quod omnes homines mortui resurgent ex sepulchris in nouissimo die, et resuscitabuntur per vocem Filij Dei, et futurum est iudicium vniuersale, in quo pij ornabuntur gloria aeterna: impij vero cum Diabolis in aeternos cruciatus abijcientur.

Dic testimonia scripturae de resurrectione, quod corpora nostra reuiuiscent et resuscitabuntur ad vitam aeternam. Job 19. Scio quod Redemtor meus viuit etc. Joan. 5. Venit hora, in qua omnes — — condemnationis. Joan. 6. Haec est voluntas Patris mei, vt omnis — — in nouissimo die. — Hic articulus clare describitur, 1. Thess. 4. et 1. Corinth. 15.

Quid caro significat? Totam naturam humanam, Ebraica Synecdoche, cum nomen partis pro toto vsurpatur. Nam caro est pars hominis. Singuli corpora sua, sed renouata recipient: ac redibunt animae singulae in suorum corporum domicilia.

Credo vitam aeternam.[1]) Quae est sententia? Credo quod homines non viuunt et intererunt instar pecudum: ita vt animae pariter cum corporibus extinguantur: sed quod omnes resuscitati ex morte, vitam viuent immortalem: impij quidem miseram, et modis omnibus afflictam: pij vero beatam et cum perpetua laetitia coniunctam.

Dic testimonia de aeterna et beata vita propter Christum donanda credentibus. Joan. 3. Sic Deus dilexit mundum — — vitam aeternam. Joan. 6. Haec est voluntas Dei, vt omnis qui credit in Filium, habeat vitam aeternam. Rom. 6. Donum Dei vita aeterna, per Christum Jesum Dominum nostrum.

Quid est vita aeterna? Vita aeterna est agnitio veri Dei, et
H 2. Filij eius Domini nostri Jesu Christi, missi in hunc mundum. Hanc definitionem tradit Christus ipse Johan. 17. Haec est vita aeterna, vt cognoscant te solum verum Deum esse, et hunc Jesum, quem misisti, esse Messiam, Mediatorem, Redemptorem et Saluatorem, colligentem

[1]) Fehlt in 1565, offenbar aus Versehen.

Ecclesiam aeternam. Et quidem vita aeterna in hoc seculo incoatur, consummabitur autem cum resuscitati ex morte, et prorsus ab omni peccato liberati, coram intuebimur essentiam et voluntatem totius diuinitatis, et noua atque aeterna luce et laetitia complebimur.

Tertium caput de Inuocatione.

Quid sentis de inuocatione? Inuocatio est praecipuus effectus et exercitium fidei in aerumnis, et cultus quem soli pij in Ecclesia praestant: est et praecipuus murus ac praesidium Ecclesiae Dei et singulorum piorum in aerumnis. Vt Salomon ait, Prouerb. 18. Turris fortitudinis nomen Domini: ad eam confugit iustus, et exaltabitur. Nomen Domini est vera inuocatio nominis diuini. Justus, est Ecclesia, quae audit et profitetur Euangelium et singula eius membra viua.

Quid est vera inuocatio Dei?[1]) Est corde et voce a vero Deo patefacto in promissione Euangelij, et misso Filio, petere et expectare bona praesentia et aeterna: et certo statuere nos exaudiri, et bona optata impetrare, iuxta ipsius promissiones: est et pro beneficijs acceptis gratias agere.

Quotuplex est discrimen verae et falsae inuocationis? Duplex est discrimen. Vnum est sumptum ab essentia Dei: alterum a voluntate Dei. Primum enim Ethnici, Turci, Judaei et omnes non recte inuocantes, etsi iactitant se compellare Deum conditorem coeli et terrae: tamen a vero DEO aberrant. Quia negant hunc Deum esse conditorem rerum, qui se patefecit in verbo per Prophetas et Apostolos tradito, et misso Filio Jesu Christo, pro nobis crucifixo. Hunc Filium cum vel prorsus ignorent, vel contumelia afficiant, nequaquam colunt verum Deum. Joan. 5. Qui non honorat Filium, non honorat patrem: sed sibi ipsis imaginando sculpunt Idolum, quod compellant. De talibus inquit Christus Johan. 4. Vos adoratis, quod nescitis: Deinde de voluntate Dei sunt incerti: Quia promissionem Euangelij de remissione peccatorum, et Filium Mediatorem, propter quem solum inuocantes exaudiuntur, vel non norunt, vel aspernantur. Irrita igitur et nulla est eorum inuocatio, cum dubitatione coniuncta. Vera autem inuocatio directa est ad hunc vnum Deum, qui est pater Domini nostri Jesu Christi, quique se data promissione primis patribus et misso Filio patefecit. Deinde nouit etiam, ac certo statuit, se recipi et exaudiri, propter Christum Mediatorem.

Quae sunt consideranda in inuocatione? Haec sex capita semper sunt cogitanda in Inuocatione. Primum, Quis sit verus Deus, quem velis inuocare. Cogites ergo et animo intuearis hunc verum Deum, scilicet, aeternum Patrem, Filium et Spiritum sanctum, sicut se patefecit in Baptismo Christi ad Jordanem. Secundo, Cogita mandatum Dei de inuocatione, Joan. 16. Petite, et accipietis, Luc. 18. Semper orate. Psalm. 50. Inuoca me in die tribulationis etc. Nec tua te indignitas absterreat a precatione: sed mandatum Dei te adhortetur et cogat ad precationem. Tertio, Sit et crescat in te vera conuersio ad Deum, seu

[1]) Das Folgende weist im Vergleich zu 1565 eine Umstellung und Erweiterung auf, die sich bis zum Beginn der Erklärung des Vaterunsers erstreckt.

poenitentia. In inuocatione accedat confessio peccatorum et proprie indignitatis. Vt Daniel cap. 9. confitetur: Peccauimus, iniuste egimus, iniquitatem fecimus. Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei etc. Inuocatio enim sine vera poenitentia nulla est. Quarto, Considera promissionem de remissione peccatorum, et de exaudiendis precibus propter Christum Mediatorem, qualis est haec Joan. 16. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Estque consideratio promissionis necessaria, vt scias per quem tibi pateat accessus ad Deum, et propter quem tua oratio exaudiatur. Intuearis ergo Filium Dei Mediatorem, atque in nomine illius ores. Quinto, Cogitatione promissionis excita fidem, et oratio tua nitatur promissione, certoque statuas, tibi peccata remitti, et tuas preces exaudiri propter Christum Mediatorem.

Quotuplices sunt promissiones? Duplices. Prima et summa, maximeque necessaria est promissio gratiae, et reconciliationes ac vitae aeternae, seu bonorum spiritualium et aeternorum. Aliae sunt promissiones rerum corporalium, necessariarum ad huius vitae mortalis conseruationem.

Quomodo petenda sunt bona spiritualia? Deus propter Christum certo et nominatim, ac sine vlla conditione promisit bona spiritualia et aeterna. Haec promissio semper rata et firma est credenti, etiam omnibus bonis corporalibus amissis. Ideo firmissima fide retinenda est. Ac bona huiusmodi petenda sunt sine vlla exceptione. Promisit enim Deus, se bona illa omnibus petentibus semper et eodem modo daturum esse.

Quomodo petenda sunt bona corporalia? Promissionibus bonorum corporalium etiam vniuersaliter credendum est: sed petitione illorum semper hae quatuor conditiones addendae sunt: Prima est gloriae Dei et nostrae vtilitatis atque salutis. Secunda, est castigationis piorum, seu crucis, qua Deus certo consilio Ecclesiam in hac vita premit. Vt Marci 10. dicitur: Recipient domos, agros etc. Sed cum tribulatione. Tertio, ne praescribatur Deo modus et tempus, quo promissa bona exhibere debeat. Abac. 2. Si moram fecerit Dominus, expecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit. Quarta ne rapiantur bona corporalia nostris consilijs, priusquam Deus ea tribuat. Vt Filij Ephraim ante Mosen inuadentes terram promissam, interficiuntur, 1. Paral. 7. Expectanda est enim vocatio diuina. Sexta (sic!). Precatio tua non sit inanis *βαττολογία*, sed rem certam, vel spiritualem, vel corporalem a Deo petas. Sunt autem omnes res petendae, tam spirituales, H 4. quam corporales ab ipso Christo in septem petitiones inclusae et comprehensae, atque, aptissimo ordine in oratione Dominica expositae.

Quid complectitur Inuocatio? Duo. Precationem, vel petitionem, et gratiarum actionem: quae possunt dici partes Inuocationis.

Quid est precatio? Precatio est in nomine et fiducia Christi petere aliquid a Deo, et certo credere, quae preces nostrae placeant Deo, et exaudiantur propter Christum, mediatorem et pontificem nostrum, vt dicitur Joan. 16. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

Recita precationem Dominicam. Pater noster qui es in coelis etc.

Adde breuem declarationem. Pater noster qui es in coelis.

Quid hoc est? Est exordium commonefaciens nos, vt cogitemus quem Deum alloquamur, et requirens fidem.

Dic paraphrasin. Aeterne Deus, pater coelestis, qui vbique ades, exaudis et iuuas: qui te patefecisti per verbum tuum, et misisti Filium tuum, Mediatorem nostrum, propter quem nos recipis et exaudire vis: iuua uos Spiritu sancto, vt te recte inuocemus.

Prima petitio. Sanctificetur nomen tuum.

Quid petitur? Prima petitio est de vera agnitione Dei, de vero cultu, et vsu nominis diuini.

Dic paraphrasin. Da vt te vere agnoscamus, et recte colamus: vt Euangelium pure doceatur et feliciter propagetur: vt vbique gentium nomen tuum vera agnitione, vera inuocatione et oboedientia sanctificetur, celebretur et glorificetur: aboleatur nomen Antichristi, cum omnibus idolomanijs, blasphemijs et superstitionibus.

Secunda petitio. Veniat regnum tuum.

Quid petitur? Secunda petitio est de effectu doctrinae et agnitionis.

Dic paraphrasin. Rege nos Spiritu sancto, vt Euangelio vere credamus, vt regnum tuum inchoatum in nobis confirmetur, et simus haeredes regni aeterni: non regnet in nobis peccatum. Da vt per vocem Euangelij regnum tuum vbique terrarum propagetur: destruatur regnum Diaboli et Antichristi, cum omnibus idolomanijs, blasphemijs et superstitionibus.

Tertia petitio. Fiat voluntas tua in terra, sicut in coelo.

Quid petitur? Tertia petitio est de oboedientia noua erga Deum in tota vita.

Dic paraphrasin. Juua nos Spiritu sancto, vt voluntati tuae nos ex animo subijciamus, et tibi vere oboediamus, in cruce et aerumnis tolerandis: vt suo quisque loco officium nostrum recte et fideliter faciamus, vt simus organa misericordiae, et tibi grata faciamus: sicut sancti Angeli in coelo tibi oboediunt, et grata faciunt. Dissipa consilia et technas H 5. 30 Diaboli, Antichristi, Tyrannorum et omnium impiorum, qui student impedire, ne tibi grata aliqua per nos fiant.

Quarta petitio. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Quid petitur? De victu et sustentatione vitae corporalis.

Dic paraphrasin. Da nobis victum, valetudinem, terrae foecunditatem, tranquillum domicilium, pacem, bonum regimen, salutares gubernatores, successum in studijs, in administratione politica, oeconomica, Ecclesiastica et scholastica. Rege nos, vt agnoscamus haec salutaria dona a te dari et conseruari: vt gratias agamus pro his donis, et vtamur illis ad gloriam Dei. Arce a nobis bellum, vastitates, famem et alias calamitates publicas et priuatas.

Quinta petitio. Et remitte nobis debita nostra: Sicut et nos remittimus debitoribus nostris.

Quid petitur? De remissione peccatorum, siue de reconciliatione.

Dic paraphrasin. Non reijcias nos o coelestis pater, propter indignitatem et peccata nostra: sed miserere nostri propter Filium tuum Mediatorem et deprecatorem nostrum, et remitte nobis peccata nostra:

Et spiritu sancto sanctifica et flecte corda nostra ad veram mansuetudinem, vt propter Deum condonemus offensiones, et errata aliorum mutua lenitate inter nos toleremus et sanemus.

Sexta petitio. Ne inducas nos intentationem.

Quid petitur? De auxilio et gubernatione Dei.

Dic paraphrasin. Non sinas nos labi in impietatem, et in Epicureos furores et contemtum Dei, in diffidentiam, in scelera. Sustenta nos Spiritu sancto paracleto, vt intentatione maneamus constantes, et adiuuante Filio Dei nostro propugnatore, in omni certamine aduersus Diabolum vincamus et triumphemus.

Septima petitio. Sed libera nos a malo.

Quid petitur? De liberatione ex hac vita corporali.

Dic paraphrasin. Mitiga calamitates nostras, et sustenta nos tua consolatione, vt possimus ferre hoc ingens onus aerumnarum: et libera nos tandem a morte, a Diabolo et omnibus calamitatibus: et largire nobis bonam horulam, cum ex hac vita emigrandum erit: et transfer nos in vitam aeternam, in qua fruamur aeterna consuetudine Dei.

Amen. Epiphonema, quo fides requiritur.

Dic paraphrasin. Coelestis pater, placeant tibi hae nostrae H 6. preces, et sint Amen, et ratae, quas nos indigni filioli tibi offerimus in nomine Filij tui vnigeniti, nostri Mediatoris et Pontificis, iuxta ipsius promissionem: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

De Gratiarum actione altera parte Inuocationis. Quid est gratiarum actio? Est agnoscere quod Deo simus curae, quod ab eo accipiamus vitam, et alia beneficia spiritualia et corporalia: et praedicare ac celebrare bonitatem autoris, id est, Dei largitoris: et nos et subijcere tanquam Domino: et hac oboedientia testificari gratitudinem erga hunc Dominum: et nostra confessione inuitare alios, vt ipsi quoque a Deo petant et expectent beneficia, auxilium et defensionem.

Quomodo instituenda est gratiarum actio? Facilis et expedita forma est, si beneficia Dei commemoremus iuxta ordinem septem petitionum in oratione dominica, ad hunc modum.

Forma gratiarum actionis? Aeterne Deus, coelestis Pater, qui cum Filio tuo, Domino nostro Jesu Christo, et cum Spiritu sancto conditor es omnium rerum, conseruator et opitulator. 1. Gratias ago tibi, quod te nobis patefecisti, et verbum tuum tradidisti, et doces nos, quomodo velis agnosci et coli: et Filium tuum misisti, et voluisti eum pro nobis fieri victimam. 2. Quod nos per baptismum et vocem Euangelij vocasti ad Ecclesiam et societatem vitae aeternae: et impertis nobis Spiritum sanctum: quod Ecclesiam defendis et seruas mirabiliter ac saepe instauras ministerium. 3. Quod nos iuuas, ac flectis animos nostros, vt aliquomodo faciamus voluntatem tuam. 4. Quod das nobis vitam, educationem, victum, valetudinem, pacem, tranquilla domicilia, politias, defensionem, literas et similia. 5. Quod remittis nobis peccata, condonas et tegis infirmitatem, et immundiciem nostram, propter Filium tuum. 6. Quod nos defendis aduersus Diabolorum et mundi furores: quod nos iuuas et sustentas in tentatione et certaminibus. 7. Quod in periculis

nos exaudis et liberas mirabiliter, et vocas nos ad vitam et gloriam aeternam.

Quartum caput: De Sacramentis.

Quid est Sacramentum noui testamenti? Est ceremonia a Christo instituta, admonens de promissione noui Testamenti, quae est de remissione peccatorum, et testificans promissionem gratiae vere ad nos singulos pertinere. Est et haec vetus definitio: Sacramentum est signum gratiae, hoc est, gratuitae reconciliationis.

Quot sunt Sacramenta noui Testamenti? Tria sunt Sacramenta in Euangelio a Christo instituta: videlicet, Baptismus, Absolutio et Coena Domini.

Cur Absolutionem numeras inter Sacramenta?[1]) Absolutionem numeramus inter Sacramenta, cum propter alias causas, tum propter hanc quoque vt reuerentia erga sacrosanctum ministerium Euangelij confirmetur.

Quis est finis et vsus Sacramentorum? Principalis finis H 7. et vsus est, vt admoneant de promissione Euangelij, et testentur eam pertinere ad singulos, et singulis credentibus per ea applicari meritum passionis Christi. De hoc fine docet Paulus Rom. 4. cum circumcisionem vocat sigillum fidei. Alius finis inferior est, vt discernant Ecclesiam ab alijs sectis.

De Baptismo.

Quid est Baptismus? Baptismus est mersio in aquam, et pronunciatio verborum, videlicet: Ego baptizo te in nomine Patris et Filij, et Spiritus sancti. Sic describitur baptismus Matthaei vltimo: Docete omnes gentes, et baptizate eos in nomine Patris, et Filij, et Spiritus sancti.

Vbi institutus est Baptismus? Matthaei vltimo: Data est mihi omnis potestas — — ad consumationem saeculi. Et Marci vltimo: Ite in mundum vniuersum, et praedicate Euangelium omni creaturae — — condemnabitur.

Quot partes requiruntur ad substantiam Baptismi? Duae, Ceremonia externa, quae est mersio in aquam: et verbum, videlicet, mandatum quo ceremonia haec instituitur: et promissio de remissione peccatorum. Ac verbum cum mersione coniungi debet vt monet vsitatum Augustini dictum: Accedat verbum ad Elementum, et fit Sacramentum. Fides nostra non ad substantiam Baptismi, sed ad vsum et applicationem requiritur.

Quae est sententia verborum Baptismi? Ego baptizo te in nomine patris, et Filij, et Spiritus sancti. Sententia est: Ego minister baptizo, id est, mergo siue abluo te, in nomine, id est, mandato et inuocatione veri Dei, qui est Pater, Filius et Spiritus sanctus, et hoc signo testificor, te ab hoc vero Deo recipi, in gratiam, et sic baptizatum ablui a peccatis sanguine Filij Dei, pro nobis passi, et te regenerari per Spiritum sanctum, vt sis Filius Dei, et haeres vitae

[1]) Fehlt in 1565.

aeternae. Quare tu quoque vicissim hunc vnum verum Deum agnosces, inuocabis et celebrabis.

Quis est principalis finis et vsus Baptismi? Principalis finis Baptismi est, vt testetur promissionem gratiae vere pertinere ad illos qui baptizantur. Significat enim baptismus, nos inseri Ecclesiae Dei, fieri membra Christi, a Deo recipi, et ablui a peccatis sanguine Christi, et consequi salutem. Sic enim ait Christus Marci vltimo: Qui crediderit et baptizatus fuerit, saluus erit. Item etiam monent verba baptismi: Ego baptizo te in nomine Patris, et Filij, et Spiritus sancti.

De Fine minus Principali. Quid praeterea monet H 8. Baptismus? Baptismus est imago afflictionum Ecclesiae et liberationis. Mersio enim significat peccatum in natura viciosa mergendum, et quotidiana poenitentia abolendum esse. Atque ideo Deus nos subijcit cruci et afflictionibus, vt agnoscamus peccatum et ingentem iram Dei aduersus peccatum, ac poenitentia in nobis crescente paulatim aboleatur peccatum, Extractio vero significat nos per resurrectionem Christi liberari a morte, et ab omnibus aerumnis, te donari noua et aeterna iustitia ac vita.

De Baptismo infantium. Suntne infantes baptizandi? Sunt. Nam promissio salutis ad eos quoque pertinet.

Dic probationem firmam. Nulli sunt electi, nisi in coetu vocatorum: nec vlli saluantur extra Ecclesiam. Certissimum est autem promissionem salutis pertinere ad aliquos infantes. Ergo infantes non sunt arcendi ab Ecclesia, sed sunt inserendi Ecclesiae per baptismum, in quo inuocatur super eos nomen Dei, Rom. 8. Quos elegit, hos et vocauit, Actor. 4. Non est aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, quam nomen Jesu Christi. Matth. 18. Non est voluntas coram patre vestro, qui in coelis est, vt pereat vnus de pusillis istis.

Alia probatio.[1]) Omnes saluandos oportet inseri Ecclesiae in hac vita, iuxta dictum: Quos elegit, hos et vocauit. Ad infantes in Ecclesia pertinet promissio gratiae et salutis aeternae, Sicut inquit Dominus Matth. 19. Sinite paruulos ad me venire, et ne prohibeatis: Talium est regnum coelorum. Ergo infantes sunt baptizandi et inserendi Ecclesiae.

De Absolutione.

Quid est Absolutio? Absolutio est annunciatio et applicatio remissionis peccatorum per vocem ministri, facta autoritate Christi: et huic voci debemus credere, tanquam voci de coelo sonanti: et certo statuere quod peccatum nobis remittitur propter Christum.

Vbi instituta est Absolutio? Matthaei 18. Quaecunque ligaueritis — — soluta in coelo. Joan. 20. Quorum remiseritis — — retenta sunt eis.

Quomodo prodest Absolutio? Cum fide eam accipimus, et nobis eam applicamus. Absolutioni correlatiue respondet confessio. Absolutio enim non potest annunciari, nisi ei, qui agnoscit et confitetur se peccatorem.

---

[1]) Fehlt in 1565.

Estne approbanda arcana confessio? Est. Nam est petitio absolutionis.

De Confessione. Quid est Confessio arcana? Est coram ministro Ecclesiae agnoscere et fateri nos reos esse, et petere veniam seu remissionem peccatorum, et credere voci ministri, atque fide accipere absolutionem a ministro pronunciatam.

Estne enumeratio singulorum delictorum necessaria in confessione? Non est necessaria: quia nec a Christo, nec ab Apostolis praecepta est: deinde, quia etiam impossibilis est, iuxta illud: Delicta quis intelligit. Prodest tamen aliqua delicta recitari, et maxime ea, quae angunt conscientiam. Ac tenenda est generalis quaedam forma confitendi, ex Decalogo collecta. J1.

Recita formam confitendi. Praefatio. Venerande Domine, rogo vt audiatis confessionem meam, et mihi annuncietis atque impertiatis absolutionem in nomine Christi.

Dic. Miser ego, agnosco et fateor, me reum esse coram Deo, et grauiter peccasse contra omnia praecepta Dei. 1. Non enim vere timeo Deum, nec ad iram eius aduersus peccata expauesco: non confido ipsius misericordiae: in afflictionibus fremo aduersus Deum, nec praesto veram patientiam. 2. Segnis et languidus sum in inuocatione et gratiarum actione, in confitendo, et propagando Euangelio: abutor nomine Dei execrando, et temere iurando. 3. Non habeo verum zelum erga ministerium et Sacramenta: sum negligens in audiendo, discendo et meditando Euangelio, et in vsu Sacramentorum. 4. Parentibus et superioribus meis non tribuo honorem debitum et oboedientiam: non satis fideliter facio officia vocationis meae. 5. Cor meum pollui iniusto odio, cupiditate vindictae. 6. flammis illiciti amoris. 7. appetitione alieni. 8. mendacio et sophistica. 9. 10. Denique tota natura mea horribiliter corrupta est concupiscentia et prauis affectibus, pugnantibus contra omnia praecepta Dei, et meritus sum iram Dei et mortem aeternam. Ex animo autem doleo, quod offendi Deum: et confugio ad Mediatorem nostrum Filium Dei, qui factus est victima pro peccatis nostris: et adiuuante Spiritu sancto, deinceps voluntati Dei conuenienter viuere studebo. Ac peto a vobis, vt mihi annuncietis remissionem peccatorum, et impertiatis absolutionem, iuxta ordinationem Christi, qui dixit: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.

De Coena Domini.

Quae doctrina tenenda est de coena Domini? Illa quae continetur in verbis Christi, quibus haec coena instituitur.[1])

Recita verba de institutione coenae sacrae. Dominus noster Jesus Christus — — in mei recordationem.

Quot sunt capita doctrinae tenendae de coena Domini? Doctrina de coena Domini tenenda his sex capitibus continetur. 1. Quid sit coena Domini. 2. Quid in hac coena sumatur. 3. Quomodo sumi debeat. 4. Ad quid, seu ad quem vsum sumi debeat. 5. Qui digne J2.

[1]) Der Abschnitt ist in 1565 umgestellt und geändert.

sumant, et salutem consequantur. 6. Qui indigne sumant ad iudicium et damnationem.

I. Quid est coena Domini? Coena Domini est distributio et sumptio veri corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, in pane et vino, a Christo instituta, ad recordationem mortis suae.

II. Quid exhibetur et sumitur in coena Domini? In coena Domini exhibetur et sumitur verum corpus et verus sanguis Domini nostri Jesu Christi, cum distribuuntur panis et vinum, et verba institutionis recitantur.

Proba. Diserte dicitur in verbis institutionis: Accepit panem, fregit et dedit discipulis suis dicens: Hoc est corpus meum. Et calicem sumens inquit: Hic est calix noui Testamenti in meo sanguine, qui pro vobis effunditur.

III. Quomodo sumi et seruari debet haec coena? Primum, sumi debet iuxta Christi institutionem Sacramentum integrum: corpus Domini in pane, et sanguis eius in vino. Secundo, accipiatur in congressu publico. Tertio, Sumatur cum recordatione mortis Christi, seu cum praedicatione Euangelij de morte et resurrectione Christi. Quarto, Haec coena ita seruetur, vt fiat distributio, non sit monophagia, qualis est in missis sacrificulorum idolatricorum.

IIII. Ad quem finem seu vsum instituta est et sumi debet haec coena? Principalis finis est, vt vsu Sacramenti huius excitetur et confirmetur fides, accipiens remissionem peccatorum propter Christum pro nobis in cruce mortuum. Sacramenta sunt addita promissioni reconciliationis, vt eam nobis obsignent, hoc est, certam atque immotam significent: et vt singuli sibi illam applicent per fidem, in vero vsu Sacramenti. Sic in hoc Sacramento, cum Christus tanto pignore, nempe exhibitione corporis et sanguinis sui testetur, se vere tua causa passum esse, et sanguinem suum in remissionem peccatorum tuorum effudisse: certissime statuas, te iam Deo reconciliatum vere recipi in gratiam, te fieri membrum corporis Christi, te Spiritu sancto viuificari, et sanctificari ad vitam aeternam.

Vbi hic vsus indicatur in verbis coenae? Indicatur his verbis: quod Pro Vobis traditur: qui PRO VOBIS effunditur in
J 3. remissionem peccatorum: hoc facite ad mei recordationem. Fines inferiores sunt gratiarum actio, Ecclesiae consolatio, confessio, mutua dilectio, et morum ad pietatem conformatio.

V. Qui digne sumunt et consequuntur salutem? Qui sunt discipuli Christi, qui seipsos probant, et dijudicant corpus Domini.

Qui sunt discipuli Christi? Qui audiunt, amplectuntur et discunt doctrinam a Christo traditam, et eidem conuenienter viuunt.

Qui seipsos probant? Seipsos probant, qui agunt poenitentiam, qui agnoscunt iram Dei aduersus peccatum: et fide se erigunt intuentes promissionem, et credunt sibi in hac coena applicari remissionem peccatorum propter mortem Christi: et habent propositum bonum emendandi vitam.

Qui dijudicant corpus Domini? Qui discernunt coenam Domini a coena profana, et statuunt sumptione corporis, et sanguinis

Christi in hac coena, sibi vere applicari meritum passionis Christi, videlicet, remissionem peccatorum.

VI. Qui sumunt indigne? Qui non sunt discipuli Christi: qui negligunt Euangelium et contemnunt ministerium: qui viuunt sine poenitentia, sine fide, sine proposito emendandi vitam: et hanc coenam habent pro conuiuio profano: aut eandem mutilant, neglecta parte altera.

Quintum caput.

De bonis operibus, et de officijs vocationis cuiusque, seu, de noua oboedientia.

In reconciliatis qui fide in Christum consecuti sunt remißionem peccatorum, et facti filij Dei, et haeredes vitae aeternae, iam sequi debet noua oboedientia erga Deum, iuxta omnia praecepta Dei. Nam cum reconciliatione credentibus datur Spiritus sanctus, qui accendit nouam lucem, hoc est, agnitionem Dei in mente, et in voluntate et corde, excitat nouos motus, timorem Dei, fidem, reuerentiam erga Deum, inuocationem, gratiarum actionem, et reliquas virtutes, quae requiruntur in Decalogo.

Etsi enim credentes liberati sunt a lege, hoc est, a damnatione et maledictione legis: tamen manet perpetua sententia et voluntas Dei, vt creatura oboediat Creatori: et haec oboedientia iuxta ipsius praecepta praestetur. Nec ideo sumus reconciliati, vt deinceps frena laxemus cupiditatibus prauis, sicut Ethnici ignorantes Deum: sed vt filij Dei agnoscamus Patrem, et nos ei subijciamus, et studeamus ei oboedire et grata facere. Et Deus promittit Spiritum sanctum, qui adiuuat credentes, vt possint in hac naturae imbecillitate incoare, et aliquo modo praestare obedientiam nouam et placentem Deo.

Quae autem opera sint facienda, et in quibus exercitijs oboedientia sit declaranda, monet Decalogus. Vult enim Deus, vt sibi oboediamus, iuxta verbum a se traditum, non iuxta nostrum iudicium, sicut enthusiastae et Monachi faciunt.

Etsi autem haec incoata oboedientia noua multum habet imbecillitatis, et longe abest a perfectione: tamen placet Deo, quia persona placet propter Christum, offerentem officia nostra aeterno patri: et placet quasi sit perfecta. J 4. 30

Haec ingens bonitas Dei inuitet nos ad studium et ardorem recte faciendi, vt vnusquisque vocationem suam consideret, et mandata officia vocationis fideliter exequatur, eo fine, vt Deo debitam oboedientiam praestet, et grata faciat.

FINIS.

Epitome Catechismi, tertiae classis puerorum catechumenorum, proposita in Schola Goldbergensi.

Lutheri sermo quem habuit in quodam conuiuio ad Georgium Principem Anhaldinum: SIcut libellus Salomonis vocatur Canticum Canticorum: ita Decalogus est doctrina doctrinarum. . . . . Sacramenta sunt ceremoniae ceremoniarum, ceremoniae super omnes ceremonias, a Deo ipso institutae, vt sint testimonia exhibitae et applicatae promissionis gratiae.

Die Epitome selber gibt nach Voranstellung der Frage nach der Zahl der articuli in Catechismo die Texte der ersten vier Hauptstücke, teilt unter der Überschrift Verba de institutione Absolutionis die Stellen Matth. 16, 19; Matth. 18, 18; Joh. 20, 21—23; Luk. 10, 16; Joh. 17, 18 mit, bringt dann die Einsetzungsworte, schließt unter der Überschrift Dicta de bonis operibus die Stellen Matth. 5, 16; Röm. 8, 12—17; Eph. 2, 8—10; Röm. 6, 11—14; 1. Tim. 1, 19 an und läßt dann das Gebet vor und nach dem Essen, das Morgen- und Abendgebet wie eine Formula precationis quotidianae folgen. — Unmittelbar daran ist dann das folgende angefügt:

J 8. **Quaestiones quas pueri catechumeni ad recitationem Catechismi D. Martini Lutheri in templo adiungebant, praescriptae a Valentino Trocedorfio. Anno 1555.**

Fr. Was muß ein Mensch zur noth wissen, der ein Christ sein wil? **A.** Den Catechiſmum.

Fr. Was ist Der Catechiſmus? **A.** Der Catechiſmus ist ein kurtze vnterweisung in der Kirchenlehr vom Fundament, das ist, von den fürnemsten Artickeln.

K 1. **Fr.** Wie viel sind Artickel vnd Heuptpunct im Catechiſmo? **A.** Fünffe. Der Erste Decalogus oder die Zehen Gebot vnd das Gesetz. Der Ander Symbolum oder die Artickel des Christlichen Glaubens vnd das Euangelium. Der Dritte Das Vater vnser oder das Gebet. Der Vierde Die Lehre vom Sacrament. Der Fünffte Die Lehre von guten Wercken oder vom newen Christlichen Leben vnd Gehorsam.

Fr. Was ist Göttlich Gesetz? **A.** Gottes Gesetz ist ein Lehre, darinn Gott gebeut, was wir thun vnd lassen sollen, Nemlich, wir sollen im Hertzen vnd im gantzen Leben gleichförmig sein dem willen Gottes nach allen Geboten, bey vermeydung ewiger straff vnd verdamniß.

Fr. Sage die Zehen Gebot! **A.** Das Erste Gebot: Ich bin der HERR dein Gott, der dich auß Egyptenland, auß dem Diensthause, geführet hat. Du solt nicht ander Götter haben neben mir — — vnd lange lebest auff Erden etc.

Fr. Was sagt nun Gott von diesen Geboten allen? **A.** Er sagt also: Ich bin der HERR etc.[1])

Fr. Welches ist der ander Artickel oder Heuptpunct im Catechiſmo? **A.** Symbolum oder die Artickel des Christlichen Glaubens vnd das Euangelium.

Fr. Was ist das Euangelium? **A.** Das Euangelium ist die gnedige verheissung, darin vns Gott zusaget vergebung der Sünden, nimpt vns an für gerecht, gibt den heiligen Geist vnd ewiges Leben auß lauter gnaden, allein vmb seines Sohns, vnsers Mitlers willen, vnd gibt solches allen, die da gleuben vnd die verheissung mit Glauben annemen.

Fr. Was ist der Glaube? **A.** Der Glaube ist nicht allein ein erkendtniß der Historien, damit wir alle Artickel annemen vnd für war halten, Sondern ist ein hertzlich zuuersicht, damit du dich erwegest auff die Barmhertzigkeit Gottes, vmb Christi willen verheissen, vnd gleubest gewiß, das dich Gott annimpt, dir deine Sünde vergibet vnd dich erhöret vmb seines Sohns vnsers Mitlers willen.

[1]) 1565 streicht „bin“ im Schluß der Gebote.

Fr. Lesset vns das Euangelium vnd der Glaube also in den alten wesen bleiben? **A.** Trawen nein, Sondern es muß folgen die vernewerung; wenn du mit glauben dich helst an die Verheissung des Euangelij, so wircket der Sohn Gottes Trost im Hertzen durch die stimme des Euangelij, gibt den heiligen Geist, der ein new hertz zurichtet, das ein newer gehorsam in dir angefangen wird vnd ein new heilig Leben folget.

Fr. Wie viel sind Artickel des Christlichen Glaubens? **A.** Drey. Der Erste von der Schöpffung. Ich gleub an Gott den Vater etc. Der Ander von der Erlösung. Vnd an Jesum Christum etc. Der Dritte von der Heiligung. Ich gleube an den heiligen Geist etc.

Fr. Welches ist der dritte Artickel oder Heuptpunct im Catechiſmo? **A.** Das Vater vnser oder das Gebet.

Fr. Was ist recht beten vnd anruffen? **A.** Recht beten vnd anruffen ist im Namen Christi von Gott bitten allerley notdurfft vnd gleuben, das der Vater im Himmel vnser Gebet gnediglich annimpt vnd erhöret vmb seines Sohns vnsers Mitlers willen. K 2.

Fr. Sage her das Gebet? **A.** Vater vnser, der du bist im Himel, Geheiliget werde dein Name, Dein Reich kome, Dein Wille geschehe auff Erden wie im Himel etc.

Fr. Welches ist der vierde Artickel oder Heuptpunkt im Catechiſmo? **A.** Die Lehre von Sacramenten.

Fr. Was ist ein Sacrament? **A.** Ein Sacrament ist ein eusserlich Zeichen von Christo, an die Verheissung des Euangelij angehengt als ein Sigill, vns zuerinnern des gnedigen willen Gottes gegen vns, vnd zeuget, das die vergebung der Sünden dir mitgetheilet vnd zugeeignet werde.

Fr. Wie viel sind Sacrament? **A.** Drey. Die Tauffe, Absolution vnd Abendmal.

Fr. Was ist die Tauffe? **A.** Es ist nicht allein schlecht Wasser etc.

Fr. Was ist die Absolution oder Entbindung von Sünden? **A.** Die Absolutio ist das gnedige Vrtheil, darinn Gott durch des Priesters Mundt dir verkündiget vnd zusaget die vergebung der Sünden vnd dich loß saget vom ewigen verdamniß.

Fr. Beweiß es mit der Schrifft? **A.** Matth. 18. Was ihr auff Erden lösen werdet, sol auch im Himel loß sein. Johan. 20. Wem jhr die Sünde erlasset, dem sind sie erlassen. Luc. 10. Wer euch höret, der höret mich.

Fr. Wie soltu die Absolution annemen? **A.** Du solt sie mit Glauben annemen vnd den worten nicht anders gleuben, denn als spreche sie Gott in eigner stimme vom Himel herab.

Fr. Wie soltu die Absolution suchen? **A.** Du solt beichten vnd dich für Gott demütigen, deine Sünd mit rew vnd leid bekennen vnd begeren das gnedige Vrtheil.

Fr. Wie soltu Beichten? **A.** Bespiegel dich in den Zehen Geboten vnd betrachte, wie dein Hertz vnd gantz Leben sich vergleichet mit Gottes Geboten, so wirstu für dir selber erschrecken müssen vnd wirst erkennen, wie dir der Trost in der Absolution sehr von nöthen sey.

Fr. Wie sol man zum Priester vnd Beichtuater sagen? **A.** Wirdiger Herr, ich bitte euch, jr wollet meine Beichte hören vnd mir die Absolution sprechen im Namen Christi.

Sage an!

WIrdiger Herr, Ich erkenne vnd bekenne für Gott vnd Euch, das ich schüldig bin vnd schwerlich gesündiget habe mit gedancken vnd begierden, mit worten vnd thaten, in meinem gantzen Leben, hab verdienet Gottes ernsten zorn, straffe vnd verdamniß. (1.) Denn ich fürchte, vertrawe vnd liebe Gott nicht von Hertzen; (2.) ich anruffe, ehre, preise vnd dancke Gott nicht, wie ich schüldig bin. (3.) Ich halte mich nicht mit ernstem fleiß zu Gottes Wort, zur Predigt vnd zu den Hochwirdigen Sacramenten. (4.) Ich beweise meinen Eltern (Zuchtmeistern vnd Oberherren) nicht warhafftigen, trewen gehorsam; (5.—10.) Meines Ampts vnd Beruffs warte ich nicht mit gebürendem fleiß; Mein Hertz stecket leider vol Fewer vnd wallet mit boßhafftigen, vnreinen, eigennützigen vnd betrieglichen gedancken vnd begierden, bin geneigt zu allerley vn-
K 3. tugendt vnd Sünde. Das alles ist mir hertzlich leid, Bitte gnade vnd vergebung; ich wil mit Gottes hülff mein Leben bessern vnd ein from Kind werden. Wollet mir das gnedige Vrteil vnd die Absolution sprechen im Namen Christi.

Fr. Was ist das Sacrament des Altars? **A.** Es ist der ware Leib vnd Blut vnsers HERREN etc.

Fr. Welches ist der fünffte Artickel oder Heuptpunct im Catechiſmo?[1]) **A.** Die Lere von guten Wercken oder vom newen Christlichen leben vnd gehorsam.

Fr. Sage den ersten Spruch von guten wercken oder vom newen gehorsam. **A.** Der erste Spruch stehet geschrieben Matth. 5. Also lasset ewer Liecht leuchten für den Leuten — — preisen.

Fr. Sage den andern Spruch. **A.** Der ander Spruch stehet geschrieben Rom. 8. Wir sind Schüldener, nicht dem Fleisch, das wir nach dem Fleisch leben — — Nemlich Gottes Erben vnd Miterben Christi.

F. Sage den dritten Spruch. **A.** Der dritte Spruch stehet geschrieben Ephes. 2. Aus gnaden seid jhr selig worden — — Denn wir sind sein Werck, geschaffen in Christo Jesu etc.

Fr. Sage den vierden Spruch. **A.** Der vierde Spruch stehet geschrieben Roma. 6. Haltet jr euch dafür, das jr der Sünde gestorben seid — — nicht vnter dem Gesetze seid, sondern vnter der Gnade.

Fr. Sage den fünfften Spruch. **A.** Der fünffte Spruch stehet geschrieben 1. Tim. 1. Vbe ein gute Ritterschafft — — im Glauben Schiffbruch erlitten haben.

Fr. Wie sol man des Morgens beten? **A.** Das walt Gott der Vater etc. Ich dancke dir, mein Himlischer Vater etc.

Fr. Wie sol man des Abendts beten? **A.** Das walt Gott der Vater etc. Ich dancke dir, mein etc.

---

A a 2. **Ascendit in coelum, sedet ad dextram DEI Patris omnipotentis.** Toto pectore, et voce profitemur, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, post longam, et dulcem quadraginta dierum consuetudinem, et familiaritatem, cum matre sua, Apostolis, et uniuerso coetu Ecclesiae, comitante magno agmine resuscitatorum hominum, spectante tota multitudine, euectum esse, ex hoc mundo visibili, in coelum, ad vitam, gloriam, et regnum coeleste.

Quae sunt praecipuae commonefactiones, in hoc Articulo? Primum teneatur hoc: Istum Articulum Symboli, ut etiam reliquos, nequaquam esse transformandum in Allegoriam: Sed retinendum esse simplicem intellectum vocabulorum, quem monstrat litera, seu, Grammatica. Quia narrationes historicae, sunt rerum, quae vere ita euenerunt, et in propositionibus Decalogi, et Articulorum Symboli, non sunt fingendae Allegoriae.

Ascendit, Hoc est, ex loco inferiori, euectus est ad locum superiorem. In coelum, id est, in locum coelestem, quem Paulus nominat sursum, ubicunque sane ille est.

Sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis. Translatus est visibiliter locatione corporali in coelum, sed ita, ut sit ad dextram A a 3. Dei patris, hoc est, ut exaltatus in regno et sacerdotio teneat omnipotentem gubernationem, una cum aeterno patre, ad quem adducet post uniuersale iudicium uniuersam Ecclesiam electorum.

Ascendit vero spectante magna multitudine. Primum, ut Ecclesia certo posset statuere, eum non euanuisse, aut non esse amissum, ut spectrum: Sed illam ipsam naturam humanam, assumptam ex virgine, et resuscitatam, in coelum euectam esse ad dextram Dei, ubi Christus, qui est caput electorum, monstrat beatis patrem in clara luce et immediate.

Deinde, isto triumpho visibili, voluit eximere Apostolis somnium, de regno corporali, et eos erudire, de regno suo coelesti, et spirituali, cuius fit incoatio in hac vita secundum doctrinam in Euangelio traditam.

Continet igitur hic Articulus duo capita doctrinae praecipua: Locum de glorificatione et exaltatione humanae naturae in Christo. Deinde doctrinam de regno Christi.

Glorificatio Christi post resurrectionem. Est accessio excellentis et ineffabilis gloriae qua non amittitur aut abiectis idiomatis suis mutatur substantia naturae assumptae ex virgine, sed corpus fit ex

infirmo, passibili, et mortali, impassibile, immortale, agile, lucidum, leue, cum conspectu essentiae diuinae ac praerogatiua ingenti donorum, in tali gradu, qui antecellit omnibus creaturis, Et qua fit exaltatio huius personae missae in regno, et Sacerdotio, ita, ut hic Dominus exaltatus supra omnes creaturas, secundum utramque naturam deinceps sit gloriosum caput Ecclesiae perficiens omnia in omnibus electis.

Sedet ad dextram Dei. Articulus Symboli, perspicuum monstrat discrimen, inter glorificationem Christi, et aliorum Electorum. Etiam alij beati sunt sursum, fruuntur laeto conspectu diuinitatis. Sed Christus est sursum ad dextram Dei. Collocatus est in arcanam lucem, et laeticiam inaccessibilem creaturis, ut regnet aequali potentia cum patre. Ideo non dicitur tantum glorificatus, sed etiam exaltatus scilicet, in regno et sacerdotio. Ac antecellit natura humana Christi, in gradu gloriae, beatitudinis et laeticiae, omnibus creaturis, eo ipso, quod exaltata est ad regnum, et sacerdotium aeternum, et quod unica latria inuocatur Dominus noster Jesus Christus Deus et homo, assidue pro Ecclesia intercedens, et eam colligens, protegens seruans, et saluans. A a 4.

Est igitur caput Ecclesiae, Efficatia, Perfectione, Merito, et Ordine. 1. Haec persona proprie missa est, ut immediate per eam colligatur Ecclesia, haec persona ab initio profert Euangelium, adest Ecclesiae, seruat ministerium, et immediate protegit electos, contra omnes furores Diaboli. Est etiam haec persona immediate in credentibus efficax, docet, sustentat, et viuificat sua membra. — Etsi autem haec efficatia est capitis, secundum diuinam naturam, tamen efficax est in natura assumpta. Nam ideo factum est decretum, de assumenda natura humana, ut hoc modo fieret unio electorum cum Deo. Et ista est gloria naturae humanae in Christo, quod exaltata supra omnes creaturas massa, quam ὁ λόγος ex virgine assumsit, verissime socia est victoriae, qua caput serpentis conteritur, et quod adoratur ab Angelis, quodque depellit diabolos et protegit Ecclesiam, et multa potenter agit, quae capiti congruunt.

Actiones igitur sunt totius personae, et multae fiunt ministerio naturae assumptae.

Ut in homine, cor, fons vitae, residens in centro, et domicilio suo, vitam transfundit in omnia membra corporis, eaque per substantialem flatum, per Spiritum, sibi copulat, ut omnia viuant communi vita: Ita λόγος ἀπαύγασμα aeterni patris, hauriens vitam ab aeterno patre, viuificat et suam massam in virgine assumtam, et ex eadem sua massa, similem Spiritum emittit in credentes, fide sibi insertos, ut in illis accendatur similis lux, iusticia, et vita corformis Deo. Nec ideo confunditur distinctio, inter creatorem, et creaturam, aut inter statum inchoationis, et consummationis.

Ad hunc gradum, quo Christum diximus esse caput Ecclesiae primum efficacia, congruit dictum: Data est mihi omnis potestas, in coelo, et in terra. CHRISTVS enim est illa persona, quae in vita coelesti, immediate est efficax in sanctis, et in hac vita seruat ministerium, et Ecclesiam, et sua efficacia viuificat electos: sine ulla tamen physica confusione vel naturarum vel proprietatum, vel actionum in ipso. Nam et sententiarij, seu, scholastici fatentur, nomen capitis toti personae salua-

toris tribui, et alias capitis proprietates competere ei secundum humanam naturam, alias secundum diuinam. Ideo et Christus Mat: ultimo loquitur in concreto, Mihi data est omnis potestas scilicet, colligendae, sanctificandae, potenter protegendae, et gloriose liberandae Ecclesiae. — 2. Est caput perfectione. Quia est natura Deus, et quia natura humana Christi, superat sapientia, potentia, et iusticia, omnes creaturas. — 3. Est caput merito. Quia Christus, Deus, et homo, est precium redemptionis, impetrans sua perfectissima obedientia, redemptionem, et salutem aeternam. Igitur iustum est, eum esse superiorem uniuersa Ecclesia, etiam secundum humanam naturam. — 4. Est caput ordine, iuxta missionem. Quia ista persona, primo missa est ad Ecclesiam, et est praecipua propter naturam diuinam, et propter excellentiam naturae assumptae, quae certe dignitate antecellit angelis. — De hac efficatia Christi, et inhabitatione in sanctis, sunt multa illustria testimonia scripturae. Ego sum vitis, vos palmites. Ipse est caput Ecclesiae, omnia in omnibus perficiens. Qui adhaeret Domino, unus est cum eo Spiritus. Viuit in me Christus. — Ad defensionem, quae propria est aeterni regni, congruunt haec dicta: Nemo rapiet oues meas, de manibus meis. Portae inferorum non praeualebunt aduersus eam. — Ad aeternum Sacerdotium pertinent hae sententiae: Semper viuens, ut semper interpellet pro eis. Tu es Sacerdos in aeternum etc. — Igitur hic Articulus, et expositio eiusdem, opponitur omnibus praestigijs Eutychianis, et Martioniticis, quae CHRISTO veritatem naturae humanae detrahunt, et eripiunt pijs mentibus consolationem, quam expectant ab illo Domino, qui in omni aeternitate est os de ossibus nostris, et caro, de carne nostra.

A a 5.

Testimonia scripturae, et Antiquitatis. Prodest autem iunioribus, nota esse aliqua illustria dicta scripturae, et perpetuam sententiam antiquitatis, quam quidem etiam in illa sua caligine regnum Pontificium, constanter retinuit.

A a 6.

Orthodoxi, qui in antiquitate sinceriore refutarunt sectatores Eutychetis, dictos Acephalos et Monophysitas, tribuentes Christo corpus post glorificationem, sine proprietatibus substantialibus humani corporis, dicunt: Post resurrectionem, corpus Christi, ex mortali factum est immortale, ex materiali, minus materiale. Sed non propterea caret circumscriptione, et figura, Cadit enim sub tactum, et aspectum, Estque creatum, Nec ei possunt ea tribui, quae sunt propria diuinitatis, cum essentiales proprietates Dei nihil differant ab essentia diuina communi trium personarum. Ac manifestum est, sermone diuino, et usitata consuetudine, tantum illam substantiam nominari corpus, quae habet suas dimensiones finitas, et circumscriptas loco.

Haec congruunt cum perspicuis scripturae textibus: Videte, et contrectate me, Spiritus carnem et ossa non habet, sicut videtis me habere: Surrexit, non est hic. Videbitis eum redeuntem, sicut assumptus est. Cernetur in nubibus. Habebit alios stantes a dextra, alios a sinistra, Item: Me non semper habebitis vobiscum. Et Paulus inquit, nos corpore peregre abesse a Domino. Item: Petrus inquit: Dominum profectum esse in coelum.

Ita Ignatius, In Epistola ad Smyrnaeos affirmat, se non in eo solum, quod natus et crucifixus sit Christus, agnoscere ipsum in corpore

fuisse, verum etiam post resurrectionem se in carne ipsum nouisse, et credere esse, seu, ut graeca verba sonant, *μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα, καὶ πιστεύω ὄντα οὐ δοκήσῃ ἢ φαντασίᾳ, ἀλλ' ἀληθῶς*: Ait retinere Christum carnem, non imaginariam, aut phantasticam, sed veram. — Sic etiam locutus est Tertullianus, de Trinitate, inquiens: Si homo tantum modo est Christus, quomodo adest ubique inuocatus? cum hoc hominis naturae non sit, sed Dei, ut adesse omni loco possit. — Et Athanasius in disputatione contra Arium: Eius est ire, et venire, qui aliquibus locorum terminis circumscribitur, et eum in quo erat deserens locum ad eum, ubi non erat, veniebat. Caeterum verbi diuinitas, uniuersa implens, nullis locorum terminis separatur, sicut nihil est unde discedat, sic nihil est quo veniat. — Augustinus expresse inquit: Christum carni immortalitatem dedisse, naturam non abstulisse, et secundum corpus esse in loco aliquo coeli, propter veri corporis modum. — Theodoretus: Aa 7. *τὸ δεσποτικὸν σῶμα ἄφθαρτον μὲν ἀνέστη, καὶ τῇ θείᾳ δόξῃ δεδοξασμένον. σῶμα δὲ ὁμῶς ἐστὶ τὴν προτέραν ἔχον περιγραφήν.* — Cyrillus: Credere oportet fideles, Christum, quamuis a nobis corpore absit, virtute tamen sua nos gubernare, adesseque semper ipsum, omnibus, qui eum diligunt. — Ita Vigilius: Nunc quia in coelo est, non utique est in terra, circumscribitur enim loco per naturam carnis suae, et loco non capitur per naturam diuinitatis suae. Cogitent vero recentes patroni huius noui dogmatis, quam malarum rerum sint defensores. Primi architecti, harum praestigiarum, hoc quaesiuerunt, ut Christo tribueretur natura verbo quidem diuina, sed reipsa inaequalis essentiae patris, et colligata corpori, ita, ut non sit extra corpus, et ornata tantum quibusdam donis, et praerogatiuis diuinis. Eo enim tendunt illae sophisticae confusiones naturarum, proprietatum, et actionum.

Nos alloquimur, in inuocatione, Mediatorem, exaltatum ad dextram aeterni patris, verum Deum, et hominem, et petimus, ut in nos effundat de suo spiritu, qui in ipsius glorificata massa humana fulget, et ut per hunc in nobis creet nouum hominem, factum ad similitudinem Dei, et nos cum ipso Filio, et aeterno patre, copulet ad veram, et aeternam vitam, iuxta dulcissimas promissiones: Quanto magis dabit pater vester coelestis, Spiritum sanctum, petentibus. Erimus similes ipsi. Effundam super domum Dauid, Spiritum gratiae, et precum. Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit, ac fouet eam, sicut Dominus Ecclesiam.

Quartum Caput Catecheseos, De Sacramento Baptismi. K k 5.

Doctrina de Sacramentis in genere. Quid significat vocabulum Sacramentum in veteri lingua? Significat arcanam siue confoederationem, siue coniurationem, ad seruandos certos ritus sacrorum, et ad alia ciuilia quaedam officia praestanda. Apud omnes enim gentes, in antiquitate Ethnica, fuerunt certa quaedam collegia, et arcana foedera, inter se deuincta quibusdam vinculis religionis, quae sunt nominata Sacramenta, quasi sacrae promissiones. — Graeci nominant *μυστήρια*, a velando, vel occultando. Quia praesides sacrorum stabant velati, et ritus sacri non spargebantur inter profanos, qui non erant initiati, et non erant recepti societatem. — Romani iuramenta militaria nominant

Sacramenta, quia militia est quoddam foedus, quod etiam obligabat tunc milites, ad certa sacrificia, et alios ritus.

Quid nominatur Sacramentum in Ecclesia? Sacramentum
K k 6. in nouo testamento, est ritus diuinitus institutus, additus promissioni in Euangelio traditae, ut sit testimonium, et pignus, exhibitae, et applicatae promissionis gratiae, ad singulos. Ideo olim recte dictum est: Sacramentum est signum gratiae.

Propter quas causas promulgationi promissionis, sunt additi ritus? Duo sunt potiores fines Sacramentorum. 1. Sacramenta sunt signa promissionis, commonefacientia nos de promissione, et sunt signa applicantia, id est, testificantia, quod promissio ad singulos pertineat. Ideo vero adduntur promissioni haec sigilla, quia spectacula incurrentia in oculos, magis mouent animos, et facilius retinentur, quam nuda verba promissionum generalium. 2. Sunt signa confessionis, et societatis cum Ecclesia. Deus vult conspici Ecclesiam, et singulos fieri membra Ecclesiae visibilis. Ideo coetui vocatorum, vel Ecclesiae visibili, dedit quaedam signa, quae manifeste distinguunt Ecclesiam ab alijs congregationibus. — Prior finis est principalior. De eo loquitur Paulus, cum circumcisionem nominat *σφραγίδα δικαιοσύνης*, sigillum iusticiae, quia erat signum confirmans fidem, et testificans promissionem de iusticia, pertinere ad Abrahamum. Postea quodlibet Sacramentum, habet suas peculiares significationes, ut suo loco dicetur.

Quae fuerunt Sacramenta veteris Testamenti? Ante diluuium, externum signum additum promissioni, fuit inflammatio agni, qui consumebatur coelesti flamma. Quanquam et in natura adhuc integra, prohibitio de fructu arboris vitae, debuit esse quasi Sacramentum, id est, exercitium obedientiae, propositum homini. Sed post diluuium, quando promissio de semine salutari fuit renouata, et restricta ad posteritatem Abrahae, additum est nouum signum, scilicet, Circumcisio.

Quid significabat Circumcisio? Primo, et principaliter erat testimonium de promissione gratiae, et applicatione promissionis generalis ad singulos. 2. Discernebat gentem Judaicam, in qua erat nasciturus, et concionaturus Messias, ab omnibus alijs populis. 3. Fuit ordinata in illa arcana parte corporis, ut esset miranda admonitio de
K k 7. venturo semine ex posteris Abrahae, sicut antea dictum fuerat in prima promissione: Semen mulieris, conculcabit caput serpentis. 4. Circumcisio significabat in hac generatione carnali, naturam hominum nasci ream, immundam, et praecidendam, hoc est, morti addictam, sed propter promissum semen, iuxta verbum, Ecclesiam habituram esse, nouam, et aeternam iusticiam, et vitam. — Constituta deinde Politia Israël, signa fuerunt, Mactatio agni in Paschate, et multae Ceremoniae Leuiticae et sacrificia typica.

Rectene a Pontificijs numerantur septem Sacramenta, Noui Testamenti? Cum Sacramenta nominentur actiones a Deo institutae, ut sint testimonia promissionis gratiae, et habeant adiunctam promissionem gratiae, facile intelligi potest hoc nomen non tribuendum esse alijs actionibus, vel operibus, siue moralibus, siue Ceremonialibus.

Vita coniugalis, Et alia opera praecepta in Decalogo, habent quidem mandata a Deo, et adiunctas promissiones praemiorum. Sed non

sunt mandata, vel instituta, ut sint testimonia promissionis gratiae, neque proprie habent adiunctam promissionem gratiae, vel iusticiae aeternae, neque tantum sunt opera noui testamenti. Ideo coniugium non recte nominatur Sacramentum.

Poenitentiae nomen, Complectitur opera mandata in lege Dei, et appraehensionem beneficiorum Euangelij. Illorum autem bonorum, seu, beneficiorum in Euangelio promissorum confirmationes sunt Sacramenta. Sed ipsa conuersio, seu poenitentia improprie Sacramentum nominatur.

Ritus confirmationis, Quem retinent Pontificij, prorsus inane spectaculum est, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiae adiunctam habens. Exploratio autem et professio publica doctrinae, item publica precatio, pro confirmatione fidei, et donorum Spiritus sancti, et praecepta est, et utilis. — De more seruando in ordinatione ministrorum Euangelij, supra dictum est.

Tridentina Synodus valde pugnat De unctione. Respondeo. Ritus unctionis Papisticae, qui nunc est in usu, est manifesta impietas, Quia consecrationes olei, quae nunc fiunt, sunt similes Magicis: Additur item inuocatio mortuorum. Haec expresse damnata sunt voce diuina. K k 8.

Contra: Apostolis fuit in usu unctio. Ergo et nobis debet esse. Respondeo. Falso citantur exempla Apostolorum, qui adhibebant olea, ad sanationem morborum, et hoc fuit donum miraculosum, attributum primae Ecclesiae. Nunc fingunt pontificij unctione tolli peccata, Et manifestum est, huic ritui unctionis, non esse adiunctam promissionem gratiae.

Quot sunt igitur proprie Sacramenta Noui Testamenti? Duo. Baptismus, et Coena Domini. Si quis vult addere Absolutionem, propter promissionem traditam: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: Cum eo non pugnabimus.

Quomodo audacia humana Sacramenta solet corrumpere? Corruptelae insigniores sunt duplices omnibus aetatibus. Maxima multitudo obliuiscitur promissionis, sicut olim Ethnici, et vertit signa in numina, seu Deos, sicut Chaldaei, et Persae ignem finxerunt esse ipsum Deum, quia audiuerunt igni ex coelo delapso, incensas esse victimas. — Alij fingunt ipsos ritus esse opera, quae merentur remissionem peccatorum, et hac opinione cumulant illa opera, et subinde nouas Ceremonias, et nouos Deos excogitant. Sicut Ethnici comminiscebantur varios cultus, et varia numina: Ita Pontificij ritum coenae verterunt in numen, et de Missa, et ritibus Monasticis dixerunt, haec opera mereri remissionem peccatorum.

Quae sunt generales Regulae, vel Admonitiones, de Sacramentis? 1. Regula. Tenendi sunt veri fines Sacramentorum, reiectis omnibus abusibus. 2. Nulla creatura potest instituere Sacramentum, vel ullum opus, quod habeat rationem Sacramenti, quia solus Deus edit promissionem gratiae, et signa testificantia de promissione. 3. Nihil habet rationem Sacramenti, extra usum institutum. Cum mutatur ritus, aut, extra ordinem institutum, transfertur ad alios usus, non est Sacramentum, sed actio superstitiosa, seu, Idolum. Ut Panis, qui a sacrificula circumgestatur et adoratur, non habet rationem Sacramenti, sed est horribilis profanatio Sacramenti. 4. In adultis in usu Sacramentorum, necessaria est fides, qua singuli se sustentent promissione Ll 1.

gratiae, et intuentes testimonium illud, confirmentur, et statuant, non propter hanc obedientiam dari gratiam, sed gratis, propter Filium Dei. Ideo expresse damnandum est deliramentum Pharisaicum, quod dicit per Sacramenta, ex opere operato, sine bono motu utentis, dari gratiam.

Baptismus.

Quid est Baptismus? Est instituta a Filio Dei mersio in aquam cum pronunciatione verborum: Ego baptizo te, in nomine Patris, et Filij, et Spiritus sancti, ut sit testimonium, eum, qui cum hac pronunciatione verborum mergitur, reconciliari Deo propter Christum, et sanctificari Spiritu sancto, ad vitam aeternam.

Quae est sententia verborum Baptismi? Ego Baptizo te, in nomine, Patris et Filij et Spiritus sancti, id est, ego minister hoc ritu testificor, in nomine, id est, ex mandato diuino, te qui sic mergeris, recipi a vero Deo in gratiam, qui est aeternus pater Domini nostri IESV CHRISTI, et recipi te propter Filium, et sanctificari te Spiritu sancto. Et quidem testificor te recipi in nomen, id est, ad agnitionem, et inuocationem veri Dei, qui est pater aeternus, Domini nostri IESV CHRISTI, et Filius, et Spiritus sanctus, et recipi te propter Filium Redemptorem Ecclesiae, et sanctificari Spiritu sancto, quem Deum agnosces, et inuocabis, ideoque palam testaris hoc Baptismo, te omnia commenticia numina execrari.

Effectus, et fines Baptismi. 1. Baptismus est testimonium receptionis et insertionis in Ecclesiam, eo ipso quod testificatur ablui peccata nostra et nos reconciliari Deo, et recipi propter filium in societatem bonorum Ecclesiae, et regni coelestis haereditatem. Ac in Baptismo cogitandae sunt duae relationes. Prima, foederis quod Deus facit cum homine. Deus recipit te propter Filium, et per eum delet tua peccata, et sanctificat te ad vitam aeternam. Hoc foedus omni tempore ratum est, conuersis ad Deum, et credentibus. Secunda, obligationis mutuae baptizati ad Deum, sicut dicitur: Baptismus est stipulatio bonae con-
L12. scientiae erga Deum. Stipulatio, Significat promissionem, quae fit ad interrogationem alterius. Tu agnoscis hunc esse verum Deum, qui se in filio patefecit, et hunc verum Deum inuocas fiducia Filij, et isti debes obedientiam secundum Euangelium.

Synodus Tridentina allegat dictum: Post naufragium humanae naturae, duae tabulae salutis sunt datae hominibus, scilicet, Baptismus, et hac prima tabula amissa, dolor poenitentiae. Respondeo. Hoc dictum non est absurde intelligendum, quasi lapsis, et adultis foedus in Baptismo factum, non sit ratum, nec recuperari possit prima tabula semel amissa. Sed oppositum fuit Nouatianis, qui lapsos post Baptismum, negabant rursus conuerti posse ad Deum. Certum est enim conuersos vere recipi in totam Arcam Nohae, id est, in possessionem integram promissionum Ecclesiae, propter Mediatorem. 2. Prior significatio Baptismi est, nos mergi in sanguinem Christi, et ablui a peccatis, ac Christum induere. Postea significat etiam Ecclesiam mergi in afflictiones et mortem, ut reliquiae peccati absorbeantur.

Suntne infantes Baptizandi? Sunt. Et confirmatur hoc Argumento. Omnes Saluandos oportet inseri Ecclesiae, iuxta regulam:

Extra Ecclesiam non est salus. Quos elegit, hos vocauit. Ad infantes pertinet promissio gratiae, et salutis aeternae. Sunt igitur baptizandi, et inserendi Ecclesiae. — Minor est manifesta. Dominus inquit: Sinite paruulos venire ad me, quia talium est regnum coelorum. Nec est voluntas patris, ut pereat unus de paruulis istis.

Argumentum Anabaptisticum. Baptismus sine fide est irritus. Infantes non habent fidem, quia fides ex auditu est. Ergo non sunt baptizandi. Respondeo. Maior, et probatio Minoris loquuntur de adultis recipientibus Baptismum, in quibus requiritur poenitentia, et fides. Sed de infantibus hoc fatis est tenere, quod Spiritus sanctus per baptismum sit in ipsis efficax, efficiens nouos motus et inclinationes ad L13. Deum pro ipsorum modo, cum promissio Euangelij, S. sancti, et vitae aeternae pertineat ad infantes, iuxta dicta Christi, paulo ante recitata: Ex quibus sequitur in Baptismo, qui est signum et testimonium adoptionis. Spiritum sanctum illis dari, et inchoari in eis iusticiam Deo placentem, pro captu, et aetate ipsorum. — Dulcissima promissio est: Ero Deus tuus, et seminis tui. Ergo infantes piorum in Ecclesia, pro quibus funduntur preces ad Deum, et per Baptismum inseruntur Ecclesiae, vere fiunt haeredes aeternae vitae. — Ac mos Baptizandi infantes fuit comprobatus, et receptus etiam vetustissimis temporibus in prima et puriore Ecclesia, ut testantur perspicua dicta, Origenis, Cypriani, et Augustini, quae citantur in locis Theologicis Philippi Melanthonis.

Absolutio Priuata.

Quare retinetur mos priuatae Absolutionis? 1. Propter consolationem conscientiarum, Ut extet testimonium, voce Euangelij, multis, et singulis, annunciari gratuitam remissionem peccatorum, iuxta dictum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Item: Si dixerit, poenitet me, remitte ei. — 2. Iste mos, ostendit perspicuum discrimen, Legis et Euangelij in Ecclesia. — 3. Exemplum hoc ostendit, in Euangelio traditum esse mandatum, de remissione peccatorum, sicut Petrus Alexandrinus, hunc publicum ritum citauit contra Nouatianos. — 4. Rectius potest fieri exploratio doctrinae, et rudiores commodius possunt erudiri, in priuata absolutione. — Sed diuina remissio non intelligatur esse tantum alligata ad priuatam Absolutionem. Quia vere fit remissio in omni vera conuersione in qua recte cogitata promissione Euangelij, fide accipitur consolatio. Et ipsa coena Domini, habet vim priuatae absolutionis, quia Sacramenta sunt applicationes promissionum. — Potest autem peti Absolutio priuata, sine enumeratione delictorum.

Forma petendi Absolutionem a ministris Euangelij.

Venerande Domine, reuerenter peto, ut meam confessionem audias, L14. et mihi absolutionem pronuncies.

Toto pectore agnosco, et deploro naturae meae immundiciem, caliginem, et omnem meam ἀταξίαν, et fateor, me multiplicibus delictis, pugnantibus cum lege, et voluntate Dei, attraxisse mihi iram Dei, poenas aeternas, et praesentes. Vere igitur cum Propheta clamo: Tibi tantum Domine sum peccator, et malum coram te feci. Ante tuos oculos, nil, nisi culpa sumus. Supplex autem confugio, ad Filium Dei, Dominum

nostrum IESVM CHRISTVM, quem aeternus pater constituit nobis *μεσίτην*, et *ἱκέτην*, et secundum promissionem Euangelij vere statuo, propter ipsius obedientiam recipi me in gratiam, donari mihi remissionem peccatorum, iusticiam, Spiritum sanctum, et haereditatem aeternae vitae, iuxta vocem Juramenti: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed, ut conuertatur, et viuat. Huic uniuersali mandato, et promissioni Dei, assentior fide, quamuis languida, sed fide tamen. A te autem Ecclesiae ministro, peto, ut mihi etiam agenti poenitentiam, et credenti, diuinam remissionem seu absolutionem a peccatis annuncies et applices mandato Christi, qui dixit: Quorum remiseritis peccata remittentur eis.

Forma praescripta cuidam adolescenti a Philippo Melanthone.

Venerande Domine. Confiteor coram Deo, et vobis, ministro ipsius, me esse natura miserum peccatorem, indignum beneficijs, et misericordia Dei, et vita aeterna. Illam indignitatem ego auxi actualibus peccatis multis, quod non satis credo promissionibus, et comminationibus diuinis, non timeo, non diligo Deum, sum impatiens, non diligenter oro, sum ignauus, et negligens in studijs, non reuerenter colo parentes, et Praeceptores, ut debebam, non sum sollicitus pro publica pace, et Ecclesia etc. Horum me poenitet, et sentio Deum irasci mihi propter peccata, nisi agam poenitentiam: Peto igitur, ut mihi annuncietis absolutionem, in nomine Domini nostri IESV CHRISTI, qui ait: Quidquid solueritis, erit solutum, Et quidquid ligaueritis, erit ligatum. Ego, Deo iuuante, emendabo meos mores, et vitam, et vicissim Deum pro vobis precabor.

Quintum Caput Catecheseos,

Doctrina de Saluberrima Coena Christi.

L15. Quae sunt appellationes publici ritus Coenae Domini? 1. Iste ritus simplicissima appellatione nominatur Coena Domini, 1. Cor. 11. — 2. Ecclesia Graeca hunc ritum appellauit *λειτουργίαν*, quod significat administrationem publici boni, ut alias dictum est. Significat igitur hoc vocabulum non sacrificium, sed ministerium, quo fit distributio Sacramenti. — 3. Appellatur *σύναξις*, a congregatione, quia unus ex praecipuis finibus est, ut haec ceremonia, sit neruus publicae congregationis. — 4. Nominatur *εὐχαριστία*, quia Filius Dei vult fide, in usu coenae, accipi sua beneficia, et rursus vult sibi agi gratias, de toto beneficio redemptionis, et collectionis Ecclesiae. — 5. Multi ex veteribus ritum hunc nominant *ἀγάπην*, quia iste, ut sic nominem, conuictus, est foedus mutuae dilectionis inter pios, et quia olim, simul ad coenam Domini afferebantur, panes et aliae res distribuendae pauperibus, ut apparet ex historijs et ex Epistola ad Corinthios. — 6. Romani peculiari nomine, appellarunt ritum hunc MISSAM. Hoc vocabulum est ambiguae originis. Aliqui deducunt ex etymologia Hebraea, ex appellatione quae est Deut. 16. Ubi Missa significat contributionem, quia vetustissima consuetudine, in publicis congressibus fiebant contributiones, pro sustentatione inopum. Alij malunt retinere originem Latinam. Cyprianus Remissam nominat remissionem peccatorum. Ita missa significat remissionem.

Sacerdos peracta communione, annunciat remissionem peccatorum: λάοις ἄφεσις ἔστω, populis sit remissio. Latini dixerunt: Ite missa est, id est, sit vobis remissio, qui accessistis ad communionem. Sed quia in superstitionibus barbaricis nomina saepe sunt fatalia, forte nomen deductum est ab appellatione Idoli, quod apud Danielem nominatur Maozim. Nam congruit id certe ad nomen Maza, quod significat panem, vel cibum. Et scriptum est in Daniele: Deum Maozim, colet auro, et argento. Haec monentur, ut pij cogitent de Idolo Missae, quod colitur ventris causa, et est horribilis profanatio, et deprauatio saluberrimae coenae Domini.

Quid est coena Domini? Est communicatio corporis, et sanguinis Domini nostri IESV CHRISTI, sicut in verbis Euangelij instituta est, in qua sumptione Filius Dei, vere, et substantialiter adest, et testatur se applicare credentibus sua beneficia, et se assumsisse humanam naturam propter nos, ut nos quoque sibi insertos fide membra sua faciat, et nos ablutos esse sanguine suo: simul etiam testatur se velle in credentibus deinceps esse, et se, cum sit λόγος aeterni patris, docere, viuificare, et regere credentes, sicut inquit: Manete in me, et ego in vobis. Et sicut Hilarius inquit: Haec sumpta, et hausta, faciunt, ut Christus sit in nobis, et nos in Christo. L16.

Quae est simplicissima enarratio verborum institutionis? Verba Euangelistarum, et Pauli, instituunt unam communem coenam. Ista ordinatio, est opponenda abusui de particularibus coenis in uno loco, id est, de priuatis Missis et oblationibus, qui abusus idolatricus multis saeculis postea natus est.

HOC EST CORPVS MEVM, quod pro vobis datur, id est, quo ego sum victima pro genere humano. Paulus nominat κοινωνίαν corporis Christi, ut intelligatur in usu instituto hanc sumtionem esse pignus verae, admirandae, et efficacis Christi praesentiae, qua efficimur socij et membra corporis ipsius vere pro nobis in mortem traditi, et gloriose resuscitati atque exaltati post victoriam. Hic est calix noui Testamenti, id est, ritus, seu pignus, et sigillum noui Testamenti, et quidem Calix, quo sumitur sanguis Christi. Testamentum enim est promissio, et ordinatio morituri. Et Zachariae 9. expresse dicitur de sanguine testamenti Messiae.

Certe Testamentum Christi Est promissio gratuitae remissionis peccatorum, Spiritus sancti, iusticiae, et vitae aeternae. Nam haec beneficia sunt res gratis donatae hoc testamento, id est, promissione Euangelij propria.

Sed vetus Testamentum, Est promissio Politiae, cum obligatione ad seruandam legem, per Mosen traditam, quae Politia constituta est, ut in ea conseruaretur promissio de Messia, et ibi Messias exhiberetur, propter quem, et semper ibi aliqua electorum Ecclesia fuit.

Quare Nouum Testamentum, Est promissio aeternorum bonorum, remissionis peccatorum, Spiritus sancti, iusticiae, et vitae aeternae, quae propter Messiam gratis exhibentur, non propter legem, omnibus in vera poenitentia credentibus, in filium Dei mortuum et resuscitatum, qui et intelligunt abolitum esse usum illius Politiae, sicut ipsam promissionem de certo hospitio Ecclesiae. L17.

Hic ergo Calix est nouum Testamentum, quia est pignus exhibitionis verorum et aeternorum bonorum, propter sanguinem filij Dei effusum in

ipsius morte, cuius in hac coena piam recordationem publice priuatimque fieri oportet. Atque ita hic ritus non est principaliter sacrificium, non est legalis typus, neque est inanis ceremonia, sed est certissimum pignus, quod vere nobis exhibeantur et distribuantur bona legata a Filio Dei, iubente hunc ritum seruari donec ipse venerit, cum tamen nobiscum sit usque ad consummationem seculi.

Quae est declaratio propositionum apud Paulum? Benedicere, usitata phrasi scripturae significat, aut Deo gratias agere, ut cum Psalmo 34. dicitur: Benedicam Domino omni tempore: Aut bona precari, ut Genesis 49. scriptum est Jacob benedixit filijs. Sed cum Deus benedicit simul benefacit, quia dicendo efficit bona. Calix igitur benedictionis, significat calicem et gratiarum actionis, pro beneficio redemptionis, et gratiarum actioni adiunctae petitionis, ut haec sumptio vero sit nobis *κοινωνία* corporis et sanguinis Christi, id est, salutaris, ad alendam, et excitandam fidem, et omnia dona Spiritus sancti. Ita et Euangelistae usurparunt promiscue verba, *εὐλογήσας, καὶ εὐχαριστήσας*, quibus significatur, Dominum in hac sacra coena velle fieri piam gratiarum actionem, qua corda se vere Deo subijciant et ipsum ardenter inuocent. Benedicere Calici, significat recitare verba tradita a Domino, precationem, gratiarum actionem, et hac actione hanc coenam discernere a profano cibo, qui habet usum physicum, et pascit corpus nostrum. Calix benedictionis, Est communicatio sanguinis Christi, eo quod illa externa et visibili re vere sanguis Domini nobis exhibetur, in usu diuinitus instituto, et ita quidem, ut vere abluamur et viuificemur sanguine filij Dei pro peccatis nostris effuso. Panis quem frangimus, Est communicatio corporis Christi, eo quod illa externa et visibili re vere exhibetur nobis corpus Christi, in usu diuinitus instituto, et ita quidem, ut vere efficiamur socij, et membra corporis Christi pro nobis in mortem traditi et resuscitati.

Ll 8. Quis est fructus sumptionis? Recte dicitur, sumptionem fieri ad exuscitandam et confirmandam fidem, videlicet, ut applicentur nobis beneficia Christi non ex opere operato, sed fide. Quia coena Domini, est testimonium exhibitae promissionis Euangelij, et applicatae ad singulos, testificans nos ablui precioso sanguine Christi, et nos inseri sacrosancto corpori ipsius vere volentis animas et corpora nostra viuificare ad vitam aeternam.

Quae est sententia verborum. Hoc facite ad mei recordationem? Instituit Christus piam sumptionem, et in ea vult fieri salutarem recordationem mortis, ac resurrectionis suae, et omnium beneficiorum suorum.

Quotuplex est igitur ea recordatio? Duplex, Publica, et Priuata. Recordatio publica complectitur professionem uniuersae doctrinae de Filio Dei, de remissione peccatorum, de restitutione vitae aeternae, de applicatione horum beneficiorum, seu de fide. Deinde publicam gratiarum actionem, et consolationem de collectione, gubernatione et conseruatione perpetua Ecclesiae in hac vita. Priuata recordatio, in specie seu nominatim sibi fide applicat beneficia Christi, testificans et statuens, cum singulis nostrum Filium Dei facere foedus, quod nos dementer recipiat, et communicatione sui corporis, et sanguinis nos

membra faciat sui corporis, abluta suo sanguine, nosque vicissim cum ipso foedus facere, quod ei credamus, et beneficia eius grati accipiamus, nec dubitemus ipsum in nobis efficacem esse, et nostram miseram massam sibi insertam seruare ac viuificare velle.

Recensentur ergo fines hoc ordine. 1. Exuscitetur et confirmetur fides, cogitans de tota summa Euangelij, id est, cogitans Filium Dei assumpsisse humanam naturam propter nos, ut ita ira aeterni patris placata, nos sustentet, seruet, ac viuificet, tanquam surculos sibi insertos, utque in nobis consociatis sibi vera societate efficiat *ὁ λόγος* similia, qualia efficit in sua massa, quam ex virgine assumpsit.

De hac admiranda societate Domini et sumentium loquuntur scriptores veteres, cum monent Coenam Domini esse Symbolum *τοῦ ὄντος σώματος Χριστοῦ*, et Symbolum eius coniunctionis seu societatis, quae nobis est cum Christo secundum carnem, et testimonium futurae nostrae resurrectionis, sicut inquit Cyrillus: Christum non solum per dilectionem in nobis esse, sed etiam naturali participatione. Alibi dicit idem Cyrillus: *λόγος* per corpus suum, mortalibus nostris corporibus, vitam largitur, et mortis euacuat Imperium. Item Athanasius: Quae locutus sum vobis (inquit Dominus) Spiritus et vita sunt. Mm 1.

Quod perinde est ac si diceret, Corpus meum quod ostenditur et datur pro mundo, in cibum dabitur, ut Spiritualiter unicuique tribuatur, et fiat singulis tutamen ac praeseruatio ad resurrectionem vitae aeternae. Et nota sunt dicta Christi et Pauli: Caro mea, vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus. Item: Qui adhaeret Domino, unus est cum eo Spiritus.

Ad hanc cogitationem de summa doctrinae, pertinet etiam dulcis illa consolatio de duratione, et defensione seu conseruatione Ecclesiae, usque ad resuscitationem mortuorum. Nam insignis promissio addita est ritui coenae Dominicae in Paulo: Hoc facite, donec venerit Christus. Significat mansuram esse Ecclesiam, donec Filius Dei veniet ad manifestum iudicium, et visibiliter triumphans, abiectis omnibus hostibus suis in aeternos cruciatus, adducet Ecclesiam laetam, et glorificatam, ad aeternum patrem. Seruabit igitur interea ipse Filius Dei aliqua hospitia doctrinae, Ecclesiae, et piorum rituum, nec sinet fieri infinitam vastitatem.

2. Finis correlatiue respondens priori. In recordatione beneficij, ardeat inuocatio, et gratiarum actio, pro omnibus beneficijs Christi, pro assumptione naturae humanae, pro passione, pro redemptione, pro viuificatione, collectione, et defensione Ecclesiae. Ideo hic ritus nominatur *εὐχαριστία*.

3. Hanc sumptionem, Filius Dei vult esse neruum publicae, et honestae congregationis. Vult Deus hanc sumptionem in publico congressu fieri, ut sciamus, Ecclesiam esse visibilem coetum, et velle Deum, ut sint publici congressus, in quibus sonet, et conseruetur vox ministerij Euangelici. Vult igitur singulos etiam adiuuare horum publicorum congressuum conseruationem, propter ministerium.

4. Hic usus est dulcissima *σπονδή*, in qua filius Dei nobiscum facit foedus, et nos vicissim cum ipso. Facit etiam Ecclesia inter se mutuum foedus, et hac sumptione ostendit suam confessionem, consensum, et concordiam, sicut Paulus inquit: Unus est panis, unum corpus multi sumus. Mm 2.

Refutatio abusuum, et profanationum sacrae Coenae. Filius Dei iam aditurus suum tristissimum agonem, et cum discipulis assidens ad mensam, dixit: Desiderio desideraui vobiscum manducare hoc pascha, antequam patiar. Domini debebamus, et amare hanc ipsam frequentiam, et in hoc dulcissimo conuiuio erigi consolatione, et acquiescere in Filio Dei, qui, iuxta promissionem suam, vere adest his mysterijs, et vere exhibet se sumentibus. Discamus igitur reuerenter administrare haec mysteria, et sciamus Deum horribiliter irasci ijs, qui profanationes stabiliunt, ac veris, et assiduis gemitibus, a Filio Dei petamus, ut ipse nobis opem ferat, et liberet inuocantes ipsum, a profanis erroribus, et contagijs Idolorum. — Sit igitur prima admonitio de indigna manducatione.

Digne manducat, Qui mortem Filij Dei cogitans, agnoscit iram Dei aduersus sua peccata, et vere agit poenitentiam, simul agnoscens huius victimae sacrificio placatam esse iram Dei, et gratis remitti peccata, propter Filium, et statuit hanc mirandam promissionem Euangelij, vere esse nouum et aeternum Testamentum confirmatum morte Filij Dei, et hac consolatione erectus, credit se certo recipi, et placere Deo, et hanc sumptionem intelligit esse pignus, et testimonium applicationis tanti beneficij diuini.

Indigne manducant, Qui non afferunt poenitentiam et fidem ad hanc sumptionem, sed aut perseuerant in delictis contra conscientiam, seu in contemptu beneficiorum Euangelij, aut sunt sine cognitione doctrinae fundamenti, aut accedunt cum dubitatione impia, vel etiam cum opinione operis operati.

Dignitas autem non significat, ut Enthusiastae comminiscuntur, talem perfectionem, ut in nobis nulla sint peccata, sed initia verae conuersionis ad Deum, qua deponuntur peccata contra conscientiam, et vincitur impia dubitatio.

Addita autem est comminatio,

Mm 3. De poenis sequentibus abusum Coena. Etiam in sanctis punitur negligentia, sicut inquit Paulus, multos aegrotare, et multos esse mortuos. Sed multo magis praesentibus, et aeternis poenis opprimuntur illi, qui coenam Domini verterunt in horrendum cultum Idolorum. Nam sunt gradus profanationum. Peccant profani, qui accipiunt sacram coenam propter consuetudinem, aut ex hypocrisi, sine cogitatione doctrinae, sine fide, et sine poenitentia. Maiores autem contumeliae sunt illorum, qui coenam mutant in Idolum, propter quaestum, De istis omnibus dicitur: Abutentes esse reos corporis, et sanguinis Domini, id est, contumelia afficere corpus, et sanguinem Domini, sicut latrones olim crucifigentes Dominum, summa contumelia afficiebant ipsum.

Secunda admonitio, de profanis speculationibus. Remouenda sunt deliria Anabaptistica, et Enthusiastica, seu Fanatica, quae fingunt, hanc actionem esse inane spectaculum, simile Tragoedijs de Hercule, aut Theseo, ubi mortuorum, et absentium fit recordatio, qui donare nobis nihil possunt, aut hanc sumptionem tantum esse signum externae professionis, et societatis cum Ecclesia, sicut toga discernebat ciuem Romanum a Graeco. Neque etiam verba institutionis, et ritus, transformari debent in qualescunque allegorias, quasi externa sumptio, sit tantum ociosa, et inanis pictura manducationis Spiritualis, ut con-

tendunt Enthusiastae. — Sed nos sciamus, viuere et regnare Filium Dei nobis praesentem, ac sic adesse suo Sacramento, vere, et substantialiter, ut in hac sumptione velit se nobiscum coniungere, seu, nos consociare sibi vera societate, applicare, nobis sua beneficia, nos viuificare, et perpetuo in nobis esse efficax, ut paulo ante dictum est.

Tertia admonitio est, de repraehensione horribilium abusuum Papisticorum. Tridentina Synodus, primo stabilit commenticiam transubstantiationem, hoc est, miraculosam quandam conuersionem substantiae panis in corpus Christi, quam fingit fieri per consecrationem panis, et vini a Sacerdote, seu Monacho. — Deinde panem consecratum iubet tanquam idolum reponi, et in eleuatione ac theatrica circumgestatione proponit adorandum populo. Mm 4.

1. Respondeo de Transubstantiatione. Consecrare, vel benedicere, ut Paulus nominat, significat pronunciare verba tradita a Domino, agere gratias, precari, et tota actione diuinitus instituta hanc coenam discernere ac quasi separare ab usu profano, vel physico, atque ita transferre ad usum Spiritualem, iuxta institutionem, id est, ut in vero usu, habeat rationem Sacramenti, atque ita vere sit corpus, et sanguis Domini. Non vero significat, virtute verborum mutare substantiam panis et vini. Quia Christus adest suo Sacramento liberrime, tanquam ritui, quem ipse liberrima voluntate instituit, non quia Sacerdos ibi faciat miraculosam mutationem, aut quia in verbis sit Magica quaedam vis mutans res, seu, substantians Symbolorum. Nec vox diuina dicit, mutari substantias externorum Symbolorum, sed docet in illa sumptione, vere, et substantialiter adesse Filium Dei, et applicare sese et sua beneficia communicatione corporis et sanguinis sui: ut testantur verba institutionis, et declarationis Paulinae.

Ita etiam locuta est vetus Ecclesia: Origenes nominat panem, et vinum *σύμβολα τοῦ σώματος, καὶ αἵματος.* Irenaeus inquit, in Sacramento esse duas res, unam terrenam, alteram coelestem. Nazianzenus panem nominat *ἀντίτυπον σῶμα.* Item Macarius, *ἄρτος καὶ οἶνον ἀντίτυπον τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ αἵματος.* Theodoretus expresse ait de pane: *φύσιν οὐ μεταβαλών, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προσεθηκώς.* Augustinus nominat, signum corporis, eodem sensu quo veteres Graeci dixerunt, *σύμβολον καὶ ἀντίτυπον τοῦ ὄντος σώματος.* — Ideo Lutherus non ponit papisticam conuersionem substantiae panis, sed expresse ponit Synecdochen, seu, unionem Sacramentalem, eamque saepe repetit, ut intelligatur, in usu congruente ad institutionem, sumpto pane et vino, vere sumi corpus, et sanguinem Domini. Et in colloquio Ratisponensi aduersus Eccium pie, et constanter defensa est haec perspicua regula: Adest Christus, non propter panem, sed propter hominem, sicut verba institutionis recitantur non propter panem, sed propter auditorem. Mm 5.

2. Responsio est, de adoratione panis in repositione, eleuatione, circumgestatione et oblatione. Vera Sacramenta in Ecclesia, sunt actiones a Deo institutae, quibus est addita promissio gratiae. Nulla igitur creatura, potest talem actionem instituere, seu, ordinare talem rem, ad quam fiat adoratio. Et verissima est regula, quam in colloquio Ratisbonensi ante annos 30. refutare non potuit Eccius: Nihil habet rationem Sacramenti, extra usum institutum. Ut, si quis

circumferret aquam Baptismi, et diceret inclusum esse ibi Spiritum sanctum, et iuberet fieri adorationem ad illam aquam, ibi prorsus esset Idoli cultus.

Instituit Filius Dei in coena sumptionem, quam vult fieri eo modo, quem instituit. Ideo cum non sit instituta adoratio panis, et exerceatur, extra usum congruentem institutioni, in oblatione, repositione, eleuatione, et circumgestatione, plane est idolatrica. Et haec Idolatria, est praecipua causa, cur necessario relinquendae, et fugiendae sint Pontificiorum congregationes, iuxta dictum: Fugite Idola.

Neque illa theatrica pompa circumgestationis, quam recentior aetas excogitauit et usurpauit differt ab adoratione ignis Chaldaici, aut Persici, quem fingebant esse Deum, et nominabant Orimasda, id est, sacrum lumen, aut ab Idolo Maozim, quod collocauit Antiochus, qui est typus Antichristi.

Praeterea, non vere dicitur: repositionem panis, aetate concilij Niceni, fuisse in usu, Quia notum est peritis antiquitatis, munera, quae oblationes nominata sunt a populo, fuisse adducta ad mensam Domini, et post peractam coenam, reliquias distributas fuisse in pauperes, praesertim in scholasticos. Et ne nunc quidem abusus circumgestationum noti sunt Ecclesiae Graecae.

Tertia responsio est, ad Argumenta, quibus Synodus Tridentina conatur tueri, mutilationem Sacramenti. **1.** Libertas concessa in Euangelio, non est euertenda. Euangelium concedit
Mm 6. libertatem in usu calicis. Ergo prohibitio calicis non est damnanda. Minorem probat. Quia saepe in concionibus, et narrationibus Euangelicis, fit mentio solius manducationis, non vero poculi.

Respondeo. Nego Minorem. In Euangelio instituitur sumptio integri Sacramenti, sicut Dominus usus est particula uniuersali: Bibite ex hoc omnes. Et Paulus ordinans usum coenae, alloquitur totam Ecclesiam Corinthiorum. Nec fractio panis in Luca intelligatur de unius tantum partis usu, seu de mutilatione coenae, quia ista phrasis, *κατὰ συνεκδοχήν*, significat conuiuium, et cibationem, ut omnibus linguis usitatum est. Dicta, de manducatione carnis Christi, in 6. cap. Johan.: loquuntur de manducatione Spirituali, et de inhabitatione Christi, quae fit in nobis per fidem. Nec tunc Dominus sanxit et instituit ritum coenae, Et tamen verum est, sacram coenam esse Symbolum, et pignus illius nutritionis, consociationis, et communicationis, de qua Christus expresse concionatur Johannis 6. Fit autem et in hac ipsa concione mentio sanguinis. Ac Dominus ideo instituit calicem, ut sit commonefactio, Redemtoris sanguinem vere pro nobis fusum esse in remissionem peccatorum.

2. De aequipollentibus non est mouenda controuersia. In pane datur verum, et integrum corpus. Ergo etiam sanguis.

Minorem declarat Synodus. Sub utraque specie, ut loquuntur, continetur integer Christus. Adest corpus, Ergo sanguis, et vi naturalis connexionis, quam vocant concomitantiam, etiam anima, et propter unionem hypostaticam, etiam diuinitas.

Respondeo ad Minorem, ex usitata Regula: Nulla creatura potest instituere Sacramenta, Ideo necesse est retinere modum institutionis,

traditum a Christo, qui voluit esse distincta Symbola corporis, et sanguinis. Illa institutio necessario est seruanda, et explodenda sunt contraria somnia, excogitata ab ociosis, et indoctis Monachis, cum imaginarentur modum praesentiae, non Sacramentalem, sed physicum vel magicum.

3. Ecclesia habet potestatem mutandi ritus Sacramentorum. Prohibitio calicis est sancita ab Ecclesia. Ergo ea non est mutanda. Mm 7.

Minorem probat **1.** Corinth. 4. Sic nos existimet omnis homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. 2. Ipse Paulus usus est hac libertate in sacra coena: Caetera, cum venero, disponam. 3. Apostoli mutarunt formam baptizandi, quia baptizarunt in nomine Christi.

Respondeo primum, Negandam esse Maiorem, praesertim de potestate mutandi substantialia Sacramentorum intellectam. Nam institutam a Christo sumptionem panis, et calicis, certum est non posse mutari ab ulla creatura. Ministri Ecclesiarum sunt Oeconomi. Ergo non sunt Domini ministerij, sed habent mandatum, ut seruent ordinem in doctrina, et usu Sacramentorum, institutum a CHRISTO. — **2.** Paulus cum inquit, caetera disponam: loquitur de ordinatione rituum, qui seruantur in Ecclesia, sine mutatione institutionis filij Dei, propter bonum ordinem, seu, *εὐταξίαν*, non loquitur de mutatione ipsius actionis, seu, institutionis quam dicit se accepisse a Domino, et quam vult seruari immutabiliter. — **3.** Nego Apostolos mutasse formam Baptismi, propositam a Christo. Quia phrasis, qua utitur textus in Actis Apostolicis, intelligenda est de effectu, seu, efficacia Baptismi scilicet, de insertione piorum, ut sint membra Christi. Nec delet professionem articuli de tribus personis. Imo compraehenduntur in illa eadem phrasi tres personae.

Impiae igitur isti mutilationi opponamus firmam refutationem: Legitima hominum testamenta violare, iniustum et nefarium est. Multo minus igitur mutare licet testamentum Christi. Institutus est usus integer. Ergo ille mutari non potest, autoritate humana.

Deinde ad Minorem. Uniuersa Ecclesia vetus, Latina, et Graeca, habuit usum integri Sacramenti. Ergo nulla potestas humana potest facere contrariam prohibitionem. Nec illi Episcopi, qui eam sanciunt, et pertinaciter defendunt, sunt membra Ecclesiae, sed hostes Christi.

Concessio calicis nuper donata genti Germanicae a Pio IIII Pontifice, est sophistica, et fraudulenta. Mandatur ut calix istis detur, qui in alijs articulis omnibus assentiuntur decretis Pontificum, et qui expresse fatentur usum integri Sacramenti, nec mandatum esse a Christo, nec esse necessarium. Hae praestigiae, et impia Sophismata non decent Episcopos Ecclesiae.

Adolescentes, pro confirmatione verae sententiae meminerint, apud vetustatem, pocula ex quibus sanguinem Domini hauriebat populus, fuisse nominata calices ministeriales, qui olim fuerunt ex materia vitrea, testacea, vel lignea. Constantinus vero donauit Ecclesijs ad usus sacros vasa aurea, et argentea. Mm 8.

Puer. Quotusquisque autem est, qui ad hunc modum isti praecepto satisfaciat? Paed. Eorum numerus profecto perpusillus est. Atque utinam ad hanc hypocrisin, plerique insignes etiam in nomen Dei non adiungerent blasphemias, dictu enim mirum, quam hic uulgus impigere soleat. Nihil tam friuolum dicitur, nihil tam ineptum in medium adfertur, cui non in uanum Dei nomen adhibeatur, quin ad fraudem ac imposturam sanctißimo hoc nomine nonnulli etiam abutuntur.

Puer. Negari hoc non potest, etiamsi usu quodam plerosque hic magis, quam malitia peccare uideam. Paed. Idem conqueritur Mycillus ille apud Lucianum, cupiditatem se, qua a puero ad diuitiarum amorem raptus sit, dediscere non posse, Sed neque usus, neque inueterata consuetudo quaepiam, si quando ad tribunal summi iudicis uentum fuerit, excusabit nos, nisi forte paenam huic praecepto frustra Deum addidisse credendum sit. Non, inquit, insontem eum habebit, qui nomen domini Dei sui in uanum assumpserit.

Puer. Cur igitur blasphemijs istis a magistratu non itur obuiam? Paed. Apud Iudaeos certe parata blasphematoribus istis poena olim erat, ut qui saxis in eosdem degrandinare soliti sint, Sed apud nos, proh dolor,
B 4. quidlibet cuiuis licet. Proinde tu operam dabis, ut amore potius ac poenae metu, ab omnibus ijs, quibus nomen Dei polluitur, abstineas.

Puer. Fiet, modo Christus dexter ac propicius in pulcherrimo hoc instituto adesse dignabitur.

De tertio mandato, Memento ut diem sabbathi sanctifices, Dialogus V.

Summa huius dialogi. Tertium praeceptum, quo ut sabbathi diem sanctificemus, praecipitur, hoc sibi uult, ut diligenter ad audiendum uerbum conueniatur, diuina erga nos beneficentia recolatur, quicquid labis per hebdomadam contractum sit abijciatur, orationi uacetur: breuiter ut totus hic dies audiendo uerbo et pijs studijs consecretur.

Paed. HEus puer dic. Puer. Quid dicam?

Paed. Qua in re secundi praecepti impletio sita sit. Puer. In confeßione, praedicatione, inuocatione, glorificatione et laude sacrosancti nominis Dei.

Paed. Macte animi uirtute puer, sic itur ad astra. Agnosco ueterem diligentiam tuam. Est tamen quod te moneam. Si quando uel pro ueritatis confirmatione uel pro utilitate proximi, iurandum sit, per domini nomen iurabis: Alias omnis generis peierationes non aliter atque aconitum fugies. Puer. Vtinam tertium praeceptum tam bene intelligerem quam hoc quod mones, diligenter facturus sum.

Paed. In praecepto quod sequitur, sabbathi sanctificatio praecipitur, res adeo necessaria, ut citra hanc Christianismus consistere haud poßit. Mira est enim in uerbo sanctificandi emphasis. Puer. Quid igitur est sabbathum sanctificare?

Paed. Est festis diebus ab operibus seruilibus in hoc feriari, ut ad audiendum uerbum conueniamus, diuinorum in nos beneficiorum magnitudinem recolamus, si quid labis per hebdomadam contractum sit, deponamus, orationi instemus: breuiter, ut totum hunc diem audiendo uerbo et sanctis studijs consecremus. Iudaeis olim septimus dies ex domini iussu, nobis uero ob reuerentiam resurrectionis dominicae octauus dies sacer est, quem tamen ita sacrum habemus, ut quicquid huius facimus, B 5. non legibus ullis coacti, sed sponte, hilariter, et libere, quo decenter omnia fiant, faciamus. Puer. Si ad eum modum feriaremur Christiani, tolerari opinor apud nos, et alij aliquot festi dies possent.

Paed. Quid ni? Aut commemorata paulo ante opera culpari possunt? Huc adde quod charitatis quoque opus est cum iumentis tum hominibus qui opus faciunt, reliquorum dierum labore defessis, quietis nonnihil permittere, ut tanto postea ad opus, recollectis uiribus, alacriores redeant. Puer. Huc referri igitur et illud potest.

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et graue suspenso uomere cesset opus.

Paed. Potest. Sed ante omnia curandum est hoc, ut familia, quae reliquis diebus occupatior est, quam ut sacris concionibus interesse possit, illis ipsis festis diebus in uerbo domini erudiatur instituaturque. Puer. Iam si omnia haec negligentur, adeoque multitudo ijs ferijs, ad aleam, ad luxum, ad ebrietatem, adque choreas abutatur, quid de ferijs hisce tum iudicabis?

Paed. Saturnalia potius, ac ferias dicam. Puer. Cur ita?

Paed. Propterea quod in his quoque teste Luciano, ludebatur, bibebatur, saltabatur, ut interim obscoeniora ista, quae hisce diebus designabantur, taceam. Puer. Ista profecto non placent.

Paed. Da operam igitur, ut sabbathi diem ac omnes Christianorum ferias, quas omnino ferendas propter uerbi praedicationem arbitror, si in immensum non crescant, sacris concionibus, precationi, pijs studijs, adeoque omnibus bonis operibus consecres. Puer. Ita hac in re officij memor ero, ut ne competere unquam illud in me possit: Ignauis semper feriae.

De quarto mandato, Honora Patrem et matrem, Dialogus VI.

Summa huius dialogi. Quartum praeceptum, non solum hoc sibi uult, ut parentes quibus secundum Deum uitam debemus, honoremus, reuereamur, alamus, omnique beneficiorum genere adficiamus, uerumetiam ut uerbi quoque ministris, magistratui, praeceptoribus, tutoribus, et quot-
B 6. quot parentum loco nobis esse possunt, obediamus et morem geramus.

Puer. QVae ad succinctam praeceptorum primae tabulae explicationem faciunt, praeceptor humanissime, ea mihi fide abs te sunt tradita hactenus, ut ad reliqua quoque cognoscenda, stimulum mihi plane addideris. Paed. Ea est Christianae doctrinae natura, ut quanto altius in nobis radices agat, tanto magis appetatur ameturque, tantum abest, ut fastidium uel sciat uel habeat.

Puer. Quin mihi igitur quartum quoque praeceptum explicas? Paed. Fiet modo illud obserues, priorem tabulam ea quae ad uerum dei cultum pertinent tradere, uidelicet, ut timendus, ut amandus, utque pro benignissimo patre habendus sit Deus. Iam nunc secunda ciuiles mores format, adeoque politicam uiuendi rationem ostendit. Non solum enim ut parentes honoremus, reuereamur, alamus, omnique beneficiorum genere adficiamus, quartum hoc praeceptum exigit, uerumetiam ut quotquot parentum loco nobis uel sunt uel esse possunt in precio habeamus, quales sunt ministri uerbi, magistratus, praeceptores, tutores etcete. Nam ijs ex aequo omnibus cum reuerentiam tum obedientiam debemus.

Puer. Istuc et a parentibus meis edoctus sum, non impune laturum qui ijs quibus parere debet, immorigerum praebeat sese. Sed qua ratione, concionatores, magistratus, praeceptores, ac tutores parentibus aequas? Paed. Audies, Concionatores per uerbum ad uitam nos generant: magistratus uim a nobis arcent, utque ab iniuria tuti simus, efficiunt: praeceptores animum moribus et eruditione formant: tutores in demortuorum parentum locum succedunt. An non igitur parem cum parentibus honorem merentur?

Puer. Negari haec non possunt. Paed. Da igitur operam, ut non solum erga Deum, uerumetiam erga parentes, ac omnes in officijs publicis constitutos, pius sis. Debet enim cum interna pietate, exterior illa bene uiuendi ratio coniuncta esse.

Puer. Venit mihi hic in mentem quiddam. Paed. Quid?

Puer. Illud de Ciconia exemplum, cuius nuper inter praelegendum
B 7. mentionem fecisti. Paed. Recte mones. Quemadmodum enim auis illa, parentes suos senio confectos, uicissim alit, uolandique impotentes in humeris uehit: ita nos quoque erga parentes adfectos esse conuenit. Ita enim fiet, ut non solum poenam, huius praecepti transgressoribus intentatam, effugiamus (pari enim uindicta et deorum et parentum uiolatio

expiatur, uel Valerio Maximo teste), uerumetiam praemij quod obedientibus propositum est, participes fiamus. Neque enim frustra dicit: longaeuam uitam habituros, qui praecepti huius obseruantes sint. Quid? Annon in ipsis etiam Comedijs praecepti huius commendationem uidere est? Parenti, inquit apud Terentium Pamphilus, potius quam amori obsequi me oportet. Taceo illud Aeneae apud Virgilium.

> Ergo age chare pater ceruici imponere nostrae
> Ipse subibo humeris, nec me labor iste grauabit.
> Quo res cunque cadent, unum et commune periclum,
> Vna salus ambobus erit.

Profecto nisi hanc ethnicorum erga parentes pietatem Christiani uicerimus, nihil est quod Christianismum iactemus.

Puer. De me dubitare nullus debes, quin propicio Christo semper dicto audiens futurus sim.

De quinto mandato, Non occides, Dialogus VII.

Summa huius dialogi. Non solum qui gladium in uiscera proximi stringit, uerumetiam qui fratrem uel calumniatur, uel odit, uel occulta obtrectatione proscindit, uel inuidia laborat, uel signo quopiam animi testatur maleuolentiam, homicida est. Sic Ioannes inquit: Qui fratrem odit, homicida est. Et apud Christianos mutua dilectio, mutua beneuolentia, et mutua officia perpetuo conspici debent.

Paed. QVid turbae apud forum est? Puer. Plebs tumultuatur.

Paed. Qua de caussa? Puer. Ob rem plane nihili.

Paed. Vnde igitur tantus populi concursus? Puer. Vt recte intelligas: Ex nihilo orta est haec tragoedia. Rustici aliquot depositis nucibus lusere tesseris. Ea in re quum alter alterum fallere uideretur, B 8. uentum primo est ad iurgia, a iurgijs ad pugnos ac colaphos, a colaphis ad gladios et sanguinem, quod nisi ciuium concursu sedata fuisset ista tragoedia, confecissent se beluae istae mutuis uulneribus.

Paed. Sic e parua scintilla, ingens saepe conflatum est incendium. Sed hoccine est feriari? Siccine catechismum multitudo hisce diebus discere solet? Puer. Hoc hominum genus quum feriatur, alijs operibus occupari non solet.

Paed. Quid si caedes tumultum hunc excepisset? An non tum id mandati, Non occides, pulchre praestitissent? Puer. Commodum mandati huius mentionem facis. Nam, nisi fallor, ordo ipse, ut hoc ipsum explanes, poscebat.

Paed. Nihil falsus es. Loquitur autem hic Moses, non de caede solum et sanguine, uerumetiam de ipsis cordis adfectibus, ut quos ita ad proximi dilectionem et beneficentiam propensos esse uelit, ut etiam uel signo, uel uerbo proximum offendi prohibeat. Puer. Deum immortalem, si ad eum modum res habet, iam nemo erit, qui non reus hic peragi possit.

Paed. Impotens res ira, imo breuis furor est, ut Flaccus ait, quod cum ita sit, uidendum est, ut ne irati immemores unquam huius mandati simus. Puer. Quid si potentior sit, quam ut reprimi possit?

Paed. Dixi antehac, nisi duce et auxiliatore Christo, nullum mandatum rite impleri posse. Quare si nos ira impetat, bilemque adeo in nasum concire conetur, apprehendendus fide Christus est, adeoque bonitas illius ac mansuetudo contemplanda. Hac enim ratione maxime mollescet, ne in opus erumpat. Puer. Perpaucos opinor ab hoc adfectu alienos esse.

Paed. Adde paucissimos. Neque enim frustra scriptura iubet, ut ne irati peccemus, praeterea ne solem occidere super iracundiam nostram patiamur. Puer. Occidere igitur est, non solum uim ac manum admoliri, uerumetiam uel signo quopiam uel uerbo uel re ipsa proximum offendere.

Paed. Tenes. Huc uero addes susurrones conuiciatores, obtrectatores, calumniatores, osores, inuidos: breuiter, totam eorum colluuiem, qui
C 1. et linguam teli uice habent, et huc omnes animi conatus intendunt, ut obsint ac noceant. Puer. Qui ad id genus homicidia propensi sunt, in extremas orbis partes deportari debebant, quo uidelicet beluae inter beluas agerent.

Paed. Imo nocentiores ij sunt beluis, ut enim Iuuenalis inquit:

Quando leoni
Fortior eripuit uitam leo? Quo nemore unquam
Expirauit aper, maioris dentibus apri?

Puer. Ego ab hoc crimine, etiam occulto quodam naturae ductu abhorreo, ita ut etiam sontes, si quando suppliciis adficiuntur, ad commiserationem et misericordiam permouere me soleant.

Paed. Qui sontes plectunt, praeceptum hoc non uiolant, de magistratibus autem loquor, qui gladium in hoc gestant, ut eorum qui humanum sanguinem effundunt, corpora uicißim occidant, adeoque coruorum genti deuoranda obijciant. Puer. Puto hinc prouerbium natum esse, quod qui tales sunt, *Ἐς κόρακας* omnium uotis ablegari solent.

Paed. Sic est. Puer. Quid igitur ut ne hic impinguam, facto opus est.

Paed. Neminem ledes, nemini incommodabis, nemini inuidebis, amicus omnibus, et beneficus erga quoslibet. Puer. Id propicio Christo fiet.

De sexto mandato, Non moechaberis, Dialogus VIII.

Summa huius dialogi. Praeceptum hoc non solum manifestum adulterij crimen, uerumetiam omnis generis immunditias, scortationes, meretricios concubitus, imo cogitationum quoque immunditiam prohibet. Decet enim eos, qui Christiano nomine censeri uolunt, ut non tam uerbis et operibus, quam ipsis cordis adfectibus perpetuam profiteantur castimoniam.

Paed. ADes huc puer. Puer. Adsum, si quid uoles.

Paed. Quinti mandati obseruatio, qua in re sita est? Puer. In mutua dilectione, mutua beneuolentia, mutuis officijs, adeoque perpetua in proximum beneficentia.

Paed. Qui hisce rebus inter se certant, recte certant et nihil, meo iudicio, foedius est, atque uinci in hoc certaminis genere: contra, nihil pulchrius, atque uincere hic et superiorem esse. Sed paucos uideri est,

nostra aetate, qui ignauiter in hoc certamen prodeant, quemadmodum C 2.
et sextum preceptum plures transgressores, ac obseruatores habet. Puer.
Si recte memini, Adulterium illo ipso prohibetur, dicit enim: Non moe-
chaberis.

Paed. Imo non solum adulterium, uerumetiam omnis generis forni- 5
cationes stupraque uetari hic memineris, et caue hic cum ethnicis sentias,
stuprum simplex, ceu rem leuiculam aestimantibus. Deus enim ille
Optimus Maximus, populum habere uult unde quaque sanctum et in-
contaminatum, quique nihil omnino, quod lege uetitum sit, designet.
Puer. Haec nuper parochum quoque nostrum populo inculcantem audiui. 10

Paed. Huc adde, quod ipsa etiam cordis mundities, hoc est, ut ne
talium rerum concupiscentes simus, hoc praecepto exigitur. Sic enim
Christus inquit: Qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, hic iam
moechatus cum ea est, in corde suo. Puer. Iam nunc plane fateri
cogor, ad praestandam legem spiritu opus esse. Quis enim hic non im- 15
pingit?

Paed. Et tanto magis hic delinquitur, quanto natura propensiores
ad id uitij omnes sumus. Puer. Quotusquisque igitur saluabitur?

Paed. Si nostras uires intueare, plane de salute nostra actum est,
Sin uero in Christi promissiones fidei defigas oculos, iam credenti omnia 20
possibilia erunt, praesertim si pro munditia hac impetranda, nunquam
non dicas cum psalmographo: Cor mundum crea in me deus, et spiritum
rectum innoua in uisceribus meis. Porro ubi semel animae nostrae sedem,
sacer ille spiritus occupauit, ibi fieri non potest, quin omnis generis im-
munditias ultro etiam execremur. Quod si etiam, ut est magna carnis 25
imbecillitas, labi nos hic, quod omen Deus auertere dignetur, contingat,
tamen ad cor reuersi, mox in uiam redimus. Puer. Puto tamen cor-
poralia quoque exercitia, impetum istum animi nonnihil remorari, adeoque
castitatis aliqua ex parte custodes esse, nisi forte uerum non est illud:
Sine Cerere et Bacho friget Venus. 30

Paed. Quid ni? Habent suam efficaciam ieiunium, sobrietas, ocij
fuga, oratio, temperantia, continentia, et alia id genus. Sed tamen ad
impetum animi retundendum, parum momenti, ni spiritus adsit, habent. C 3.
Hic enim Christo opus est. Exempli gratia: Scipio ille Aphricanus, capta
noua Carthagine, foeminam et nobilem, et cuius formam non satis laudare 35
posse uidetur Liuius, contemnere potuit, nimirum alijs rebus intentus.
Quis autem neget, conspecta tanta forma, uarie intus adfectum esse?
Proinde recte dixi, ad internam et externam munditiam, spiritu opus
esse. Puer. Quid si hic quoque impetus ille omnino non cesset?

Paed. Iam eo remedio, quod aduersus morbum hunc Deus instituit, 40
utendum est, nimirum matrimonio, quanquam hunc quoque thorum et
modum habere et immaculatum esse conueniat. Puer. Si sic res habet,
iam dominus exorandus est, ut non tam corpore quam anima immaculatos
nos custodiat. Paed. Nihil erras.

De septimo mandato, Non furaberis, Dialogus IX. 45

Summa huius dialogi. Quemadmodum praecepto hoc, cum
clancularia tum uiolentia rei alienae ablatio prohibetur: ita auaritia
quoque usura, fraus et impostura, cum sub iuris praetextu ea quae

aliorum sunt usurpamus, uetantur. Estque occulta quaedam in hoc praecepto, ad faciendum opus, contra ocij malum, exhortatio.

Paed. ITa ne ais puer? furem quendam hodie in crucem actum esse? Puer. Aio.

Paed. Quid sublegerat? Puer. Argenti pondo bina.

Paed. O infortunatos parentes, qui quidem, inutile hoc terrae pondus in lucem aediderunt. Puer. Dubium non est, quin perpetui luctus ijsdem uulnus inflixerit.

Paed. Intelligis igitur, quod rem et illis et se indignam fecerit? Puer. Modis omnibus.

Paed. Tanto aequius est, tanquam in speculum in id genus exempla inspicere te, quaeque fugienda cognoris deuitare. Huc enim pertinet septimum illud praeceptum. Non furaberis, cuius explanationem ordo noster poscere uidetur. Puer. Iam pridem effecisti, ut turpibus offendar, C 4. honestis uero delecter. Sed quam late praeceptum hoc pateat, audire cupio. Neque enim dubium est, quin multa in se contineat.

Paed. Furari, non solum est rem alienam surripere, clamque auferre, uerumetiam uel ui uel fraude uel iuris praetextu, ea quae aliorum sunt uendicare usurpareque, id quod fere praedones, mercatores, impostores, et usurarij solent. Puer. Atqui ijs rebus uehementer peccari arbitror, in rationes politicas.

Paed. Recte dicis. In pulchre enim ordinata republica laboratur, non alienum tollitur, iustitia in emptionibus et contractibus conseruatur, non laeditur, uis pellitur, non tolleratur. Atque haec omnia ita fieri, non solum ipsa naturae lex, uerumetiam ipse Deus praecepit. Proinde recte dicis, aliter facientes peccare in rationes polliticas. Sed adde, id genus homines, in ipsum etiam Deum peccare omnium polliticarum rationum autorem. Puer. Quid igitur facere me uis, ut ne hic peccem?

Paed. Apud Lacedemonios olim, pueris ut esculenta sublegerent, permissum erat, inepta plane ratione, quamque hic referre pudet. Ego uero ne tantillum quidem hic iuuentuti permittendum arbitror. Neque enim ea, quibus tenera illa aetas assuescit, facile dediscuntur. Sed potius sic mea est ratio, et sic in animum induco meum: Iuuentutem ad labores ac opus statim a pueritia assuefaciendam esse, unumquemque tamen iuxta uocationis suae rationem. Laboribus enim adsueti pueri, rem familiarem uel augere postea possunt, si tenuis fortunae sint, uel conseruare, si quid haereditario iure a parentibus acceperunt, hacque ratione cum sibi tum egenis, ac indigentibus prodesse. Puer. Si omnes ex aequo ad opus cogendi sunt, quis tum usus erit literarum? quis ad honestas disciplinas adijciet animum?

Paed. Dixi antehac, quod obseruare te oportuit, quemque iuxta uocationis suae rationem huc cogendum esse. Porro qui ad rerum gubernacula educantur, eaque in re gnauiter exercent sese, an non ij opus faciunt? Qui honestis disciplinis exornant animum, idque in hoc, ut ex aequo omnibus postea prosint, an non ij quoque opus facere iudicandi sunt? Puer. Quantum audio. Totam uiuendi rationem Deus, C 5. paucissimis praeceptis, si pro dignitate explanentur, complexus est. In speciem minutum uidetur, quod dicitur: Non furaberis, sed quantus, Deum immortalem praeceptorum hinc elici cumulus potest? Qui iustitiam

in contractibus uiolat, furatur, qui sub praetextu iuris alienum occupat, furatur, qui facultatibus in proximi perniciem abutitur, furatur, qui auari sunt, qui usurarij sunt, qui praedones sunt, qui petenti in neceßitate non opitulantur, furantur. Et quid multis? Video furum plena esse omnia.

Paed. Adde furem a fure saepenumero in crucem adigi. Sed oculos Dei non fallent tandem, qui sub magni nominis umbra (libet Fabij uerbis uti) hic quum essent rapacißimi, delituerunt.

De octauo mandato, Non dices falsum testimonium, Dialogus X.

Summa huius dialogi. Hoc sibi praecepti huius exegesis uult, ut ueritatis amantes, simulationis osores, mendacij hostes, a perfidia alieni, omnis denique synceritatis custodes uigilantißimi simus. Veritatis enim amor, cum ad conseruandas respublicas ualet plurimum, tum praesertim in spiritualibus caußis res est omnium et utilißima et honestißima.

Puer. NOn Euripus toties currit ac recurrit, praeceptor colendißime, quoties ego tibi facesso negocium. Sed quicquid huius facio, hoc animo facio, ut aliquando ad meos rediturus, pro allata huc pecunia, et pietatem et literas et mores me dignos domum reportem. Paed. Atque haec mihi improbitas uehementer probatur, neque quicquam aeque cupio, quam ut in uirum tum pium tum literatum euadas. Quare etiam iubeo, ut me, quoties libitum est, accedas.

Puer. Quin igitur, quid sibi uelit nonum praeceptum, quo falsum testimonium prohibetur, explicas? Paed. Impletio huius praecepti in hoc sita est, ut ueritatis tenacißimi simus, etiam in ciuilibus causis, simulationis odio flagremus, aque mendacio absimus quam longißime. Nam qui tales sunt, ij nihil minus agunt, quam ut proximum falso testimonio uel opprimant ipsi in iudicio, uel hoc ipsum facientibus consentiant. C 6. Ad haec omnia syncere, omnia candide, omnia absque fuco cum dicunt tum faciunt.

Puer. Vtinam ergo huius praecepti obseruantiores aliquanto essemus. Quanta enim est hoc nostro seculo cum perfidia tum insynceritas? Inter centum uix duos reperias, quibus animi uel aestus uel consilia tuto credere poßis. Paed. Hoc ipsum res ipsa clamitat. Sed quid facias? Haec tempora alios mores non ferunt. Quid quod contra hoc praeceptum ab ijs quoque peccatur, qui in negocijs spiritualibus rerum capita esse uolunt. Quam obstinate enim humanarum traditionum defensores, contra ueritatis caussam testificantur? Quam tyrannice de opprimenda ueritate cogitatur?

Puer. Sic olim falsorum testium testimonio opprimendus Christus quoque fuit, quem iure alioqui adfigere cruci non potuissent. Paed. Exemplum placet. Sed scis, qua postea adfecti sint poena, tam ij qui falsos istos testes subornarant, quam testes ipsi? imo ut tota Iudaeorum gens perfidiae huius poenas dederit? Taceo eorum exemplum, qui quum Zusannam testimonij sui perfidia opprimere conarentur, sibi ipsi, ueluti turdus, malum cacarunt.

Puer. Qui Iudaeis praeceptorum transgressoribus non pepercit, is indubie nobis quoque, ni resipiscamus, parsurus non est. Paed. Recte dicis. Quare etiam operam dabis, ut praecepti huius semper memor,

syncere, candide, aperte, cum omnibus uerseris, interim ueritatis tenax et osor mendacij acerrimus. In religionis quoque negocio, ijs tantum fidem habeas, qui syncere uerbum Dei tractant, ijs qui contra apertam ueritatem testificantur longum ualere iußis.

Puer. Dicto audiens ero. Paed. Sed quid uetat, quo minus ex poëta etiam ethnico, quam sit fugiendum falsi testimonij crimen, ostendamus? Sic enim Iuuenalis inquit:

Ambiguae si quando citabere testis,
Incertaeque rei, Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, et admoto dictet periuria tauro,
Summum crede nefas animam praeferre pudori,
Et propter uitam, uiuendo perdere causas,
Dignus morte perit.

C 7. De nono mandato, Non concupisces domum proximi tui, item decimo, Non concupisces — quae eius sunt,

Dialogus XI.

Summa huius dialogi. Duo haec ultima praecepta satis arguunt, adfectus quoque ac cor ipsum ad implendam legem requiri, adeoque quum concupiscentia illa uetitarum rerum agnata nobis sit, neque nostris uiribus extingui poßit, spiritu nobis, cuius auxilio impleatur lex, opus esse.

Puer. QVos mihi heri ex Iuuenale recitasti Versiculos, non sine singulari admiratione, memoriae commendaui. Paed. Cur ita?

Puer. Quod poëtam prophanum, eumque obscoenum, ac noui praecepti sententiam tam prope acceßisse uideam. Paed. Mirumne id est? An non audisti unquam, insculptam esse omnium hominum animis quandam de Deo et communi societate conseruanda noticiam? Paulus ad Romanos naturae legem uocat, quae in nobis extincta non sit.

Puer. Interim tamen puto imbecillius esse hoc naturae lumen, quam quod suis uiribus ad germanam Dei cognitionem peruenire poßit. Paed. Fateor hic spiritu et Christo opus esse, ueluti antea quoque diximus.

Puer. Ad hunc modum puto et decalogi praecepta in speciem praestari posse, quum tamen, quatenus de adfectibus agitur, plane caeci simus. Paed. Paulus alicubi dicit legem spiritualem esse. Hoc est, quae nisi a spiritu perfusis praestari poßit. Quis igitur hic uiribus nostris tribuere aliquid audeat: Si externum opus tantum exigeret lex, praestare quod praecipitur, uiribus nostris possemus. At uero adfectus quoque et cor ipsum requirit. Legem igitur praestare non possumus, nisi spiritu Christi perfusi renouemur.

Puer. Quod internos etiam cordis adfectus requirat lex, facile ut credam inducor, praesertim quum in nono ac decimo praecepto, concupiscentiae etiam mentionem fieri uideam. Paed. Iam qui concupi-
C 8. scentiam etiam in nobis rerum alienarum retundi uult, is indubie non tam externam quam internam cordis sanctimoniam praecipit.

Puer. Duras igitur Christianorum partes esse intelligo. Quis enim hic non delinquit? Quis tam perfectus est, quem non aliquando alienarum rerum coeperit desiderium? quem non transuersum egerit agnata illa carni nostrae concupiscentia? Paed. Vere durae essent, si non nostri

causa filium suum Deus pater in terras demisisset, atque legis damnatione nos liberasset. Imo tanto duriores futurae essent, quanto certius est agnatam nobis eam concupiscentiam esse, aduersus quam haec legis praecepta lata sunt.

Puer. Nimirum ab Adam in nos haec carnis cum malitia tum caecitas propagata est dimanauitque. Paed. Negari hoc non potest. Sed interim hoc quoque diligenter obserues necessum est: Quae primi istius parentis nostri culpa collapsa sunt, ea per unius Christi meritum restituta esse. Is enim in carne constitutus, et legem pro nobis impleuit, et mortem sustulit, et aeternae beatitudinis participes nos fecit.

Puer. Qua conditione autem, legem et impleuit nostri caussa et abrogauit? Neque enim arbitror ociosos iam nunc nos in utramuis aurem dormire debere. Paed. Abrogata est, non ut ne fiat, sed ut ne damnet. Porro quod ad iustificationem attinet, non nostris uiribus, sed per solum Christum impletur, cuius postea impletio nostra impletio est, praesertim si fide adprehendatur. Quod uero ad obedientiam attinet, praestatur etiam ab ijs qui et spiritum nacti sunt et fidem habent, ueluti Apostolus quoque dicit: Impletio legis est dilectio. Et quanquam ne hic quidem ad plenum satisfaciamus legi, tamen propter Christum, praestare eandem dicimur.

Puer. Nimirum huc, quae dicis tendunt omnia, ut ostendas eam esse cordis nostri cum caecitatem, tum malitiam, ut nisi auxiliatore et saluatore Christo, consortes aeternae gloriae fieri nequeamus. Paed. Sic est. Tu nunc ut fide Christum hunc et adprehendas et perpetuo retineas, uide sis operam des.

Puer. Fides illa quo potißimum respicere debet? Paed. In patrem creantem omnia, in Christum saluantem omnia, in spiritum sanctificantem omnia. Sic enim officia personarum sacrae triados, in scripturis fere de- D 1
scribuntur. Sed de ijs alias, nimirum ubi symbolum tractare coeperimus.

De Prima Symboli Apostolici parte, Dialogus XII.

Summa huius dialogi. Primus fidei nostrae articulus hoc sibi uult, ut creationis beneficium probe agnoscamus, et in creatoris bonitatem cordis oculos defigamus, certi, quod non solum et ea quae superne et ea quae inferne sunt crearit, idque per uerbi potentiam, uerumetiam quod omnia quae creauit et conseruaturus sit perpetuo et gubernaturus. Potest, quia Deus est. Vult, quia pater est.

Paed. DE Symbolo Apostolorum, uerba me heri facturum promisi. Recense igitur puer primam eius partem. Puer. Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae.

Paed. Quae de praeceptis decalogi diximus hactenus, haud ita iucunda fuere, adeoque propter minas cum quibus coniuncta sunt, plus terroris atque gaudij nobis incussere. At uero quae iam nunc dicentur, iucunda, laeta, grata, erunt, ut quae potissimum unde remissio peccatorum petenda sit, ostendant, quidque polliceri de deo nobis debeamus, indicent. Puer. Iam dudum aures erigere caepi. Neque enim dubito, quin plausibilia hisce de rebus dicturus sis.

Paed. Principio autem hic credendi uerbum probe obseruabis. Neque enim fides nostra in hoc sita est, ut longis uelut ille ait: legis

auditorum aures calefaciamus, sed ut Deo ex animo fidamus, inque illius bonitatem, omnem cordis nostri fidutiam, conijtiamus. Atque hoc tanto confidentius facere nos aequum est, quanto et potentior est et melior, in quem nos credere hic confitemur. Potens est, quia Deus est, adeoque rerum omnium, tam inferarum quam supernarum creator. Bonus est, quia non nostris meritis, sed mera bonitate ductus, ex nihilo nos creauit, erga creatos non aliter, atque pater erga filium adfectus. Puer. Cur dei nomen cum patris uocabulo hic coniungitur?

Paed. Deus, maiestatis uocabulum est, fereque ob maiestatem terret, D 2. 10 ut ne igitur deterriti tanta maiestate, alio fidei oculos auerteremus, additum est et patris uocabulum. Commode enim hinc, ut erga nos adfectus esse uelit, perdisci potest. Puer. Quibus ergo potissimum rebus, quod pater nobis perpetuo esse uelit, declarauit?

Paed. Principio creatione, deinde filij sui incarnatione, postremo spiritus sancti donatione, quae commodissime symbolum hoc complectitur. Puer. De creatione prius audire gestio.

Paed. Creatio bonitatem diuinam, dictu mirum, quantopere nobis commendet. An non ingens bonitas est enim, quod ad imaginem et dei similitudinem creati sumus? Puer. Atqui in primaeua illa innocentia non perstitimus, nimirum satanae consilio obsequentiores, ac Dei praecepto.

Paed. Lapsi in Adam sumus, fateor, sed tamen tanta fuit creatoris nostri bonitas, ut lapsos etiam in gratiam receperit, misso in terras unigenito filio suo, qui in obedientiam istam nostram sanguine etiam suo expiaret. An non igitur nos et creauit et creatos conseruauit? Puer. Non reclamo, sed potius pro tanto beneficio gratias eidem tecum ago.

Paed. Iam si per ipsum et creati sumus, et ad uitam conseruamur, quis ergo dubitet, quin perpetuo rationem nostri habiturus sit? Proque miseris filijs suis perinde atque benignissimus pater sollicitus futurus? Ludificatur et ridet hanc dei pro nobis solicitudinem Lucianus, in Icaromenippo: ubi Iouem percunctantem inducit, quanti triticum ueneat in Graecia, num superior hyems tetigerit illos, et num holera imbre egeant copiosiore. Sed ab hac irrisione Christiani animum abesse oportet, quam longissime, Vere enim sollicitus pro nobis est Deus, ita ut non solum in gratiam lapsos a creatione receperit, uerum etiam hodie quoque in gratiam receptos, foueat, alat, tueat, defendat, conseruet, adeoque paternum erga nos animum testificetur. Quid quod omnes creaturae cooperari electis in bonum coguntur? Puer. Maxima beneficia audio. Atque utinam grati pro ijsdem, id quod filios decebat, essemus. Ego certe operam dabo, ut ne in eorum numero qui ingrati haec beneficia non agnoscunt inueniar.

Paed. Id uero tum rite feceris, si deo patri per Christum fidas, D 3. creationis beneficium agnoscas, omnem fiduciam in illum conijtias, pro certo habens, quod paternum illum erga te adfectum, modo tu probi filij offitio fungare, nunquam immutaturus sit.

De secunda Apostolici symboli parte, Dialogus XIII.

Summa huius dialogi. Secundus fidei nostrae articulus hoc sibi uult, ut in Christum, quandoquidem non solum Deus est, unius cum patre essentiae et potentiae, uerumetiam induta carne humana, mortem

nostri caussa subiuit, perinde atque in patrem credamus: imo ut persuasi simus, nisi per hunc redimi genus humanum non potuisse. Certe enim solus hic et iustitiae et salutis nostrae colophon est.

Paed. HEri de prima Apostolici symboli parte uerba fecimus. Alteram nunc puer recita. Puer. Et in Iesum Christum filium eius unicum — uiuos et mortuos.

Paed. Vt Deus pater per uerbum nos, ad similitudinem suam crearit, audisti hactenus. Iam nunc ut uerbum illud nostrae salutis caussa, carnem induerit, explicabitur. Ac quidem principio, priusquam ad incarnationis mysterium ueniatur, obserua Christum, filium dei unicum et dominum nostrum dici. Puer. Cur dicitur unicus dei filius?

Paed. Propterea quod natura filius et Deus est. Porro oblata et nobis est filiorum praerogatiua, si credamus. Sed quicquid huius fit, per adoptionem fit, ut intelligas solum Christum primogenitum inter multos fratres esse, ad quem proprie et regni et sacerdotij ius pertineat. Puer. Mirum ni huc facit et domini uocabulum.

Paed. Facit, modo interim obserues, dominum hac quoque de caussa dici, quod patri, siue potentiam, siue iustitiam, siue sapientiam spectes, per omnia aequalis et uere Deus sit. Puer. Quod uere Deus sit credo.

Paed. Imo non secus Christo ac patri fidere debes. Quanquam enim D 4. tres diuinitatis personae sint, tamen una substantia est, una οὐσία est, una essentia est, breuiter, unus Deus est. Puer. Hac quoque de re nullus dubito.

Paed. In Christo tamen, non tam diuinam quam humanam naturam obserues necessum est, uere enim carnem induit, carnis infirmitates sensit, habitu inuentus, ut Apostolus inquit: ut homo. Puer. Carnem igitur uere ex uirginis carne succepit, contra Anabaptistarum sententiam?

Paed. Quid ni? Conceptio quidem spiritu sancto cooperante, citra omnem uirilem operam, peracta est. Sed tamen carnem puer post assumpsit ex uirgine, aliorum puerorum instar in uirginis utero altus et formatus. Puer. Quae fuit incarnationis huius caussa?

Paed. Salus nostra. Neque enim alia ratione liberari a peccato, morte, satana ac inferno genus humanum potuit, quam morte unigeniti filij dei. Porro passus sub pontio pilato, crucifixus mortuus et sepultus, tandem etiam, hoc est tertia die, a mortuis resurrexit, deuicto nimirum peccato, Satana ac inferno, adeoque omnibus credentibus patefacta ad aeternam patriam ianua. Quid quod a resurrectione, coelos conscendit, parem cum patre potestatem sortitus? Puer. Ergo ad patris dextram sedere, est parem cum patre potentiam habere?

Paed. Tenes. Interim mihi hic obserua Christi cum humiliationem tum glorificationem. Humiliatio enim glorificationem praecedit. Passus, mortuus et sepultus, sordes peccatorum nostrorum abluit. Resurgens iustitiam nobis impertiuit. Ascendens in coelum et de diabolo triumphum longe omnium spetiosissimum egit, et spiritum misit. Puer. Credentibus haec non possunt non esse iucundissima. Quid enim auditu iucundius, atque per Christum, absque operibus et meritis nostris, a peccatis liberari, iustum pronuntiari, adeoque spiritu donari? Certe maius in [nos beneficium diuina bonitas collocare haud potuit.

Paed. Aequum igitur est, ut uni Christo, perinde atque seruatori nostro fidamus et credamus, omnem cordis nostri et fidutiam et spem in
D 5. illum conijtientes. Ita enim fiet, ut uenienti olim in iudicium, adeoque uiuos ac mortuos iudicaturo, laeti occurramus, immortalitatis coronam accepturi, quam promisit se diligentibus.

De tertia Symboli parte, Diaſogus XIIII.

Summa huius dialogi. Tertius fidei nostrae articulus hoc sibi uult, ut in spiritum sanctum quoque; ut qui a patre et filio procedat eoque unius cum ijsdem substantiae et potentiae sit, credamus. Quemadmodum enim pater creat, filius saluat, ita spiritus in corda nostra transfusus, ex impijs pios, ex immundis mundos, et ex prophanis sanctos reddit, omnium bonorum charismatum autor in Ecclesia.

Puer. ITa mihi dulcescunt, quae in religionis caussa hactenus mihi abs te audita sunt praeceptor suauißime, ut famem earum rerum in me excitaris, uix unquam satiabilem. Quae res etiam in caussa est, ut toties redeam, adeoque oneri tibi sim. Paed. Mihi uero huiusmodi ingenia uoluptati magis quam oneri sunt. Cui enim ex nostrae farinae hominibus, discipulorum suorum profectus non probetur?

Puer. Tertiam mihi igitur symboli de spiritu sancto partem elucida, quae sic habet: Credo in spiritum sanctum. Paed. Dixi antehac, tres diuinitatis personas esse, patrem, filium, et spiritum sanctum. Ac quidem patri creationem, filio redemptionem adscripsimus. Sequitur iam nunc de spiritu sancto, qui ut a patre et filio procedit, ita eiusdem cum patre et filio potentiae est, iustitiae est, sapientiae est, gloriae est. Neque est cur hasce tres personas segregemus. Tribuit quidem suum unicuique personae scriptura officium, nimirum nostrae se imbecillitati, quae Deum alioqui agnitura non erat, attemperans. sed tamen interim, quod nuper quoque diximus, substantia eadem est, potentia eadem est, gloria eadem est.

Puer. Quod ergo spiritus est officium? Paed. Principio dubium non est, quin sanctificet. Transfusus enim per uerbum in corda nostra, fidem in nobis excitat, fides postea remißionem peccatorum impetrat,
D 6. iustitiam et uitam aeternam. Iustum autem pronunciari, an non sanctificari est? Atque huc pertinet, quod 1. Corinth. 6. dicitur: Sanctificati et iustificati estis, per spiritum Dei nostri.

Puer. Huc fortaßis et illud referri potest, quod M. Ioannem Rhodophantem, parochum nostrum nuper concionantem audiui: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non introibit in regnum coelorum. Paed. Recte.

Puer. Sunt autem indubie et alia pleraque, ad officium spiritus pertinentia. Paed. Istuc quis neget? linguarum peritia, prophetia, scientia, patientia, perseuerantia, et quicquid charismatum habet Ecclesia, quid aliud sunt, atque dona spiritus? Taceo quod constantiam in confeßione ueritatis Euangelicae suppeditat et fortitudinem, quod consolatur in cruce et afflictionibus, quod contemptum rerum caducarum et coelestis uitae desiderium subministrat, denique quod solus in cordibus nostris filios dei esse nos testificatur.

Puer. Si uera sunt haec, credo autem uerißima esse, iam nemo uel patrem uel filium cognoscit, nisi spiritu sancto illustratus. Paed. Quemadmodum absque imbre terram foecundante fructus nulli producuntur, ita absque spiritus dono, Deum neque nouit quisquam, neque rite reueretur. Quatenus autem Deum neque agnoscimus, neque reueremur, eatenus Christiani etiam non sumus. Iam cum solius spiritus donum sit ut patrem et filium agnoscamus, quis ergo neget spiritum natura Deum esse? Proinde qui spiritum perinde atque Deum inuocant, qui spiritu fidunt, quique sanctificationem eidem adscribunt, recte atque ordine faciunt, uere enim Deus est, eiusdem cum patre et filio potentiae et gloriae.

Puer. Vtinam igitur Deus per hunc spiritum suum corda nostra sanctificare, conseruare, purificare, tranquillare, in gloriam et laudem nominis sui dignetur. Paed. Dignabitur haud dubie, modo serio huius rei gratia interpelletur.

De ecclesia, Dialogus XV.

Summa huius dialogi. Ecclesia, congregatio est fidelium, in unam eandemque fidem consentientium, quae Christo per fidem insita, non solum a peccatis omnibus liberata est, uerumetiam potestatem quoque D 7. alijs peccata dimittendi, per uerbum et sacramenta accepit. Huc enim pertinet: Quodcunque solueritis super terram, erit solutum et in coelo, Et quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum et in coelo.

Puer. PRobe mihi trinitatis in diuinitate mysterium explicuisti, praeceptor humanißime, ita ut neque personis, neque personarum officijs, neque ipsi substantiae quicquam detractum sit. Quare rogo, uti nunc, quid sibi sequens ille articulus uelit: Credo in Ecclesiam sanctam catholicam, explanes. Paed. Cui fidere potißimum debeas, puto ex uerbis tibi meis utcunque hactenus ostensum esse. Nimirum patri ceu creatori, filio ceu seruatori, spiritui ceu sanctificatori.

Puer. Ostensum est, fateor. Paed. Quur ergo credere te dicis in Ecclesiam? An non hoc est creaturam praeferre creatori?

Puer. Vulgo hactenus sic lectum est. Paed. At qui in ijs, quae ad fidei negocium pertinent, neque uulgus, neque magnates si errent et caecutiant, imitandi sunt.

Puer. Vt igitur legere me uis? Paed. Credo Ecclesiam sanctam catholicam.

Puer. Quid ergo est Ecclesia? Paed. Congregatio fidelium, in unam eandemque fidem consentientium. Hanc alicubi Christi sponsam uocat Apostolus, ut quam iuxta Oseae testimonium, in fide, misericordia et miserationibus Christus sibi desponsarit.

Puer. Cur sanctam uocamus et sanctorum communionem? Nam eam clausulam expositionis caussa adiectam arbitror. An omnes quotquot in Ecclesia sunt, sancti sunt? Paed. Habet Ecclesia admixtos in hac terra bonos iuxta ac malos, quemadmodum tritico interdum paleae admixtae sunt. Sed haec malorum admixtio, pijs obstaculo non est, quo minus et sancti sint, et sponsa immaculata Christi.

Puer. Cur immaculatam uocas, quae quandiu in carne uiuit, absque peccato esse non potest? id enim memini me abs te aliquando audire.

Paed. Propterea quod Christo per fidem insita est. Nam si Christo
D 8. per fidem insita est, iam omnium quoque bonorum Christi, facta est particeps, ita ut illius iustitia, nostra sit iustitia: illius sanctitas, nostra sit sanctitas: illius mundities, nostra sit mundities: illius innocentia, nostra sit innocentia. Quid igitur uetat, quo minus immaculatam uocemus?

Puer. Intelligo, sed cur catholicam appellas? Paed. Propterea quod de uniuersali potißimum Ecclesia hic uerba fiunt. Catholicus enim uniuersalis dicitur.

Puer. Ecquam haec Ecclesia potestatem habet? Paed. Habet, Soluendi uidelicet et ligandi.

Puer. Quid est soluere? Paed. Perterrefactis conscientijs remißionem peccatorum, si fidant, annunciare, ad quam rem pertinet et Sacramentorum administratio.

Puer. Quid est ligare? Paed. Incredulis et impijs, ni resipiscant, iram, iudicium Dei, et perpetuos cruciatus praedicere.

Puer. Vnde potestatem hanc habet? Paed. A Christo, Sic enim inquit ad Apostolos Ioannis ultimo: Quodcunque solueritis super terram, erit solutum et in coelo, et quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum et in coelo.

Puer. Quibus medijs autem in condonandis peccatis utitur? Paed. Verbo et Sacramentis, quibus etiam ceu notis, et dignoscitur et ab incredulis gentibus discernitur. Sed hac de re comfabulabimur, iam coenae tempus appetit, ad quam mihi properandum est. Proinde ualebis, et ubi commodum erit redibis.

Puer. Tu quoque ualebis.

De remissione peccatorum, Dialogus XVI.

Summa huius dialogi. Propagatione et natura peccatores sumus omnes, damnationi et maledictioni uere obnoxij, antea quam liberemur. Liberamur autem per Christum dominum et seruatorem nostrum, qui redemptionis nostrae ac liberationis thesaurum, per uerbum et sacramenta credentibus distribuit.

Puer. VALde mihi adlubescunt, quae de Ecclesia in proximo colloquio dixisti. Paed. At uero gratiora erunt, si articulus ille de remißione peccatorum aliquanto latius explicetur. Totius enim Euangelij summam complectitur.

E 1. Puer. Cum peccatoribus seruandis Christum uenisse, Euangelium doceat, facile conijcio, remissionem peccatorum, rem esse in auribus piorum, longe omnium iucundissimam. Paed. Exagerari autem peccatum hic oportet, non extenuari. Vere enim omnes natura peccatores sumus, maledictioni futuri obnoxij perpetuo, ni per Christum hic et seruaremur, et iustitia donaremur.

Puer. Vnde autem tanta in nobis naturae corruptio? Tantus ne fuit Adae lapsus, ut subijci ex aequo omnes, regno peccati et mortis propterea debuerimus? Paed. Vere tantus fuit. Transgressus enim Adam diuinum mandatum, naturali protinus integritate spoliatus, ac regno peccati et mortis subiectus est.

Puer. Quomodo autem haec naturae corruptio deriuari in nos potuit? Paed. Prouerbio dicitur: Mali corui malum ouum. Adam

donata priori illa integritate, spoliatus, procreare postea alios non potuit, atque sui similes, hoc est, peccatores.

Puer. Propagatione igitur tales sumus? Paed. Maxime. Nam huc Dauidis illud pertinet: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.

Puer. Qua ratione igitur tam foede lapso succursum est? Paed. In obedientiam statim sensus irae et iudicij dei excepit. Qua in re nisi nutabundum, adeoque quo se uerteret incertum, diuina bonitas sustentasset, dubium non est, quin ad desperationem adigendus fuerit Adam. Addita igitur statim est magnifica de Christo olim uenturo promissio, quam cum in tantis conscientiae terroribus fide adpraehenderet, protinus remissionem peccatorum consecutus est.

Puer. Mirum ni postea omnes patres per illiusmodi promissionem seruati sunt. Paed. Recte. Intuentes enim fidei oculis, in uenturum illum Christum, cuius aduentum, repetitae iterum atque iterum huiusmodi promissiones, certissimum fecerant, non aliter per eundem seruati sunt, atque nos, quibus certo quod uenerit et constat et persuasum est.

Puer. Puto tamen articulum hunc de remissione peccatorum, clarius tradi in Euangelio. Paed. Imo omnia quae promissa patribus erant, exorto hoc Euangelij iubare clariora esse coeperunt. Quid enim hoc doctrinae genus urget aliud ad poenitentiam et remissionem peccatorum? Oportebat Christum pati, inquit scriptura, et resurgere a mortuis tertia E 2. die, et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum, in omnes gentes etc.

Puer. Cur poenitentiam cum remissione peccatorum coniungit? Paed. Propterea quod nisi sentientibus et cognoscentibus peccatum, adeoque huius rei gratia ad Christum properantibus, remissio haec obtingere non potest: Poenitet enim, quisquis peccatum et agnoscit et detestatur, et mundari per Christum desiderat.

Puer. Iam ueluti refricas, quae de legis usu aliquando mihi abs te audita sunt, nimirum quod lege peccatum ostendatur. Euangelio uero remittatur. Sed num remissio haec extra Ecclesiam contingere cuiquam potest? Paed. Nequaquam. Habet enim claues ligandi et soluendi sola Ecclesia, Iam alibi peccatorum remissionem quaerere uelle, quid aliud est, atque Ecclesiae autoritatem, adeoque Christum ipsum, a quo potestatem hanc habet, contemnere ac eleuare? Loquor autem de sancta, Apostolica, et Catholica Ecclesia, quae et uerbum habet, et Sacramentis recte utitur, ne me putes de impiorum congregatione haec dicere.

Puer. Quae res potissimum, remissionem hanc adpraehendit? audio enim a plerisque, soli fidei, a plerisque fidei et operibus simul, hoc ipsum adscribi. Paed. Si quis scripturam penitius introspiciat, nullus hic nostris uel operibus uel meritis locus relinquitur, sed Christi tantum merito, quod fides adpraehendere debet, omnia accepta referuntur. Sic enim Actorum primo legitur: Christo omnes prophetae testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum accepturus sit, per nomen eius, quisquis crediderit in eum.

Puer. O fructum passionis preciosissimum, Sed quonam pacto tantus thesaurus distribuitur? Paed. Per uerbum et sacramenta, ueluti in superiori quoque colloquio diximus.

Puer. Quot tu Sacramenta numeras? Paed. Duo. Sed de ijs alias confabulabimur. Iam ea quae de remißione peccatorum audisti, uide sis diligenter perpendas et repetas.

Puer. Fiet.

De Baptismo, Dialogus XVII.

Summa huius dialogi. Quemadmodum Baptismus certum est
E 3. poenitentiae et remissionis peccatorum signum, ita negari non potest, quin Baptismo et regeneremur et in album filiorum dei recipiamur, id quod caeremonia quoque huius sacramenti indicat. Immersio enim in aquam, mortificationem ueteris Adam, extractio renascentiam significat.

Puer. SI bene memini, praeceptor humanissime, duo in superiori colloquio, Sacramenta numerasti. Paed. Recte, Numerare enim (Augustinum secutus) Baptismum et Coenam domini hic soleo, ut quae proprie ad promissionem de remissione peccatorum, pertineant.

Puer. Quid uocas sacramentum? Paed. Inuisibilis gratiae, uisibile signum.

Puer. Quid uocas Baptismum? Paed. Paulus lauacrum uocat, regenerationis, et innouationis spiritus sancti.

Puer. Hoc mihi regenerationis mysterium, latius quaeso explica. Paed. Dixi nuper, propter Adae lapsum, totam illius posteritatem peccati regno subiectam esse. Iam regno peccati subiectum esse, quid aliud est atque filium Satanae et mortis esse? ut ne igitur in hoc Satanae regno uel maneamus uel pereamus, opus regeneratione est.

Puer. Ea uero quomodo peragitur. Paed. Per aquam et spiritum, uel Christo teste, cuius haec apud Ioannem uerba sunt: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non potest introire in regnum dei.

Puer. Tantane est aquae uis et efficacia? Paed. Non, sed uerbi, quod adnexum aqua, habet. Verbo enim sanctificatur aqua qua ablueris, uerbo spiritus donatur, uerbo remissio peccatorum offertur. Atque huius rei gratia, Baptismus alicubi ab Augustino, lauacrum aquae in uerbo dicitur.

Puer. Ergo qui Baptizantur, et remissionem peccatorum et spiritum sanctum nanciscuntur? Paed. Modis omnibus. Neque enim aliter regeneratio fieri posset, quam per aquam et spiritum fieri antea diximus.

Puer. Quid si mali sint, per quos tantae res administrantur? Etsi ne tum quoque eadem Sacramentorum uis et efficacia? Paed. Quid ni?
E 4. Baptismus et praeceptum et uerbum Christi habet, quibus uel ob dantis uel suscipientis malitiam nihil decedere potest.

Puer. Quantum audio, magna est Sacramentorum dignitas. Paed. Imo tanta est, ut sine certo salutis dispendio contemni non possit.

Puer. Donabanturne etiam res tantae, in Ioannis Baptismo? Paed. Eadem utriusque Baptismi ratio est, praeterquam quod Ioannis Baptismus, uenturum Christum testabatur, quem nunc certo exhibitum scimus, utrunque enim et sanctificabantur baptizati et in numerum filiorum dei recipiebantur. Ad haec inter Ioannis et Christi personam, magnum discrimen est, quod obseruari oportet.

Puer. Nimirum omnia huc, quae dicis, tendunt, ni fallor, ut in Baptismo peccata condonari omnia ostendas, adeoque spiritum conferri.

Sed unde post tanta in Baptizatis et renatis imbecillitas? Paed. Omnia peccata in Baptismo condonari, certum est, non ut omnia postea non sint, sed ut ne imputentur. Interim reliqua est in carne nostra concupiscentia, cum qua, quoad uiuimus luctari nos oportet. Porro si credimus omnia nobis peccata in baptismo condonata esse, iam regnare peccatum in nobis non potest, etiam si subinde per imbecillitatem impingamus alicubi, quemadmodum Paulus inquit: Nihil nunc est damnationis, ijs qui sunt in Christo Iesu.

Puer. Quid per Baptismi caeremoniam significatur? Paed. Immersio in aquam, mortificationem ueteris Adam, extractio renascentiam significat. Protinus enim homo a Baptismo peccato mori et iustitiae uiuere incipit, memor ibi quid uouerit, adeoque nomen cui dederit.

Puer. Miror a re tam salutari totque nominibus commendabili, usque adeo abhorrere Anabaptistarum animos. Paed. Abhorrent illi quidem, sed maximo salutis suae incommodo. Tu uero persuasus esto, toto coelo errare illos, adeoque baptismum non tam ad adultos quam paruulos etiam pertinere. Neque enim uerisimile est, generali hoc praecepto: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris et filij et spiritus sancti, paruulos compraehensos non esse, quum in ueteri lege ad circuncisionem, quam certo baptismus excepit, admissi sint.

Puer. Ego phanaticorum istorum hominum deliramenta, tantum abest ut morer, ut etiam propemodum audire dedigner. E 5. Paed. Interim eorum quae de baptismo diximus memor esto. Quanto enim a Siculis istorum gerris alienior es, tanto te sanae doctrinae decet addictorem esse.

Puer. Nihil propicio Christo praetermittetur.

De coena domini, Dialogus XVIII.

Summa huius dialogi. Coena dominica praeceptum Christi, corpus et sanguinem Christi, et promißionem remißionis peccatorum habet. Quare qui recte tanto utuntur mysterio, ij et remißionem peccatorum consequuntur et in fide confirmantur et ad ferendam crucem alacriores redduntur. Habet autem tantam efficaciam a uerbo cui innititur.

Puer. ECce autem iterum tibi discipulum tuum praeceptor charißime. Paed. Facis quod te decet. Neque enim omnia, quae scire Christianum oportet, tractare hactenus potuimus.

Puer. Scio, hacque de caussa subinde reuertor, auditurus nimirum, quae supersunt omnia. Quod si non fallor, ordo noster de Coena ut dicas, poscere uidetur. Paed. Recte.

Puer. Quid igitur Coenam domini uocas? Paed. Nihil aliud ac signum noui testamenti certißimum.

Puer. Quid est nouum testamentum? Paed. Remißionis peccatorum, et reconciliationis per Christum partae promißio.

Puer. Quem in usum signum huiusmodi institutum est? Paed. Vt uacillantes et imbecilles animos nostros in fide erigat, corroboret, alat, confirmetque. Cum enim Christus corpus suum ac sanguinem impertit manducantibus, testatur paßionis suae beneficium ad omnes electos pertinere, cuius ita demum participes futuri sint, si et credant et manducent. Quanquam cur non coenae uerba, e quibus omnia haec clarius conspici possunt, recitamus? Dominus Iesus in ea nocte qua traditus est, accepit

panem, et postquam gratias egisset, fregit et dedit discipulis suis, dicens:
E 6. Accipite, comedite, HOC EST CORPVS MEVM, quod pro uobis datur. Hoc facite in mei commemorationem etc.

Puer. Hisce uerbis coena instituta est? Paed. Est. Ac quidem principio hic obseruabis, quod ad sacrosanctum hoc conuiuium Christi etiam praecepto uocemur, deinde quod non inane et inefficax quoddam signum, sed uerum corpus et sanguinem manducantibus exhibeat. Postremo quod comaestio haec, si fides accedat, remißionem peccatorum coniunctam habeat.

Puer. Ego uero de Christi hoc praecepto nullus dubito, imo pro Christiano nunquam habiturus essem, si quis praeceptum hic non esse, negare in animum inducere uellet. De signo quid aliud dicam, ac Christus? Is, panem coenae, corpus, calicem, sanguinem suum uocat, cui fidem habeo. Iam quod peccata, fide iuxta ac ore manducantibus condonentur, tam arbitror esse manifestum, ut negari non poßit. Puto hanc tamen signorum cum dignitatem tum efficaciam tum uim e solo uerbo pendere. Paed. Maxime. Absque uerbo enim signa ne tantillum quidem prodesse possent.

Puer. Quos autem ad sacrosanctam hanc coenam potißimum admitti decet? Quoslibet ne, an probe in Christianarum rerum cognitione instructos tantum? Paed. Certe absque delectu quoslibet admittere, margaritas porcis obijcere esset. Probet, inquit Paulus, seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.

Puer. Qua ratione probatio haec fieri solet? Paed. Si te sentias famelicum, et alienae opis indigum esse, hoc est, Si te sentias peccatorem esse, adeoque sarcina hac peccatorum, nisi per Christum, leuari non posse. Qui sic adfecti sunt, sicque credunt, ij demum digne utuntur tanto mysterio.

Puer. Vnde sciri potest, eos qui accedunt, sic esse adfectos? Accessuri prius examinantur. Ad haec, peccatum confitentibus absolutio Euangelica adnunciatur, quibus etiam post, mensam hanc adeundi potestas fit. Paed. Erga facinorosos autem et manifestis criminibus obnoxios, quales hic esse debent parochi?

Puer. Ii tantisper arcendi hinc sunt, dum erratum cognoscentes in uiam redeant. Quantum audio, maius quiddam est Christianum esse,
E 7. quam uulgus existimat. Paed. Tu da operam igitur, ut uere Christianus fias.

De carnis resurrectione et uita aeterna, Dialogus XIX.

Summa huius dialogi. Quemadmodum per uerbi potentiam creare hominem Deus, cum nondum esset, ex nihilo potuit: ita in puluerem quoque redactum, eadem potentia ad aeternam uitam poßidendam suscitare potest, et uult etiam. Est autem consolatio Christiano homini ingens, quod post tantas huius mundi praessuras, aliam tandem et omnibus aerumnijs carentem uitam, perpetuo habiturus sit.

Puer. SAlue praeceptor. Paed. Et tu saluus sis. Sed quid gestis? Cur sic frontem exporrigis.

Puer. Laetum me facit, ille tam exacte perpensus, de remißione peccatorum articulus. Paed. Interim uide, ut quod tantopere arridet, fide etiam adprehendas.

Puer. Spero Christum hac mihi in re adfuturum, laterem alioqui, quod dicitur, in rebus tantis lauanti. Paed. Eo hactenus gradum in pietatis negocio fecisti, ut etiam res ipsa clamitet, illum ipsum adesse tibi. Quod si pari diligentia in caeteris quoque fidei articulis perdiscendis utare, non dubito quin olim in iudicio e mortis somno expergefactus, uitam aeternam habiturus sis.

Puer. Expergefieri ergo e mortis somno, ad aeternam uitae beatitudinem, omnes aliquando debemus? Paed. Nihil certius.

Puer. Neque ego hac de re dubito, etiamsi interim metus sit, ne multi sint, qui securitate quadam Epicuraea ebrij illud ex Virgilio iacta re serio audeant:

> O pater anne aliquas ad coelum hinc ire putandum est.
> Sublimes animas? iterumque ad tarda reuerti
> Corpora? quae lucis miseris tam dira cupido.

Paed. Atqui hoc Epicuraeorum genus e Christianorum coetu profligari debebat. Quid enim persuasione hac falsißima ad seducendam iuuentutem nocentius?

Puer. Puto securitatem hanc ex ipsius rei difficultate nasci. Vere enim in oculis rationis difficile est carnis huius, si semel mortua ac computrefacta sit, resurrectionem credere. Paed. Ergo hic fide opus E 8. est, quae auersis a ratione oculis in Deum omnipotentem intueatur. Vnde enim is hominem, quum non esset, creauit?

Puer. Ex nihilo. Paed. Recte. Qui ex nihilo igitur nondum existentem creare potuit, an non idem in puluerem redactum resuscitare ac reuocare posse, credendus est?

Puer. Deo poßibilia sunt omnia. Paed. Atque tanto magis mirandum est inueniri, qui Epicuraeam istam et Lucianicam de resurrectione opinionem amplecti audeant.

Puer. Puto semper fuisse, qui rem omnium certißimam in dubium uocare ausi sint. Paed. Fateor. Sed tu uide sis Saduceos istos caueas. Habes enim solidas scripturae cum in ueteri tum in nouo testamento sententias, unde probari resurrectio carnis nostrae potest irrefragabiliter.

Puer. Recita obsecro, unam atque item alteram. Paed. Multi, inquit, Dan. cap. 12. de ijs qui dormiunt in terrae puluere, euigilabunt, alij in uitam aeternam, alij in opprobrium sempiternum. An non locus hic de resurrectione loquitur clarißime.

Puer. Non nego. Expecto autem unum aliquem ex noui testamenti literis. Paed. Vnum aliquem? Atqui uel sexcenti hinc, si cui ocium esset, citari possent. Citabimus tamen unum, sed talem, cui uel soli quis tuto inniti queat. In Euangelio Ioannis sic inquit Christus: Haec est uoluntas eius, qui misit me, ut omnis qui uidet filium et credit in eum, habeat uitam aeternam, et ego suscitabo eum in nouißimo die. Hic de carnis resurrectione ac uita aeterna adeo manifeste loquitur Christus, ut dubitationi hac in re locum plane reliquerit nullum.

Puer. Quales autem resurgemus? Paed. Haec eadem caro, quam et uides et palpas, resurget, sed innouata, glorificata, immutata et transfigurata, quo uidelicet conformis fiat glorioso corpori Christi, quemadmodum Apostolus inquit ad Philippenses 3.

Puer. O felices quibus sic resurgere dabitur. Paed. Vere felices, nisi forte felicitas non est, ab omnibus malis, quibus temporaria haec uita obnoxia est, liberari, adeoque immortalitate ac perpetua felicitate donari. Quod si uerum fateri uolumus, Nihil est usquam in toto terrarum
F 1. orbe, quod in omnibus uitae periculis aeque consolari nos possit, atque haec de corporum nostrorum resurrectione, deque uita aeterna promissio.

Puer. Interim impijs puto, ut mortis, ita harum quoque rerum mentionem formidabilem esse. Paed. Quid ni? cum resurrecturi sint et ipsi caeterum ad aeternos cruciatus.

Puer. Quin operam igitur damus, ut ne in istorum numero, adueniens olim Christus, nos conspiciat? Paed. Vel hic diligentes simus, uel aeternos cruciatus expectemus oportet.

De Oratione et Dominicae precationis exordio, Dialogus XX.

Summa huius dialogi. Vt in fide ad finem usque perduremus, oratio per Christum impetrat, quae ut in praeceptum et promißionem eiusdem Christi semper defigere oculos debet: ita ante omnia memor sit, patrem esse, eoque ad exaudiendum facilem, quem in necessitatibus nostris inuocare iussi sumus. Huc enim pertinet, quod in exordio Dominicae praecationis pater dicitur.

Puer. FIdei symbolum, unde quid credere debeamus perdiscitur, puto nunc praeceptor absoluisse te. Paed. Multa hisce de rebus dici adhuc poterant, quae breuitatis studio et consulto omisimus, uidelicet: ut ne theologissare incipientem loquacitate adobrueremus, uel de proximis enim articulis, resurrectione uidelicet carnis et uita aeterna, quantus Deum immortalem, dicendi campus superest? Sed breuitatem quum semel professi fuissemus, recedere ab ea ne latum quidem unguem debebamus. Interim tamen moneo, ut hac de re Paulum subinde legas, in priore ad Corinthios, capite decimoquinto. Dici enim non potest, quam fideliter hoc ibi argumentum tractetur.

Puer. Fiet. Paed. Ante omnia uero cauebis, ut ne fidei, quam hactenus tibi tradidimus, synceritatem ullo pacto uitiari patiaris. Ea enim ut res magna est, ita hostes, qui extinctam in cordibus nostris cupiant, habet acerrimos?

Puer. Caueri hoc qua ratione potest? Paed. Si semper orationi
F 2. 40 intentus, dicas cum Apostolis, domine adauge nobis fidem.

Puer. Quid est oratio? Paed. Est seria nominis Dei inuocatio, quam postea comitari gratiarum actio solet.

Puer. Si recte memini, dixisti hac etiam de re, quum secundum primae tabulae praeceptum explicares. Paed. Nihil falleris. Quid tamen in seria oratione spectandum sit potissimum, dictum ibi non est.

Puer. Seria igitur oratio quid potissimum requirit? Paed. Principio ut in praeceptum Dei et Christi, quo orare iubemur, defigamus oculos. Hac enim ratione fit, ut nostra neque incredulitate neque in-

dignitate (quae res potissimum orationem remorari solent) ab inuocando deterreamur.

Puer. Praeceptum igitur oratio habet, quod alijs decalogi praeceptis aequari possit? Paed. Habet. Praeceptum enim est, quod per Dauidem dicit: Inuoca me in die tribulationis. Praeceptum item est, quod Christus dicit: Petite et accipietis. Item: Oportet semper orare, et nunquam deficere.

Puer. Nimirum hoc tibi uis, Deum, si exauditurus non esset, praecepto nos inuitaturum etiam huc non fuisse. Paed. Tenes. Huc nunc accedit promissio, in quam nihilo minore cura, atque in praeceptum, intuendum est.

Puer. Forsan paulo ante citatam intelligis, nimirum istam: Petite et accipietis. Paed. Imo quotquot usquam in sacris literis extant. Nam omnes ex aequo ad inuocandum inflammare nos possunt.

Puer. Mirum ni diligenter huius rei gratia et obseruandae et ediscendae sunt. Paed. Ediscendae sunt fateor. Sed fidem ante omnia huc accedere oportet, quae promißiones huiusmodi mordicus arripiat, ijsque ipsis contra omnem de bona dei erga nos uoluntate dubitationem sese tueatur. Credere enim inuocantem oportet, quod certo exaudiendus sit, etiamsi mora quaepiam intercedat.

Puer. Fidem orantis mirifice promißionibus confirmari credo. Paed. Huc iam nunc adde, illud in precatione dominica exordium quo de deo non aliter atque de benignissimo patre sentire iubemur.

Puer. Habet, fateor, magnam gratiam patris uocabulum, praesertim si quis probe expendat, quantae maiestatis dei sit uocabulum. Paed. Obserua igitur caussam, cur patrem in oratione uocare, a Christo iussus sis. Pater est, quia erga credentes, candidissime et syncerissime adfectus F 3. est. Noster est, ne quis imaginetur, nullam sui si credat, rationem habendam esse. In coelis est, ut uideas omnipotentem esse, quique constitutis adhuc in terra filijs opitulari, propter Christum et possit et uelit.

Puer. Quem huiusmodi caussae ad inuocandum non inuitant, eum quae res inuitare possit non uideo. Sed quibus potissimum uerbis, uti in oratione debemus? Audiui enim M. Adamum Fuldensem nuper concionantem hac de re, damnantemque hic praesertim battologiam. Paed. Virum mihi doctissimum et optimum narras. Cur autem battologiam non damnaret, antea a Christo quoque damnatam? Sed consuluit hic imbecillitati et ignorantiae nostrae Christus in Euangelio, formam nobis praescribens, qua uti in orationibus absque periculo possemus.

Puer. Eam formam rogo ut mihi, quemadmodum caetera hactenus, explanes. Paed. Hac de re cras agemus.

De prima Dominicae precationis petitione, Dialogus XXI.

Summa huius dialogi. Prima dominicae precationis petitio ostendit, nomen dei tum apud nos sanctificari, cum pater in Christo agnoscitur, glorificatur, colitur, inuocatur, laudatur, pro collatis in nos beneficijs gratiae eidem aguntur. Denique cum non operum sed fidei iustitia praedicatur, creditur, uiuitur, quemadmodum rursus nomen dei polluitur, cum nihil horum praestatur.

Puer. ITane ais praeceptor suauissime, quicquid a deo uel spiritualium uel corporalium bonorum peti possit, id totum in oratione dominica compraehensum esse? Paed. Aio. Habet enim duas classes. Prior ut petitiones tres continet, ut ea fere quae ad spiritum pertinent, complectitur, nimirum sanctificationem nominis dei, aduentum regni dei et diuinae in nobis uoluntatis completionem. Altera petitiones quatuor habet, sed in quibus ea fere quae corporalia sunt petuntur.

Puer. Quin igitur de singulis petitionibus ordine disseris? Paed. F 4. Id facturus eram, etiamsi nullus monuisses. Ac quidem principio hic obseruabis, nomen dei per se modis omnibus, uenerandum, suspiciendum, ac sacrosanctum esse. Interim tamen apud plerosque usque adeo polluitur, contemnitur, exibilaturque ut non immerito pro sanctificatione tanti nominis orare Ecclesia iubeatur.

Puer. Istuc apud quos et quo pacto fiat audire cupio. Paed. Qui patrem in Christo et Christum in Patre non agnoscunt, qui gloriam dei et Euangelij remorantur, qui iustificationem operibus non fide metiuntur, qui in caussa sunt, quo minus Pater ille coelestis uere et agnoscatur, et inuocetur et colatur inter homines, ij demum sunt, qui sanctissimum hoc nomen prophanant et prostituunt.

Puer. Spero haud ita multos reperiri, qui culpari hic possint. Quis enim gloriam nominis dei remorari in animum inducat? Paed. Imo bona mortalium pars hic impingit. Quotusquisque enim est, iustitiam fidei qui uere agnoscat? recte deum qui inuocet? denique qui ad Euangelij praescriptum mores uitamque componat?

Puer. Interim tamen magna multitudo est eorum, Christianum nomen qui iactant. Paed. Quemadmodum non omnes qui citharam habent citharaei sunt, ita non statim pro Christiano habendus est, qui Christianismum crepat et Euangelium. Constat enim haec professio, non hypocrisi, non inani uerborum strepitu, sed agnitione Christi, fide, spe et charitate, quas res uidere semper fuit apud paucissimos.

Puer. Opus igitur hic est, quantum audio, adsiduis precibus, ut uidelicet Christiani non tantum dicamur, sed reuera etiam simus. Paed. Rem acu tangis. Porro nisi haec in tanta hominum malitia adhibeantur, non solum ut apud nos nomen diuinae maiestatis non sanctificetur, uerumetiam ut male, propter nos apud gentes audiat, futurum est.

Puer. Hoc igitur uis in summa orare nos, ut ubique Deus in Christo agnoscatur, glorificetur, colatur, inuocetur, laudetur, denique ut pro omnibus in nos collatis beneficijs grati simus, uita etiam interim testificantes, quia non abs re Christo nomen in baptismo dederimus? Paed. Tenes.

Puer. Vtque nihil professione hac apud Christianos indignum F 5. usquam committatur? Paed. Hoc uolo, imo non ego, sed is, a quo interpellare pro sanctificatione nominis huius, iußi sumus.

De secunda dominicae precationis petitione, Dialogus XXII.

Summa huius dialogi. Ex secunda hac dominicae praecationis petitione liquet, atrox esse inter Christum et satanam diβidium. Hic enim ad perdendum, ille ad seruandum uenit. Quare cum oramus ut

Christi regnum aduenìat, hoc oramus, ut in hac uita exulantibus filijs spiritum impertiat, qui per uiam in fide nos et confirmet et spirituale illud regnum, cuius post mortem plene haeredes erimus, in nobis hic inchoet.

Puer. VTinam eo in statu res meae sitae essent, ut istam tuam praeceptor diligentiam, digna mercede ac precio pensare possem. Testarer profecto non uerbis, sed re ipsa, gratum discipuli animum. Paed. Atqui ego ut in formandis discipulorum animis, nullo unquam labori parsurus sum, ita semper cum Terentio eum esse quaestum in animum induxi maximum, quam maxime seruire discipulorum commodis. Et nescio profecto an praeceptoris nomen mereatur, in formanda iuuentute, qui scopum alium praefixum habet.

Puer. Interim tamen par est, ut tantos labores digna etiam merces excipiat. Paed. De ijs alias. Accingamur iam ad eorum potius, quae in pietatis negocio supersunt, explanationem. Et scis qua de re heri uerba fecerimus?

Puer. Maxime, nimirum de sanctificatione nominis Dei. Paed. Sequitur ergo iam nunc altera primae claßis petitio, quae sic habet: Aduenìat regnum tuum.

Puer. Mirum ni Dei a satanae regno longe lateque disiungit haec oratio. Paed. Imo quam longißime. Quae conuentio enim, inquit Paulus, Christi cum Belial? In satanae regno peccatum, mors, et infernus dominantur: In regno autem Dei iustitia, pax, et gaudium in spiritu sancto conspiciuntur.

Puer. Quid igitur est in hoc regno regem esse? Paed. Peccatum, mortem, infernum, ac satanam uincere, id quod solus Christus praestitit.

Puer. Puto tamen nos quoque huius uictoriae participes fore, si F 6
credamus. Paed. Quid certius? Christus quicquid huius fecit, nostri caussa fecit, qui subiecti antea satanae regno eramus. Quod si beneficij huius magnitudinem fide adprehenderimus, non solum tantae uictoriae participes, uerum etiam regni huius consortes futuri sumus, usque adeo nihil, quod quidem ad augendam electorum dignitatem pertinet, a Christo omissum est. Principio satanae imperio propter peccatum subiectos, proprij sanguinis effusione in libertatem asseruit. Assertos in libertatem sempiterna iustitia donauit. Libertate donatis regni et sacerdotij etiam ius obtulit, ita in hoc suum regnum nos inserens, ut nulla unquam creatura nobis, si in fide persistamus, nocitura sit.

Puer. Spirituale mihi regnum describis, cui utinam ita inserar, ut nunquam diuelli queam. Paed. Maxime spirituale. Quemadmodum enim in hac uita spiritu et fide inchoatur, ita post hanc uitam durat perpetuo. Quare cum oras: Aduenìat regnum tuum, memineris non solum hoc orare te, ut accelerato mundi fine Deus, ipse solus imperij habenas in coelo cum electis moderetur, uerumetiam ut in hac uita exulantibus filijs suis spiritum impertiat, a quo in fide per uerbum et confirmentur, et a praua doctrina tuti fiant. Hac enim maxime ratione spirituale hoc regnum in nobis inchoatur, cuius postea post iudicium ad plenum haeredes futuri sumus.

Puer. Si sic res habet, perpetuo uociferabor ad Deum: Aduenìat regnum tuum. Paed. Vociferare autem in fide. Ea enim si

clamores cordis tui comitetur, dubium non est, quin certo etiam exaudiendus sis.

De tertia dominicae precationis petitione, Dialogus XXIII.

Summa huius dialogi. Tertia precationis huius petitio hoc sibi uult, ut quemadmodum in coelitibus idem sit obediendi animus, eadem alacritas, eadem promptitudo: ita nos quoque alacriter uerbo adhaerescamus, iuxta Euangelij doctrinam uitam instituamus, carnis uoluntatem mortificemus, nihil designantes, quod non coelesti isti patri gratum semper futurum sit.

F 7. Puer. ITane praeceptor in proximo colloquio dictum abs te est in regno Christi esse, quotquot et spiritum et remißionem peccatorum et iustitiam per fidem, qua verbum adprehenditur, nacti sint? Paed. Imo id genus homines, non solum regni et sacerdotij Christi in hac uita participes esse dixi, Verumetiam aeternum illud in futuro seculo regnum cum illo habituros.

Puer. Si ergo tantas commoditates habent quotquot e satanae potestate in hoc regnum transferuntur, iam merito sine intermißione oramus, regnum hoc ut adueniat. Paed. Vere merito. Quid enim commodius obtingere homini potest, atque sub eo rege militare, qui et gubernare per uerbum ac spiritum perpetuo nos, et aduersus omnes satanae ac mundi insultus tueri queat? Atque huic orationi recte nunc tertia illa petitio, qua oramus, ut uoluntas illius fiat, subiungitur.

Puer. Nisi fallor, spirituales res et haec complectitur, adque primam huius precationis classem referenda est. Paed. Nihil falsus es.

Puer. Quo pacto igitur id quod uoluntas illa patris nostri exigit praestatur? Paed. Si bonus ille Euangelij odor spargatur quam latißime, si iuxta Euangelicam doctrinam omnes homines uitam instituant, si denique unum hunc scopum praefixum habeant. Vt mortificata carnis uoluntate ea tantum designent, quae coelesti isti patri grata esse cognouerint. Neque enim aliud eundem uelle Paulus quoque testatur, ubi inquit: Haec est uoluntas Dei sanctificatio uestra.

Puer. Atqui hisce in rebus haud ita morigera caro esse solet, nisi forte uerum non est, quod te saepe memini dicere: Cor hominis prauum esse ab adolescentia. Paed. Si suapte uoluntate ad obediendum diuinae uoluntati homo raperetur, superuacanea esset haec oratio. Quia uero natura ad malitiam ac inobedientiam pronus est, idcirco ut ubique diuinae uoluntati obtemperetur, orare iußi sumus. Vbi enim haec uoluntas per uerbum cognoscitur, perque obedientiam praestatur, ibi tum nulla calamitas tanta accidit, nulla aduersitas urget, nulla crux intentatur, quam non
F 8. adsuescamus ferre patientißime, semper cum Paulo dicentes: Magnificabitur Christus in corpore meo, siue per mortem siue per uitam. Nam mihi uita Christus est, et mori lucrum.

Puer. Cur additur, quemadmodum in coelo sic etiam in terra? Paed. In coelitibus idem est obediendi animus, eadem uoluntas, eadem alacritas, ita ut de ijsdem propheta etiam Dauid dixerit: Facientes uerbum illius, ad audiendam uocem sermonum eius. Cum igitur agnatam hypocrisin fere habeat caro, non abs re orare iubemur, ut quemadmodum

in coelo, sic etiam in terra domini uoluntas fiat. Quis enim obedientiam eorum probet, qui quod faciunt, non sponte, non ex animo, non ex synceritate, sed metu poenae et seruiliter faciunt? Qualis ille fuit in Euangelio filius, qui a patre in uineam ire iussus, iturum quidem se respondit: sed tamen id quod dixerat, non praestitit.

Puer. Quantum igitur audio, obtemperandum est diuinae in omnibus uoluntati, sed absque fuco, syncere et candide. Paed. Tenes. Quod si etiam tantum hic, praepeditus humana imbecillitate, praestare quantum cupis nequeas, tamen uotum hoc animi tui gratum Deo est, uel Ethnico teste:

Vt desint uires, tamen est laudanda uoluntas,
Hac ego contentos auguror esse deos.
Haec facit ut ueniat pauper quoque gratus ad aram
Et placeat caeso non minus agna boue.

De quarta dominicae precationis petitione, Dialogus XXIIII.

Summa huius dialogi. Quarta praecationis huius petitio hoc sibi uult, ut qui in spiritualibus rebus, omnia nobis necessaria adfatim suppeditat, idem in corporalibus quoque rebus ad commoditatem uitae pertinentia filijs suis largiatur. Pertinent autem ad commoditatem uitae corporis alimonia, prospera ualetudo, pax, magistratus uigilans, successus in rebus agendis, commoda uxor, et pia proles.

Puer. SEquens in dominica praecatione petitio qua pro quotidiano pane Deus interpellatur, ad primam praeceptor classem pertinet, an ad alteram? Paed. Ad primam pertineret, si res spirituales complecteretur. Quia uero corporalia sunt, hic quae petuntur, referenda ad alteram est. G 1.

Puer. Ecquid panis nomine comprehenditur? Paed. Panis nomine audio apud Haebraeos, et uictum et omnia uitae commoda intelligi, quod ipsum ut credam facile inducor, praesertim quum Euangelistas quoque hoc uocabulo in eam sententiam uideam uti.

Puer. Atqui ad uitae commoditatem, quid potissimum pertinet? Paed. Parabilis principio uictus. Nisi enim habeas, unde et te alas et familiam, iam nihil est, quod de uitae commoditate glorieris.

Puer. Plus igitur hac in re orationi atque manuarijs operibus tribuis? Paed. Quemadmodum aues ad uolandum ita ad faciendum opus, hominem quoque natum esse scio. Neque enim frustra dictum est: Sex diebus operaberis. Interim tamen ad laborem hunc, domini quoque benedictionem accedere oportet, propterea quod citra hanc frustra laboratur, uel Dauide teste. Iam benedictionem hanc, an non oratio ex solida fide diuinans impetrat?

Puer. Non nego. Paed. Huc iam nunc adde, prosperam corporis ualetudinem, pacem, defensionem, successum in rebus gerendis, piam prolem, et commodam uxorem.

Puer. Facile credo ad commoditatem uitae, prospera ualetudine opus esse. Paed. Disce igitur, quod oratione haec et impetretur potissimum et conseruetur, id quod ethnicus etiam poëta confiteri coactus est, dicit enim:

Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

An non autem et pace opus est et defensione? Aut citra hanc constare politicae rationes, leges, et bonae disciplinae possunt?

Puer. Non arbitror. Neque enim ullum bellum tam potest esse uel iustum uel pium, quod non propter neglectum talium rerum, merito κακῶν θάλασσα dici poßit. Paed. Idem sentiendum puto, de successu in rebus gerendis. Nisi enim et hic propitium deum sentiamus, quid queso tandem carnali illa prudentia, qua fere caro intumescit, efficiemus. Testatur scriptura Iosephum in aula Aegyptiaca prospere ac foeliciter egisse omnia, sed interim hunc successum Deo optimo Maximo, qui opera illius solus direxerit, acceptum refert.

G 2. Puer. Vera sunt haec. Paed. Quid dicam de commoda uxore et pijs liberis? Vt enim omnia corporis commoda maxime adsint certe si quid hic desiderabitur, iam usque adeo commode non uiues, ut mortem etiam interdum uita potiorem habiturus sis, dicitur prouerbio: Ignem, mare, et mulierem, tria mala pessima esse. Id si de morosa, rixosa et impia intelligas, fortassis aliquousque uerum est. Sin uero de commoda interpreteris, iam nihil absurdius dici potest. An non enim creatura dei bona est? Et Ecclesiasti. 26. dicitur: Gratia super gratiam, mulier sancta et pudica. Quare et hic oratione opus est, ijs qui non nubere, sed ducere uxores uolunt. Vt nimirum tales nanciscantur, quae et commodae et dicto audientes sint. Neque enim dubium est, quin tales parentes, si et disciplina accedat et oratio non cesset, pios liberos uisuri sint.

Puer. Quantum audio, nisi inuocato numine, nihil unquam uel incipiendum uel faciendum est. Paed. Sapis, modo eorum quae audis, semper memor, nunquam non Deum pro auxilio et adiutorio inuoces.

De quinta dominicae precationis petitione. Dialogus XXV.

Summa huius dialogi. Quinta huius precationis petitio ostendit, perpetuo Christianos, per carnis imbecillitatem delinquere, eoque peccatorum huiusmodi gratia, Deum perpetuo per Christum interpellare oportere. Signum autem hic habes, unde certior reddi possis, peccata tibi condonata esse omnia: nimirum si sentias te quoque ex animo remittere posse, ijs a quibus laesus sis, uel iniuria adfectus.

Puer. DE quotidiano pane, heri praeceptor uerba fecimus, qua de re quum tuo more breuiter quidem, sed tamen dilucide dissereres, factum est, ut omnem ex animo meo torporem prodigaris, adque orandum me reddideris uigilantissimum. Paed. Xerxes, teste Cicerone, praemium proposuit, qui nouam inuenisset uoluptatem. Ego uero ijs propositum
G 3 a magistratu praemium esse cuperem, qui in paedagogijs caeteros uincerent discendo, ac fideliter continendo superarent. Sic enim fieret, ut uincendi cupiditate accensi iuuenes, ad honesti studium omnes ex aequo raperentur, id quod dico, ut mihi docilitatem istam tuam uideas uehementer probari.

Puer. Atqui me non iam praemium huc, sed earum rerum, quae abs te dicuntur, utilitas rapit. Quare etiam te, uti ea quae de debitis nostris remittendis sequuntur, explicare digneris rogo. Paed. Oratio haec qua nostra nobis debita remitti, perinde atque nos debitoribus

nostris remittamus, petimus, principio egregiam Ecclesiae confessionem habet, deinde consolationem, postremo signum quoddam ueluti sacramentale.

Puer. Haec mihi latius explanes oportet. Paed. Fiet, ac quidem principio obseruabis remißionem peccatorum Ecclesiae, hoc est, pijs ac electis omnibus, propter fidem in Christum certo contigisse. Neque enim fallit nos, cuius haec uox est: Qui credit in me, non pudefiet, sed habebit uitam aeternam. Quia uero reliqua est in electis concupiscentia, quae subinde facessit ijsdem negotium, ita ut interdum per imbecillitatem lapsi ea designent, quae fieri non oportuerat, recte peccatum hoc suum confitentur. Sic enim et Paulus, habitare in carne sua peccatum fatetur, quod in caussa sit, quo minus quod probet agat.

Puer. Omnes igitur qui hasce peccati reliquias sentiunt, pro remißione huius imbecillitatis, interpellare Deum oportet? Paed. Omnes peccatis huiusmodi obnoxij sumus: Omnes igitur pro remißione oremus oportet. Hinc Ioannes inquit: Si, inquit, dicimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus et ueritas in nobis non est.

Puer. Vnde autem hic petenda est consolatio? Paed. A Christo ipso, ut pro remißione horum delictorum Patrem subinde interpellemus, iussi sumus. Dubium igitur non est, cum idem et mediator et patronus noster sit, quin certo exaudiendi simus.

Puer. Credo. Sed cur conditionem addit, non prius nostra nobis debita remitti debere, quam nos debitoribus nostris remittamus? An non remißio peccatorum per fidem in Christum contingit? Cur igitur condonatio nostra hic, perinde atque eficiens caussa harum rerum exigitur? Paed. Condonatio quidem nostra hic exigitur, fateor, caeterum non in hoc, ut remißionem nostrorum peccatorum pendere hinc existimemus, sed ut hoc ueluti signo admoneamur, quod ad eundem modum nobis quoque Deus ignoscere certo uelit. Quod si haec nondum satis clara tibi uidebuntur accersere huc Euangelicam illam de remißione debiti parabolam potes, cuius ordo, sententiae huius certißima interpretatio est. Principio enim debitori ex mera gratia debitum remittitur: deinde quod et ipse conseruo suo debitum remittere ad eum modum debuerit ostenditur. An non hic condonationem nostram peccatorum remißio praecedit?

Puer. Vtinam quae dicis tam bene praestare possem, quam nihil scrupuli hic nunc sentio. Paed. Memineris igitur in hoc te orare iussum esse, ut quod uiribus tuis non potes, cooperante et adiuuante Deo possis.

De sexta dominicae precationis petitione, Dialogus XXVI.

Summa huius dialogi. Quum permittente Deo omnia hominibus aduersa eueniant, pijs ad probationem, impijs ad interitum, orandus per Christum Deus est, ut ne in id genus aduersitatibus et adflictionibus nos destituat, sed per spiritus consolationem fortes et uictores faciat. Certum enim est in tentatione, citra diuinum auxilium, subsistere posse neminem.

Puer. EQuidem gaudeo preceptor humanissime eo me tua opera gradum fecisse, ut propemodum summariam mihi christianae doctrinae

cognitionem arrogare audeam. Quod si propitius in posterum quoque Christus adesse dignabitur, dabo operam ut et id quod superest imbibam feliciter, et alijs quoque quod dici non ignauiter impertiam. Paed. Si
G 5. quid tibi mea opera profuit fili charissime, id mihi non potest non esse gratissimum. In hoc enim scholis praeficimur adeoque publicis rerum publicarum salarijs fouemur, ut animos uestros et literis et pietate formemus. Caeterum caue arroganter ob hanc, quam spiritu doctore nactus es cognitionem, de te sentire incipias. Par enim est, ut despicabile hoc apud mundi sapientes doctrinae genus, perpetuam modestiam coniunctam habeat. Facile alioqui insidijs diaboli irretitus, in eorum album adscribereris, qui ore Christianismum confitentur, quem factis interim negant.

Puer. Atqui uiam hic mihi commostra tu, quam ingressus insidias huiusmodi effugere queam. Paed. Insidias huiusmodi praecauebis, si semper dicas: Ne nos inducas in tentationem.

Puer. Recte petitionis huius mentionem facis, cuius exegesin ordo etiam noster postulat. Sed quid ego audio? Deus quemquam in tentationem inducit? An non tentator noster diabolus est? Paed. Tentat Deus, tentat et satanas, sed diuerso fine. Deus tentat, ut erudiat, ut doceat, utque in nostri nos cognitionem perducat. Sic Abraham, sic Isaac, sic Iacob, sic Iob ac reliqui sancti tentati sunt. Tentat et satan, sed in hoc, ut perdat, ut noceat, ut damunum det, non tam corpori quam animae.

Puer. Quibus potißimum machinis tentationum animi nostri muros quassare solet? Paed. Hypocrisi, impietate, et perfidia. Quod si ijs rebus ad uerbi odium adigere nos non potest, ad alias artes confugit manifestam uidelicet uim, carceres, exilia, mortes. Atque hic strenue ab ipsa carne etiam nostra ac mundo adiuuatur. Annon enim omnes ex aequo, quatenus spiritu perfusi non sumus hypocriticae sanctitatis admiratores sumus? An non suauiter in mundo uiuere, adeoque placere omnibus, quam in uerbi gratiam perpeti aliquid malumus?

Puer. Vera sunt haec. Paed. Cum igitur ita adfecti simus, ut nisi a spiritu iuuemur, facile id genus tentationibus succumbamus, cogere ipsa nos neceßitas debet, ut Deum patrem pro adiutorio indesinenter interpellemus. Quid? Ne tum quidem ociosi esse, uel in utramuis
G 6. aurem, amoto moetu, stertere debemus, cum et spiritu perfusi et donis spiritualibus donati sumus. Ibi enim uel in primis metus est, neu efferri, neu, superbire, neu arroganter de nobis sentire, neu cristas erigere, neue collatis diuinitus donis abuti incipiamus.

Puer. Quantum audio, ualde necessaria res est oratio, cui etiam huius rei gratia tanto ardentius et solicitius incumbere nos conuenit, quanto et utilior est, et necessaria magis. Paed. Si necessaria non esset, haud quaquam Christum arbitror fuisse dicturum ad Apostolos: Orate ne intretis in tentationem. Item: Oportet semper orare, et nunquam deficere.

Puer. Ego quoque sic in animum induco meum, melius hoc tempore habituras esse res mortalium, nisi hic cessatores essemus. Equidem Euangelij doctrinam strenue iactamus, quum interim inter sexcentos uix unus atque item alter conspiciatur, cuius mores, uita, facta adeoque

reliqua fidei exercitia ei doctrinae respondeant. Paed. Id quum uideas, danda opera tibi est, ut ne tu quoque culpari hic merearis.

Puer. Fiet.

De septima dominicae precationis petitione, Dialogus XXVII.

Summa huius dialogi. Septima haec precationis dominicae petitio mali nomine satanam, peccatum, mortem, infernum, omnis generis aerumnas, miserias, calamitates intelligit. Ab ijs enim omnibus liberari Christianum, alioqui periturum oportet. Liberatur autem hinc non suis uiribus, sua prudentia, suo consilio, sed eius auxilio, qui et rex est, et potens est, et gloriosus est, in secula seculorum. Amen.

Puer. IN superiori praeceptor colloquio, quibus potißimum arietibus tentationum, satanas pulsare Christiani animum soleat: rursus, quibus rationibus obuiam eidem eatur, ostensum abs te est. Quid iam nunc igitur restat, nisi ultimae in hac oratione petitionis explanatio? Paed. Eam recita.

Puer. Libera nos a malo. Paed. Pauca uerba audio, sed de quibus bis atque iterum uel ad clepsydram dici posset, si cui placeret prolixitas. G 7.

Puer. Quid igitur mali nomine hic intelligis? Paed. Satanam, peccatum, mortem, infernum, omnis generis miserias, aerumnas, morbos, et calamitates. Nisi enim ijs malis in praesenti uita liberemur, nihil est quod de aeterna nobis polliceamur.

Puer. Plane horrenda audio. Si enim perpetuo in nostram perniciem tam potens hostis excubat, si tot ac tantis malis semper expositi sumus, quis tandem aduersus tot insultus, si diuino auxilio destitueremur, subsistere posset? Paed. Certo de nobis actum esset, quem admodum uere dicis, nisi esset, ad quem in tantis periculis, ceu ad sacram ancoram quandam, confugeremus. Iam uero cum opem suam hic ultro nobis diuina bonitas, modo inuocemus per Christum polliceatur, nihil est, animum cur despondeamus. Et uis hac in re Dei ac satanae antithesin? Satanas excubat ut mactet: Deus excubat ut uitam det. Satanas excubat ut noceat: Deus excubat ut commodet. Satanas in hoc est ut perdat: Deus in hoc est ut seruet. Atque huc pertinet, quod miseratus uicem nostram, suum cuique genium deputauit, eumque bonum, qui contra eundem satanam, quoties ex insidijs suis nos adoriretur, subsidio nobis esset. Quare qui pericula, quibus in hac uita fere obnoxij sumus, exaggerare uolet, eum diuinae quoque bonitatis hac in re magnitudinem exaggerare decet. Nam ut satanae potentia, quamtumuis mundi princeps sit, conferri nullo pacto cum diuina potentia potest. Ita nullum periculi genus est, quod non fortiter contemnere Christianus poßit, si a diuino totus pendeat praesidio. Hanc sententiam semel infixam esse animis nostris oportet, si in ijs periculis, quae nos circumualant undique uictores abire uelimus.

Puer. Mirum ni pulchre coronis illa huc facit, quae ex Graecis exemplaribus hic adiecta est: Tuum est regnum, tua est potentia, tua est gloria in secula seculorum. Paed. Quid ni? Si rex enim est, ad cuius nutum, imperium, et potentiam, etiam supernae uirtutes, ne dum in terris

G 8. homines, contremiscunt, iam dubium non est, quin contra omnes satanae insultus certo nos tueri poßit. Si uero solus contra satanae irruptiones nos tuetur, quid miselli uires nostras iactamus? Absinamus gloriam hanc penes Deum esse, ne uenientes olim in iudicium sacrilegij nos reos peragat. Neque enim maius sacrilegij genus, uel inueniri, uel excogitari potest, quam si suam Deo gloriam suffuremur, inque hominis uires transferamus.

Puer. Ego adiuuante Christo, ab hoc sacrilegij crimine abstinebo, semper clamans: Libera nos a malo. Paed. Ad eum modum clamantem certo etiam dominus auditurus est. Quid enim putas aliud sibi uult haec uocula Amen? Ea perinde sonat, atque si Latine dicas, fiat fiat. Proinde quod te facturum dicis, semper ad dominum, ut ab omnibus malis tandem liberati, aeternam uitam adipiscamur, clamabis. Interim mei quoque in orationibus tuis memor eris. Vt qui Christianae doctrinae summam, summa tibi hactenus fide tradiderim, neque quicquam te, quod quidem ad promouendam salutem tuam facere poßit caelarim.

Puer. Fidi praeceptoris officio functus es, fateor. Nam ex decalogo quid confiteri, ex symbolo quid credere, ex dominica precatione quid petere a Deo debeam, edoctus sum. Quare si ingratus essem, merito ad Persas, apud quos ingratitudo capite plectitur, mea ipsius sententia condemnandus, ablegarer. Sed spero me non tam doctrinae tuae, quam beneficiorum semper memorem, cum uerbis, tum re ipsa, futurum. Paed. Hoc animi tui uotum confirmet Deus Optimus Maximus.

FINIS.

---

2. Der Katechismus des Johannes Draconites von 1542.

Das Christlich Selen Gärtlin. DEr Christlich Glawb, in Gottes Wort gegründet. D. Joannes Draconites . . . Marpurg. Chr. Egenolff.

A 4. **Der Christlich Glawbe.**

I. Ich gleube an Gott Vatter Allmechtigen — der Erden.
II. Ich glewb an Jesum Christ — die lebendigen vnd die todten.
III. Ich gleube an den heiligenn Geyst — ewiges leben. Amen.

A 5. I.

Ich Glewbe an Gott. Wo ist diser Artickel in der Schrifft gegründet?

Exodi am XX. ICh bin der HERRE, dein Got, Du solt kein frembde Götter neben mir haben.

Jeremie am XXI. Ich wil jr Gott sein.

Was hilfft mich vnd dich an Gott gleuben?
Zun Römern am IIII. Abraham zweifelet nicht an der verheyssung Gottes durch vnglauben — von Todten aufferweckt hat.
Zun Hebreern am XI. On glauben ists vnmüglich — vergelter sein.

Vatter. Wo zeuget die Schrifft, das Gott vnser vater ist?
Jesaie am LXIIII. Du bist vnser vater — von alters her. A 6.
Psalm CIII. Wie sich ein vater — so In förchten.
Zun Ephesern am III. Ich beuge meine knie gegen — Himel vnd erden.

Allmechtigen. Wo ist diser Artickel in Gottes wort gegrundet?
Deutero. am III. Es ist kein Gott in Himmel — thun künde.
Lucas am I. Bei Got ist kein ding vnmüglich.

Schöpffer. Wo ist dißer Artickel in der schrifft gegründet?
Psalm XXXIII. Wenn Gott spricht, so geschichts — stehet da.
Zun Römeren am IIII. Got macht die todten lebendig — das es seie.

Himels vnd erden. Wo ist diß in Gottes wort gegründet?
Genesis am I. Im anfang schuff Got Himmel vnd erden; vnd Got sahe es für gut an. A 7.
Psalm XXXIII. Der himel ist durchs Hern Wort — geists mund.
Was hilfft aber dich vnd mich, das Got himel vnd erden geschaffen?
Psalm CXLVI. Wol dem, des hülffe der Got Jacob ist — Der den weg der gottlosen zuruck keret.

II.

Ich glaube an Jesum Christ. Wo ist diser Artickel in der Schrifft gegründet?
Am andern zun Corinthern, am ersten Capit. Alle Gottes verheissungen sind ja vnd amen in Christo.

Was hilfft dich vnd mich an Christum glewben? A 8.
Zun Römern am I. Ich scheme mich — wirt seines glaubens leben.
Zun Römern am V. Nu wir denn gerecht sind worden — Jesu Christ.
Zun Römern am X. Christus ist des Gesetzs ende; wer — ist gerecht.

Gottes einigen Sun. Wo ist diser Artickel in Gots Wort gegründt?
Matthei am XVII. Diß ist mein lieber son — sollet jr hören.

Was hilffts dich vnd mich, daß Christus Gottes einiger son ist?
In der ersten Johannis am III. Darzu ist erschienen der sune Gottes, daß er die wercke des Teuffels auflöse.
In der ersten Johannis am IIII. Daran ist erschinen die liebe Gottes gegen vns, das Gott — für vnsere sünd. B 1.
Johannis am III. Also hat Gott die welt — leben haben.

Vnsern Herrn. Wo ist diser Artickel in Gottes Wort gegründet?
Jeremie am XXIII. Sihe, es kompt die zeit, spricht der Herre, daß ich dem Dauid — Herr, der uns gerecht macht.

Was hilfft mich vnd dich Christus Herrschafft?

Zun Römern am X. Es ist aller menschen ein Herr, reich vber-
B 2. alle — nicht zuschanden werden.

Psalm LXVIII. Wir haben einen Hern, der da hilfft — errettet.

Der entpfangen ist vom Heiligen geist. Wo ist diser Artickel in Gottes wort gegründet?

Lucas am I. Der engel sprach zu Maria: Der Heilig geist — genennet werden.

Was hilffts mich vnd dich, das Christus vom Heiligen geist entpfangen ist?

Matthei am I. Als Maria, Christi Mutter, dem Joseph vertrawet war, ehe denn er sie heim holet, erfand sichs, das sie schwan-
B 3. ger ward — selig machen von jren sünden.

Geborn auß Maria der Jungfrawen. Wo ist diser Artickel in Gottes wort gegründet?

Jesaie am VII. Sihe, eine Jungfraw — Got mit vns.

Micha am V. Du Bethleem Ephratha — ewig her gewest ist.

Was hilfft mich vnd dich Christi geburt?

Luce am II. Der engel des Hern sprach zu den hirten — stad Dauid.

Jesaias am IX. Vns ist ein kind geborn — von nu an bis in ewigkeit.

B 4. Gelitten vnder Pontio Pilato. Wo ist diser Artickel in Gottes wort gegründet?

Genesis am III. Got sprach zur schlangen — versen stechen.

Jesaias am LXXIII. Er hat kein gestalt — nicht geachtet.

Warumb hat Christus vnder Pontio Pilato gelitten?

Zacha. am XIII. Schwerdt, mach dich auf — keren zu den kleinen.

Was hilfft mich vnd dich Christi leiden?

B 5. Jesaias am LIII. Fürwar, er trug — für seinem scherer.

In der ersten Petri am III. Christus hat ein mal für vnsere sünde gelitten — Got opfferte.

Gecreutziget. Wo ist diser glaub in Gottes wort gegründet?

Joannis am III. Wie Moses in der wüsten — leben haben.

Zun Galatern am III. Christus hat vnß erlößt vom fluch des gesetzs — durch den glauben.

B 6. Zun Colossern am I. Es ist das wolgefallen gewesen — durch sich selbs.

Zun Colossern am II. Gott hat vnß alle sünde geschencket vnnd außgetilget — auß jnen gemacht durch sich selbs.

I. Petri am II. Christus hat vnser sünd selbs geopffert — vnd der gerechtigkeit leben.

Gestorben. Wo ist diser Artickel in Gottes wort gegründet?

Daniel am IX. Christus wird getödtet werden, vnd sie werden seins nicht wöllen.

Jesaie am LIII. Er ist gestorben wie ein reicher — mund gewesen ist.

Hosee am XIII. Ich wil sie vom tod erretten — ein gifft sein.

Was hilfft dich vnd mich Christi tod? B 7.
Zun Römern am IIII. Christus ist vmb vnser sünd willen dahin gegeben.
Zun Römern am V. Damit preiset Got seine liebe — so wir nu versünet sind?
Zun Römern am VIII. Ist Got für vns, wer — vnd vertrit vnß.

Begraben. Wo ist diser Artickel in Gottes wort gegründet?
I. Corinthern am XV. Christus ist gestorben vnd begraben nach der schrifft.
Jesaias am LIII. Er ist begraben wie die gotlosen.
Matthei am XXVII. Marci am XV. Luce am XXIII. Johan. am XIX. Joseph von Arimathia, der Juden stat, ein erbar Ratherr — B 8.
wie die Juden pflegten zu begraben.

Was hilfft mich vnd dich Christi begrebnis?
Zun Colossern am II. Ihr seit mit Christo begraben durch die tauffe.

Nider gefaren zur Helle. Wo ist diser Artickel in Gottes wort gegründet?
Zun Ephesern am IIII. Er ist hinunder gfaren in die vnderste örter der erden.
Psalm XVI. Du wirst meine sele nicht in der helle lassen.

Was hilfft mich vnd dich Christus hellefart?
Ich wil sie auß der helle erlösen. Hell, ich wil dir eine plage sein.

Am dritten tage wider aufferstanden vonn todten. Wo ist diser Artickel in Gottes wort gegründet? C 1.
Mathei am XII. Gleich wie Jonas drey tag — mitten in der erde sein.
Act. am II. Got hat Jesum aufferweckt — verwese.

Was hilfft mich und dich Christus aufferstehung?
Zun Römern am IIII. Christus ist vmb vnser gerechtigkeyt willen auferweckt.
Hosee am VI. Wenn es jn übel gehet, so werden sie — landt C 2.
feuchtet.
Zun Ephesern am II. Gott hat vnß sampt Christo — himlisch wesen gesetzt.
Zun Colossern am II. Ir seit vfferstanden mit Christo — vom todt aufferweckt hat.
In der Apostel geschicht am XIII. Wir verkündigen euch die verheyssung, die zu vnsern vättern gschehen ist — so es jemandt C 3.
euch erzelen würt.
In der Apostel geschicht am IIII. Es seie euch vnd allem volck Israel kund gethon — darinnen wir selig werden sollen.

Auffgefaren ghen Himel. Wo ist diser Artickel in Gottes wort gegründet?
Psalm XLVII. Got ist auffgefaren mit iuchtzen.
In der Apostel geschicht am I. Jesus ward auffgehaben — augen hinweg.

Was hilfft mich vnd dich Christus Auffart?

Johannis am XX. Jesus spricht zu Magdalena: Gehe hin vnnd sage
C 4. zu meinen brüdern: ich fare — ewerm Gott.

Psalm LXVIII. Du bist in die höhe gefaren — gaben gegeben.

Zun Ephesern am IIII. Daß Christus vffgefaren ist — alles erfülle.

Sitzend zur rechten handt Gottes des Almechtigen. Wo ist diser Glaub in Gottes Wort gegründet?

Psalm am CX. Der Herr sprach zu meinem Herrn — Melchisedack.

Zun Ephesern am I. Gott hat Christum gesetzt zu seiner rechten
C 5. — der alles in allen erfüllet.

Was hilfft mich vnd dich Christus zur rechten handt Gottes sitzend?

In der Apostel geschicht am II. Christus ist durch die rechte Gottes — das jr seht vnd höret.

Zun Römern am VIII. Christus sitzt zur rechten Gottes vnd vertrit vnß.

In der I. Johannis am III. Meine kindlein, sündiget nit — versünung für vnser sünd.

Zun Colossern am III. Seit jr mit Christo vfferstanden, so sucht, was droben — in der Herrligkeyt.

Von dannen zukünfftig ist zu richten die lebendigen vnd die todten. Wo ist diser Artickel in Gottes wort gegründet?

In der Apostel geschicht am I. Der Engel sprach: jr männer von
C 6. Galilea — ghen himel faren.

Johannes am V. Der Vatter hat dem Sun macht gegeben — menschen son ist.

In der Apostel geschicht am XVII. Gott gebeut allen menschenn an allen orten — hat von todten aufferweckt.

Zun Philippern am III. Vnnser wandel ist im himel — vnderthenig machen.

Wie würt Christus kommen vnd richten? Lese das fünff vnd zweintzigest capitel Matthei.

Warumb spricht er die lebendigen?

In der I. Zun Corinthern am XV. Sihe, ich sage euch ein geheimniß — letsten posaunen.

C 7. In der I. Zun Thessalonichern am IIII. Diß sagen wir euch als ein wort des Hern — bei dem Herrn sein alzeit.

Wie sol man sich auff den jüngsten tag schicken?

Lucas am XXI. Hütet euch, das ewer hertzen nicht beschweret — zustehen für des menschen son.

In der II. Petri am III. Es würt des herren tag kommen als ein
C 8. dieb in der nacht — im friden erfunden werdet.

III.

Ich gleube an den heiligen Geyst. Wo vnd warumb hat Gott mir vnd dir seinen heiligen geyst verheyssen?

Jesaias am XLIIII. Ich wil meinen geyst vff deinen samen — mit dem namen Jacob genennet werden.

Ezechiel am XXXIIII. vnd am XXXVI. Ich wil meinen geyst in euch geben — danach thun, als denn werdet jr an ewer böses wesen — abgötterei gerewen. D 1.

Joel am II. Ich wil außgiessen vonn meinem geyst — der sol selig werden.

Sacha. am XII. Ich werd über das hauß Dauid — vnd des gebets.

Wo vnd warumb hat Christus mir vnnd dir seinen heiligen geyst versprochen?

Joann. am XIIII. Der tröster, der heylig geyst — gesagt habe.

Joann. XV. Wenn der Tröster kommen wirt — auch zeugen. D 2.

Joan. am XVI. Der tröster wirt die welt strafen vmb die sünd — gericht ist. Wenn der geyst der warheyt kommen wirt — euch verkündigen.

Joan. am XX. Nemet den Heyligen Geyst — behalten.

Matth. am X. Wenn sie euch überantworten werden, so sorget nicht — durch euch redet.

Wie ist der Heilig Geist erschienen? D 3.

In der Apostel geschicht am II. Am pfingstag geschah schnel ein brausen — außzusprechen.

Wie hat der heylig Geyst sein ampt in mir vnd dir selbs gschrieben?

II. Corinthern am III. Der Geyst machet lebendig — da ist freiheyt.

Zun Römern am VIII. Ihr habt nicht einen kindlichen geyst — vnnd miterben Christi.

Zun Galatern am V. Die frucht des geysts ist lieb — wider soliche ist das Gesetz nicht.

Zun Ephesern am I. Durch Christum seit jr — versiegelt worden — zu lob seiner herlicheyt. D 4.

Ein heilige Christliche Kirch. Wo ist diser Artickel in Gottes wort gegründet?

Matthei XVI. Da Petrus sprach: Du bist —, Antwortet Christus: Du bist Petrus — im himel loß sein.

Zun Ephesern am I. Got hat Christum zum haupt — erfüllet.

In der Apostel geschicht am XX. Christus hat die gmeine Gottes durch sein blut erworben.

Zun Ephesern am I. Ihr seit nicht mehr gest vnnd frembdling — zu einer behausung Gottes im Geyst. D 5.

In der I. zum Timoth. am III. Das hauß Gottes ist die gemeine des lebendigenn Gottes — der warheyt.

Zun Ephesern am V. Christus ist das heupt der gemeine — heilig vnnd vnsträflich seie.

Zun Römern am VIII. Wer Christi Geyst nicht hat — Geyst treibet.

Gemeynschafft der Heyligen. Wo ist diser Artickel in Gottes wort gegründet?

Zun Galatern am III. Ihr seit alle Gottes Kinder durch den glauben — nach der verheyssung erben. D 6.

Zun Ephesern am II. Christus ist vnnser friede, der auß beyden eynes hat gemacht — in einem geyst zum vatter.

I. Corinth. am X. Der gesegnete kelch, den wir — alle eines brots teylhafftig sind.

In der Apostel Geschicht am II. Sie blieben alle bestendig inn der Apostel lere — im Gebett.

D 7. Vergebung der Sünden. Wo ist diser Artickel in Gottes wort gegründet?

Micha am VII. Wo ist ein solch Gott, wie du bist — in die tieffe des Meeres werffen.

Daniel am IX. Sibentzig Wochen sindt bestimpt — vnnd der aller heyligest gesalben werden.

Psalm CIII. Er handelt nicht mit vnns nach vnsern Sünden — vnsere vbertrettunge vonn vns sein.

Psalm XXXII. Selig sind die, welchen ihre vngerechtigkeyt vergeben — zurechnet.

D 8. Wo hat Gottes vnnd Christi geyst mir vnd dir ewige vergebung aller sünd versprochen?

Jesaias am XLIII. Ich, ich tilge — deiner sünde nicht.

Jerem. XXXI. Ich wil jn jre missethat vergeben vnd jrer sünde nimmermehr gedencken.

Joan. am I. Sihe, Christus ist Gottes Lamb — sünde tregt.

Zun Colossern am I. In Christo haben wir die erlösung — vergebung der Sünden.

Zun Römern am III. Es ist hie kein vnderscheyd — vnd gerecht mache den, der da ist des glaubens an Jesum.

E 1. 1. Johannis am I. So wir vnsere sünde bekennen, ist er trew — sein wort ist nicht in vns.

Luc. I. Erkentniß des heils ist in vergebung der sünd durch die hertzliche barmhertzigkeyt vnseres Gottes.

Aufferstehung des Fleyschs. Wo ist diser Artickel in Gottes wort gegründet?

Joannis am V. Es kompt die stund, in welcher alle, die in den gräbern — zur aufferstehung des Gerichts.

Johan. am XI. Ich bin die aufferstehung — nimmermehr sterben.

Matthei am XXII. Inn der aufferstehung werden sie weder freien — Gott der todten, sondern der lebendigen.

E 2. I. Corinth. am XV. Es wirt gesähwet verwesentlich — anziehen die vnsterblicheyt.

Ein ewiges leben. Wo ist diser Artickel in Gottes wort gegründet?

Johan. am XVII. Diß ist das ewige leben, daß sie dich — erkennen.

Johann. am II. Der Vatter, der mich gsandt hat — das ewige leben ist.

E 3. Wodurch erlang ich vnd du das ewig leben?

Johan. am III. Der Vatter hat den Son lieb vnd hat jm alles in sein hand gegeben; wer an den Son gleubet — zorn Gottes bleibet über jm.

Johan. am VIII. Warlich, warlich sag ich euch, so iemand mein Wort wirt halten — nicht sehn ewiglich.

Joan. am X. Meine Schafe hören meine stimme, vnd ich kenne sie, vnd sie folgen mir, vnd ich geb jnen das ewige leben, vnd sie werden nimmermehr vmbkommen, vnd niemandt wirt sie auß meiner hand reissen.

Got sei lob.

---

3. Aus dem Katechismus des Petr. Wertheim von 1545.

[Da dieser Katechismus noch nicht aufgefunden werden konnte, können nur die fünf Fragen vom Abendmahl nach „Wechselschriften . . . 1632“ abgedruckt werden.]

Fr. Was ist das Sacrament oder Nachtmahl Christi? **A.** Es ist ein wunderbarlich Geheimnuß vnd ein heilig Sacrament deß wahren Leibs vnd Bluts vnsers HERRN JEsu CHRisti, welches vns in dem heiligen Abendmahl mit Brodt vnd Wein warlich dargegeben vnd mitgetheilet wirdt, von Christo selbst eingesetzt [Vnd stehet am Rande vere, warlich, adest in Coena Dominus, vere, inquam ut fidei natura poscit, arcanum mysterium].

Fr. Warumb ist es ein wunderbarlich Geheimnuß vnd heylig Sacrament? **A.** Vmb der Betrachtung eines grossen, heiligen, verborgenen Dings willen, das man mit dem Glauben fassen muß, aber durch Brodt vnd Wein als seine eusserliche Zeichen bezeichnet vnd bedeutet wirdt.

Fr. Wem hat der HERR das Nachtmal oder Sacrament eingesetzt zu halten? **A.** Allein den Glaubigen, die auff das newe durch den Glauben in JEsum Christum geboren sind [Vnd stehet am Rande Joh. 6. 1. Cor. 11].

Fr. Was jsset dann in diesem Nachtmal oder Sacrament der Glaubige? **A.** Der Glaubige jsset Brodt vnd trincket Wein mit dem Munde, inwendig in seinem andächtigem Gemüth jsset er den Leib Christi, so er glaubet, daß JEsus Christus vor jhn am Creutz gestorben vnd sein Blut vor jhn vergossen hat, an welches Brodt jhn das eusserliche Brodt gemahnet, wie die Schrifft redet: Ich bin das Brodt deß Lebens, das vom Himmel kommet.

Fr. Was jsset denn der Vngläubige vnd Vnwürdige? **A.** Er isset Brodt vnd trincket Wein, eusserlich niesset er die Zeichen, jnwendig empfähet er die Krafft vnd Frucht nicht, wie die Schrifft redet: Wer vnwürdig von diesem Brodt jsset vnd von diesem Kelch trincket, jsset vnd trincket jhm das Gerichte.

---

4. Die Educatio doctrinae puerilis von 1549.

Educatio doctrinae puerilis. Kinder lehr Inn Deutscher vnd Lateinischer spraach. Marpurgi 1549.

PVERILIS INSTITVTIO.

Christianae doctrinae: pars prima.

Magister. Puer.

M. Es tu fili, ut uerbo, ita etiam reipsa Christiani nominis? **P.** Sum, pater.

M. Vnde id tenes? **P.** Nam sum sacro fonte ablutus in nomine patris et filii et spiritus sancti.

M. Quid uero de patre et filio, spirituque sancto persuasum et statutum habes? **P.** Id habeo, quod capita nostrae religionis habent, quae nos summa cum confessione profitemur.

M. Quae nam est illa confessio? **P.** Credo in deum patrem, omnipotentem etc.

M. Quaenam horum capitum est diuisio? **P.** Ea est, ut tres in partes distributa sit.

M. Quae pars est igitur prima? **P.** De Deo patre.

M. Altera? **P.** De Deo filio.

M. Tertia? **P.** De Deo qui Spiritus est Sanctus.

M. Recita primam partem. **P.** Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae.

M. Quae tua est in hisce uerbis confessio? **P.** Deum sempiternum bonum et mundi fabricatorem esse, eiusque potestatem et actionem fusam per omnia.

M. Sed quem haec fides, quam de Deo habes, fructum affert? **P.** Eum scilicet, ut omnem consolationem ab eo capiam, in eoque spem fixam habeam, et earum rerum, quas ipse condidit ac tribuit hominibus, grato modestoque animo fructum percipiam.

M. Faxit hic Deus, ut haec omnia sis consecutus, et post haec semper consequaris: Nunc quae altera pars est Christianae confessionis? **P.** Credo in Jesum Christum filium eius unicum, Dominum nostrum: Qui conceptus est de spiritu sancto: natus ex Maria uirgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus, Descendit ad inferos: Tertia die resurrexit a mortuis: Ascendit ad coelos: Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis: Inde uenturus est ad iudicandum uiuos et mortuos.

M. Quid hic profiteris? **P.** Dominum nostrum Jesum, uere tum Deum, tum hominem esse: meque sua morte ab aeterno occasu uindicasse: suaque resurrectione et ascensu ad coelos sempiternam mihi uitam comparasse. Praeterea eam esse eius uoluntatem, ut me, restituto mihi hoc corpore, a morte sit reuocaturus, et plenam perfectamque tributurus foelicitatem, eo tempore, quo uiuorum et mortuorum uenturus est iudex.

M. Quid uero interea temporis de te fiet? **P.** Quietem beatam expecto, qua, dum ille dies aduenit, apud Christum fruar.

M. Quid uero haec fides apud te efficiet? **P.** Vt peccatum semper horream atque euitem: et erratorum ueniam, et uitam aeternam huius solius morte et resurrectione quaeram et consequar, qui Dominus noster est Jesus Christus: eique ut coelesti gubernatori me deuoueam.

M. Quae tertia pars est Christianae professionis? **P.** Credo in spiritum sanctum: sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem: remissionem peccatorum: carnis resurrectionem: et uitam aeternam. Amen.

M. Hoc in loco quid profiteris? **P.** Deum spiritum sanctum esse, per quem nos regeneramur, et Ecclesiae inserimur: in qua nos peccatorum ueniam, et uitae emendationem assequimur, et post hanc uitam, aeternae uitae expectatione sustentamur.

M. Quas uero utilitates haec professio et fides tibi afferet? **P.** Vt Deum continenter ad impetrandum spiritum eius orem: sacrum coetum libenter adeam: in eo consolationem et uitae correctionem quaeram atque suscipiam: quo maiore fiducia, resurrectionem et uitam aeternam expectem.

M. Iam uero qua ratione in hanc communionem peruenisti? **P.** Baptismate.

M. Quid est Baptisma? **P.** Lauatio regenerationis et ablutio peccatorum.

M. Quibus autem uerbis Baptisma datur? **P.** Hisce: Baptizo te in nomine patris et filii et spiritus sancti.

M. Quae est horum uerborum sententia? **P.** Illa est: Lauo te, ut a peccatis tuis purgeris, et filius Dei fias, iussu et nomine Dei patris, filii et spiritus sancti.

M. Quem hic fructum percipis? **P.** Magna nimirum res est, si ueniam peccatorum impetrem, et uitam nouam aeternamque una cum Christo consequar, et ab omni uitio abstineam, meque ad nouam et coelestem uitam magis atque magis adiungam.

M. Quid rei plus geritur in Ecclesia? **P.** Clauium officium.

M. Quodnam istud est? **P.** Peccata animaduertere et poena coercere, et exterminare quos peccatorum non poenitet: Et quos poenitet liberare, et diuinae clementiae restituere.

M. Quis hinc fructus ad te peruenit? **P.** Hinc fit, ut animaduersionem et poenam libenter admittam: propinquum meum studiose commonefaciam: et ecclesiae disciplinam atque consolationem magnifaciam, et summo cum studio ad usum aliquem transferam.

M. Est aliquid praeterea aliud negotii quod in ecclesia curatur? **P.** Est etiam coena Christi.

M. Quid illa est? **P.** Vera communicatio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quae nobis pane et calice Domini exhibetur.

M. Qui sunt qui hoc sacramento uti debent? **P.** Omnes qui Christo confidunt et discipuli eius esse cupiunt.

M. Etiam hic aliquam uitae correctionem sentis? **P.** Sentio, et magnum mihi iure habetur a Christo Domino nostro liberatos nos esse: et eius corpori coaluisse: de quo certior fio hoc sacramento: nimirum, eius uitam in me transfusam esse, meamque in eius positam: necque solum certior fio, uerumetiam augetur in me haec commoditas.

M. Quae est ista uita? **P.** Vera uita et sancta, et diuina, coniuncta cum omni actione bona, et laeta expectatione uenturae atque sempiternae uitae.

M. Faxit hoc in te, et augeat Dominus noster atque assertor Christus, Amen.

PARS ALTERA.

M. Iam fili didicistine quomodo orandum sit? **P.** Didici.

M. Quid est orare? **P.** Est Deum summa cum affectione inuocare ad impetrandum auxilium et erratorum ueniam.

M. Recte est, Sed quomodo oras? **P.** Quemadmodum nobis a Domino nostro Jesu praescriptum est.

M. Recita igitur. **P.** Pater noster qui es in coelis etc.

M. Cur autem Deum coelestem patrem uocas? **P.** Quo mens mea firmius nitatur et confidat paterna eius et coelesti ope.

M. Quid deum oras? **P.** Vt omnia quae bona sunt tribuat, a malis uero solutos nos et liberatos conseruet.

M. Quod ante bonorum genus primum postulas? **P.** Coeleste.

M. Quodnam illud est? **P.** Diuina salus.

M. In qua re illa locata est? **P.** In cognitione et amore coelestis parentis.

M. Quibus uerbis precaris? **P.** Sanctificetur nomen tuum: Aduenial regnum tuum: Fiat uoluntas tua sicut in coelo et in terra.

M. Sed qua ratione Dei nomen sanctum fit apud homines? **P.** Cognitione Dei, quam praestat Euangelium: et precatione, quae summa cum fide atque constantia sit coniuncta.

M. Bene est: Nam hic primus fructus Euangelij est: Nunc, quomodo regnum Dei ad nos peruenit? **P.** Tum peruenit, quum Euangelio obtemperemus: Ipseque nos in sancto coetu gubernat suo uerbo et spiritu.

M. Vera loqueris: Ecclesia enim Christi regnum Dei est. Verum quomodo eius uoluntas sic in terra ut in coelo perficitur? **P.** Quum libenter nos ea praestamus, quae nobis ab illo mandantur: et aequo animo ferimus quod imponit.

M. Vt hoc discas, tempus uitae tuae omne impendendum est: Ideoque in Ecclesia Christi ad hanc perfectionem excitandus. Praeterea uero quid petis? **P.** Ea quae per uitam nobis sunt necessaria.

M. Quibus uerbis? **P.** Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

M. Sed cur panem? Cur quotidianum? Cur hodie? **P.** Vt nihil expetam, nisi quod necessarium est, et ab omni luxu abstineam: Quae uero necessaria sunt, a solo Deo expectem.

M. Vera dicis: Eius enim benignitas nobis omnia largitur, licet homines uideantur multa elaborare. Ad haec quid rogas? **P.** Vt ueniam det peccatorum.

M. Qua oratione? **P.** Et remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris.

M. Quae causa est quod dicis: Sicut et nos remittimus? **P.** Propterea quod uere nos oportet omnibus hominibus ignoscere, quum nobis aliquid clementer a Deo fieri precamur.

M. Quid amplius oras? **P.** Vt ne patiatur Dominus noster nos ab inimico deduci ad desperationem aut ad quoduis aliud erratum.

M. Vt igitur oras? **P.** Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.

M. Quid praeterea? **P.** Quia tuum est regnum, et uirtus et potentia in secula.

M. Quid haec significant? **P.** Ipsa oratio secum laudem Dei affert, ut nos Deo omnem dominationem et potestatem et potentiam tribuamus, nosque inde spem concipiamus fore ut nos exaudiat.

M. Vt concludis? **P.** Amen.

M. Quid illud est? **P.** Vera haec et certa esse.

M. Verum igitur et certum erit si confidas.

PARS TERTIA.

M. Nosti decem praecepta? **P.** Noui.

M. Recita. **P.** Ego Dominus sum Deus tuus etc.

M. Quo principium horum decem mandatorum pertinet: Ego Dominus sum Deus tuus etc.? **P.** Vt unum uerum Deum omnibus in rebus pro Deo et salutis nostrae autore habeamus, atque omnem opem ab eo expectemus.

M. Quare uetat alienos deos habendos esse, et cur imagines tollit, quae coli solent? **P.** Propterea quod natura nostra deprauata est, et non a Deo semper, uerum aliunde opem et consolationem expectat: Deoque placere, se studet externis rebus atque signis, neglecta uera, quae ad Deum afferi debet, fide.

M. Recte ais, atque hac de causa cauet illa duo praecipue, unaque cum abolitione deorum, falsum eorum cultum tollit: Quamobrem hunc semper uerum Deum tibi propositum habe, et eum ubique adora uero erectoque animo. Sed quid est quod sequitur? **P.** Per nomem domini dei tui falsum ne iures etc.

M. Quid hic requirit? **P.** Vt in periurio assuescam abhorrere ab omni eo, quo nomen Dei dehonestetur: Contra uero nomen eius dehonestetur: Contra uero nomen eius modis omnibus colere studeam.

M. Sic est ut dicis: Quare caue cum primis ne frustra falsoque iures, ne maledicas, ne uanos sermones de Deo, diuinisque rebus proferas: uerum lauda omnibus in rebus ut Deum tuum et salutis tuae autorem. Perge ad caetera. **P.** Memoria tene diem uacationis etc.

M. Quid in hoc praecipitur? **P.** Vt ad Christianam congregationem libenter conueniamus et summa diligentia nos uerbo atque sacramentis eius adiungamus.

M. In ea re quotidie quidem uersare, in primis tamen si dies sit festus. Perge. **P.** Patrem tuum et matrem tuam religiose obserues, ut aeuum tuum in terra, quam donat tibi Dominus Deus tuus, prorogetur.

M. Quam late hoc mandatum patet? **P.** Quo parentibus meis et magistratui, meisque magistris, aut quicunque mihi praefecti sunt, honorem, officium atque obedientiam praestem.

M. In hoc te exerce: Sic enim recte uiuere assuesces: et Deus tibi longiorem atque tranquilliorem uitam dabit. Quae sunt autem quae insequuntur? **P.** Mandata charitatis erga eos qui nobis coniuncti sunt.

M. Quae sunt illa? **P.** Ne occidas, Stuprum ne committas, ne fureris, Contra proximum tuum testis mendax ne respondeas.

M. Quo spectant ista mandata Domini? **P.** Cauet, ne uel cogitatione, uel uerbo, uel re ipsa, uel omissione officij, cuiquam ullo modo obsim: neque iniuria afficiam, in corpore eius, in uxore et liberis, in fortunis, in existimatione.

M. Quibus uerbis cauet corporis offensionem? **P.** Ne occidas.

M. Quibus uxoris et liberorum? **P.** Stuprum ne facias.

M. Vbi de bonis ac fortunis eius praecipit? **P.** Ne fureris.

M. Vbi de fama et existimatione? **P.** Contra proximum tuum ne respondeas testis mendax.

M. Jam si nihil pecces in proximum tuum, ab eoque abstineas, neque in liberis, neque in priuatis commoditatibus et nominis existimatione offendas: putas te omnia haec obseruasse? **P.** Nequaquam, uerumetiam re atque consilio adesse debeo, atque si res meae essent.

M. Vera loqueris: quamobrem peraeque illum atque te ipsum diliges et amabis. Quid praeterea Dominus mandat? **P.** Cupido domus proximi tui tibi ne subrepat etc.

M. Quis sensus est horum? **P.** Vt ne ulla cupiditate aut cogitatione mali tangamur.

M. Neque ulla certe tibi illudet uel cupiditas, uel cogitatio, si Deum plus quam res caeteras diligas, et proximum tuum sicut teipsum. Sed potes tu per hanc uitam ad tantam perfectionem uenire? **P.** Nostra quidem natura nihil boni habet: Ex Christo autem omnis erratorum uenia et iusticia demanat.

M. Illi igitur fidem habeas et adhaereas, qui condemnationem legis, cui nunquam satisfacere potes, abs te aufert: Ille etiam tibi studium atque ardorem erga legem suam excitet: Haec omnia tibi det Dominus noster Jesus Christus, cui honor et gloria in sempiternum. Amen.

---

5. Die Quaestiones Sacrae des Reinh. Hadamarius von 1552.

Quaestiones Sacrae, pueris christianis,
Pietatis bonorumque morum et literarum studiosis utiles
ac profuturae ... Autore Reinhardo Hadamario ...
Franc. Apud Chr. Egen.

A 2. Quaestiones aliquot sacrae concinniores. [Bild.]

Quaestio. Quid literarum, ac pietatis studiosus puer mane primum faciet? Resp. SIGNO SANCTAE CRVcis se pie signabit in nomine Patris, et Filij, et Spiritus sancti. Deinde, genibus innitens dicet Symbolum Apostolicum, et orationem Dominicam. Post, si uolet, hanc

preculam: Gratias ago tibi, pater mi coelestis — ne Satan ullum in me ius reperire possit. Amen.

Qu. Quid uesperi cubitum se collaturus faciet? Resp. Eadem quae modo praedicta. Deinde suppliciter hanc dicet preculam: Gratias ago tibi, pater mi coelestis, per Jesum Christum — ne Satan ullum in me ius reperire possit. A 3. 5

Qu. Cur mane, cum uentum fuerit in Paedagogium, Oratio omnibus praelectionibus solet praemitti? Resp. Vt meminerimus operam inprimis dandam pietati, et eam studiorum metam esse, ut regnum Dei quaeramus.

Quaestiones Catechisticae.

Qu. Dilecte fili, quid hominis es? Resp. Sum Christianus homo.

Qu. Cur id adseris? Resp. Quia sum creatura mentis ac rationis compos, ad imaginem Dei creatoris condita. Deinde, credo in Jesum Christum. Tertio: Baptizatus sum in nomine Patris, et Filij, et Spiritus sancti.

Qu. Vnde haec nouisti? Resp. Primum mihi constat ex libro Genesios, ubi sic ait Moses: Et creauit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam. Deinde catholicam fidem confiteor, et, quod Apostoli fecerunt, Lucae 17. semper oro, ut Dominus adaugeat fidem meam. Tertio, quod sacro baptismatis fonte lotus sum, a parentibus meis accepi.

Qu. Quodnam est caput Christianae Religionis? Resp. Deum noscere, Deo soli fidere, soli obtemperare, solum colere.

Qu. Quid est Religio? Resp. Est cultus diuinus, quae Graece *θρησκεία* dicitur.

Qu. Vnde dicta Religio? Resp. A religando, quod pietatis uinculo sumus obstricti, et religati Deo.

Qu. Quid est Pietas? Resp. Est rectus Dei cultus, qui et sanguine iunctis, ac patriae tribuitur.

Qu. Vnde consequimur, ut Deum noscere, solumque colere possimus? Resp. E sincera Euangelij praedicatione.

Qu. Quid est Euangelion? Resp. Est bonum nuncium de Christo filij Dei, propter nos mortuo, resurgente, et aeternaliter Domino facto.

Qu. Quid decet hominem Christianum? Resp. Agnoscere diuinam uoluntatem, soli Deo fidere, et seruare praecepta eius.

Qu. Quid a te requirit uoluntas diuina? Resp. Vt Dominum Deum tuum diligas, ex toto corde tuo — sicut seipsum.

Qu. Quid est Fides? Resp. Est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Vel, est opus Spiritus sancti, quod spem et charitatem generans, de gratia Dei nos certos reddit, atque iustificat. A 4.

Qu. Quam utilitatem tibi Fides affert? Resp. Quod per Fidem coram Deo reputor iustus, et sanctus propter Jesum Christum, et quod donetur mihi Spiritus sanctus, quo orem ad Deum, et ipsum ut patrem inuocem, et uitam meam iuxta mandata Dei instituam.

Qu. Vbi consistit Fides? Resp. Non in sapientia hominum, sed in uirtute Dei.

Qu. Potestne Fides sine bonis operibus esse? Resp. Historica uel mortua potest, sed uera et uiua nullo modo. Haec enim bona semper opera, non aliter atque fertilis et bona fructus bonos producit arbor.

Qu. Quid est Fides sine charitate? Resp. Cymbalum tinniens, aes resonans, et ipsissimum (quod aiunt) Archytae crepitaculum.

Qu. Quid est Charitas? Resp. Vinculum perfectionis, proprium donum catholicae unitatis et pacis. Charitas enim non est procax, non inflatur, non est fastidiosa, non irritatur — ac sustinet omnia.

Qu. Quotnam res homini Christiano cognitu sunt necessariae? Resp. Quatuor potissimum.

Qu. Quaenam? Resp. Decem praecepta, Vnde Decalogi nomen inditum, Duodecim articuli fidei, Oratio dominica, Sacramenta Baptismi atque Coenae dominicae.

Decalogus Praeceptorum Dei.

A 5. [Bild: Anbetung des goldenen Kalbes; darauf folgt der Text der zehn Gebote, die mit Luther gezählt sind, dann der Dekalog in Versen.]

Qu. Da Primum, et quid sibi uelit, simul edissere, atque explana. Resp. Vni crede Deo. Hoc est: Nos debemus Deum, qui est creator atque saluator nostrorum corporum et animarum, temporaliter et aeternaliter, super omnia timere, diligere, et illi soli toto corde fidere. Omnem praeterea superstitionem et idolatriam deuitare: Nihil praesidij, nihil spei, nihil consolationis, nihil salutis, nullam denique peccatorum remissionem a creaturis siue coelestibus, siue terrestribus expetere, sed omnia a Domino nostro Jesu Christo fideliter expectare.

Qu. Cum Deus in primo praecepto prohibeat sculptilia, quid ea de re tu sentis? Resp. Omnem superstitionem prohibet, mandatque ne simulachra, et idola colamus, aut adoremus ea.

A 6. Qu. Possumus ne simulachra, uel imagines habere, citra superstitionem et idolatriam? Resp. Christianus uti poterit ijs imaginibus, quae ueras historias, atque salutares ad imitationem res gestas continent. Quae nulla mendaciorum portenta, nullaque turpia uanae superstitionis argumenta complectuntur, ut ex ijs emendatio uitae producatur, operum item et beneficiorum Dei commemoratio cordibus imprimatur, sic ut omnis superstitionis et idolatriae tollatur abusus.

Qu. Da Secundum. Resp. Temere nec lingua per ipsum iuret. Id est: Debemus Deum timere et diligere, ut ne — maledicamus, temere iuremus — illud adoremus, inuocemus, coram mundo confiteamur, et cum gratiarum actione laudemus.

Qu. Da Tertium. R. Sancta Dei Sabbata sanctifica. Id est: Debemus Deum — uerbum eius, quod est Christus, contemnamus — audiamus, sensibus imis reponamus, legamus et discamus, ipsumque in corde nostro, quod est Dei templum, operari patiamur. Gratias item pro beneficijs acceptis agamus, Sacramentis sinceriter utamur, Eleemosynas demus, aegrotos inuisamus atque consolemur, Familiam ad pietatem instanter erudiamus, et in officio contineamus. Haec recta sanctificatio Sabbati.

Qu. Da Quartum. Resp. Et patrem et matrem merito digneris honore. Id est: Debemus Deum timere et diligere, ne parentes, praeceptores, Magistratus contemnamus, neque ad iram prouocemus, sed

honore afficiamus, illis seruiamus, morem geramus, amore eos prosequamur, magnifaciamus, et quae possumus beneficia rependamus.

Qu. Da Quintum. Resp. Non sis occisor. Id est: Debemus Deum timere et diligere, ne odio uel ira perciti, uitae proximi nostri insidiemur, flagitium aut damnum faciamus, inimicitias exerceamus, siue uindictam expetamus, sed illum adiuuemus, defendamus et consolemur, in omnibus necessitatibus opem ferentes, illi consulamus et succurramus.

Qu. Da Sextum. Resp. Non quoque moechus eris. Id est: Debemus Deum timere et diligere, ut — operibus, ut omnis immunditia, aut obscoenitas inter nos nequidem nominetur. Oportet etiam omnes ciborum et uestimentorum lusus et illecebras effugere, contra temperantiae studere, castamque uitam assumere: et quisque coniugij sui consortem A 7. diligere, et honore dignari.

Qu. Da Septimum. Resp. Nec furtum facies. Id est: Debemus Deum timere et diligere, ne proximi pecuniam fraudulenter auferamus, bona sua praeripiamus, neque falsis mercibus, aut impostura, fraudibus uel usura ad nos pertrahamus, sed simpliciter ac candide negociemur, operamque demus, ut illius opes conseruentur, augeantur, ac conditio melior efficiatur.

Qu. Da Octauum. Resp. Nec quicquam dixeris unquam falsi. Id est: Debemus Deum timere et diligere, ne proximum calumniemur, falsis testimonijs, proditione, obtrectationibus, siue mendacijs inuoluamus, prodamus, traducamus, aut genuino mordeamus, sed illum excusemus — interpretantes.

Qu. Da Nonum. Resp. Sit procul hinc fucus ab ore tuo. Id est: Debemus Deum timere et diligere — sub specie recti, nostris facultatibus adiungamus, sed operam sedulo demus, ut ista proximo diligenter custodiantur.

Qu. Da Decimum. Resp. Rerumque alterius subeat tibi nulla cupido. Id est, Debemus Deum timere et diligere — officium faciant.

Qu. Quae est summa Decem Praeceptorum? Resp. Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua, et proximum — pendent. Matthaei 22.

Qu. Quidnam Deus de praeceptis istis omnibus pronunciat? Resp. De Decalogo Deus Exodi uicesimo capite sic ait: Ego sum Dominus Deus tuus — custodiunt praecepta mea. Quibus uerbis grauissimam minitatur ijs poenam, qui praecepta sua transgrediuntur. Rursus gratiam, ac omnia bona — obseruant. Ergo Deum diligentes ac illi confidentes, iuxta praecepta eius debemus omnem uitam nostram diligenter instituere.

Qu. Ad quid tradita sunt praecepta Dei? Resp. Principio data sunt ad hoc, ut ex ipsis discamus peccata nostra agnoscere, Deinde, ut ex ipsis discamus opera quae Deo placeant, facere, et honestam uitam ducere. A 8.

Qu. Possumus ne nostris bonis operibus praecepta Dei perfecte implere? Resp. Nequaquam. Nostra enim opera non sunt perfecte bona, propterea quod sumus in peccatis concepti et nati. Sed ut saluti nostrae consuleretur, Dominus Deus noster donauit nobis filium suum Jesum Christum, qui nullum unquam peccatum fecit, sed impleuit omnia praecepta Dei absolutissime. Quare si in hunc credimus, reputat nos Deus gratuita sua clementia et misericordia, propter Jesum Christum,

perinde ac si nos omnia mandata Dei impleuissemus, adeoque donat nobis, et cordibus nostris sanctum spiritum infundit, reddit nos idoneos ad obtemperandum diuinae uoluntati. Praeterea quicquid in fragilitate nostra desideratur, compensat, et per obedientiam dilecti filij sui resarcit atque complet.

Qu. Quam ob causam nos debemus bona opera facere? Resp. Non propter hanc causam, ut satisfaciamus nostris bonis operibus pro peccatis, et mereamur uitam aeternam (Solus enim Christus satisfecit pro peccatis nostris, et meritus est nobis aeternam uitam). Sed ideo debemus bona opera facere, ut his fidem nostram uiuam, non mortuam esse testemur, et Domino Deo nostro pro beneficijs suis gratias agamus.

Qu. Da decem uersus Decalogum continentes. Resp.

Non aliena tuis uenerabere numina uotis.
In uanos utere Dei nec nomine ritus.
Septima sacra coles, opera feriatus ab omni.
Adficies digno reuerenter honore parentes.
Non hominem quenquam crudeli funere tolles.
Alterius lectum temerare cauebis adulter.
Non rapies aliquid, nec tu furabere quicquam.
Accitus testis nihil attestabere falsi.
Nullius cupies uicini tecta nitentis,
Nec nuptam, seruos, famulas, asinosque bouesque.

Qu. Quonam crimine Deus cumprimis offenditur? Resp. Ingratitudine. Nam, ut Diuus Bernhardus super Cantica dicit, Ingratitudo est hostis gratiae, inimica salutis. Et nihil ita displicet Deo, quam ingratitudo.

Qu. Esne gratus Deo? Resp. Etiam.

Qu. Quare? Resp. Qui Deum benefactorem agnosco.

Qu. Quid benefecit tibi Deus? Resp. Creauit me, Redemit me, Sanctificauit me.

Qu. Vnde hoc scis? Resp. Ex Symbolo.

B 1.

Symbolum Apostolicum.

Qu. Quid est Symbolum? Resp. Est nota, signum uel tessera Christiani hominis.

Qu. Da Symbolum. Resp. Credo in Deum patrem omnipotentem, — et uitam aeternam. Amen.

Qu. Quae est huius Fidei utilitas? Resp. Haec est utilitas eius, quod reputor per hanc fidem coram Deo iustus et sanctus, propter Jesum Christum, et quod per eam donatur mihi spiritus orandi, et inuocandi Deum ut patrem, et instituendi uitam meam iuxta mandata Dei.

Qu. Quid continet Symbolum? Resp. Congeriem benefactorum Dei, hoc est, Creationem, Redemptionem, ac Sanctificationem, Vnde tribus articulis est conspicuum.

Qu. Da primum Articulum. Resp. De Creatione. Credo in Deum — et terrae.

Qu. Quid sibi uult? Resp. Credo quod Deus creauit me, una cum omnibus creaturis, quod corpus et animam, rationem ac sensus mihi dedit, ac omnia quaecunque uitae necessaria, sine ullis meis meritis, ex diuina sua gratia suppeditauit. — Articulus hic est de Creatione, docens primam in Deitate personam, nempe Patrem, a quo omnia bona, uelut uberrima scaturigine, et aeterno fonte profluunt, a quo denique sunt omnia creata.

Qu. Quid est credere in Deum patrem? Resp. Omnem spem atque fiduciam debemus reponere in Deum patrem coelestem, utpote summum bonum, qui iuxta paternae uoluntatis clementiam promisit misericordiam atque beatitudinem, cum uniuersis bonis ad animae simul ac corporis salutem pertinentibus. Ergo oportere nos ei credere, totoque corde confidere, nihil dubitantes, quin ea omnia per gratiam ab ipso consecuturi simus.

Qu. Cur dicis: Omnipotentem creatorem coeli et terrae? Resp. B 2. 15 Quoniam ex nihilo creauit me cum omnibus creaturis, quae sunt in coelo et in terra. Conseruat etiam corpus et animam meam, sensus ac rationem, sanitatem atque membrorum robur, protegit item me cunctis in periculis, et aduersus omnia mala, idque sine meritis atque dignitate mea. Quapropter obstrictus sum illi pro omnibus beneficijs gratias agere, laudare, atque uerum cultum praestare.

Qu. Credis etiam Filium Deum, item Spiritum sanctum Deum? Resp. Credo.

Qu. Ergo tres Dij sunt? Resp. Non sunt. Tria nomina sunt, unus autem Deus.

Qu. Da secundum Articulum. Resp. De Redemptione. Et in Jesum Christum — uenturus est iudicare uiuos et mortuos.

Qu. Quid sibi haec uerba uolunt? Resp. Credo quod Jesus Christus uerus Deus — sit meus Dominus Jesus Christus, qui maledictum ac perditum me, ab omnibus peccatis, suo preciosissimo sanguine, sua morte redemit, ut ego suus proprius essem, sub ipso uiuerem, qui propter peccata me abalienatus eram, in corpore carnis suae per mortem reconciliatus sum, ut in conspectu suo exhibear sanctus, et irreprehensibilis, et inculpatus, in fide fundatus ac stabilis permanens. Coloss. 1.

Qu. Quid sibi uult illud: Deus homo factus est? Resp. Hoc est, Assumpsit carnem nostram una cum peccatis nostris.

Qu. Cur Dei filius appellatur Jesus Christus? Resp. Quoniam saluator est, a spiritu sancto in Regem atque summum pontificem unctus, ut me simul ac omnes in ipsum credentes, a peccatis emundet, ac reconciliatos patri, iustificet, saluosque reddat. Qui denique mihi, omnibusque fidelibus mediator, et aduocatus sit aeternaliter permansurus.

Qu. Quid de Christi resurrectione credis? Resp. Credo in Jesum Christum a Deo patre resuscitatum a mortuis, et ereptum ab omnibus cruciatibus, atque sic mortis atque uitae Dominum factum, qui sua resurrectione iustitiam et aeternam uitam mihi reparauit, ut a peccato liber iustitiae uiuam, donec hoc mortale corpus transfiguret atque clarificet, B 3. corpori suo glorioso redditum conforme. Philippen. 3.

Qu. Quomodo ad coelos ascendit? Resp. Sic Euangelistae sacri scribunt, Marcus atque Lucas: Itaque Dominus postquam locutus — consedit a dextris Dei.

Qu. Quid significant ea uerba? Resp. Docent Christum ascendisse super omnes coelos, Dominum mortis atque uitae redditum. Etenim cum ascendisset in altum, captiuam duxit captiuitatem, et dedit bona hominibus. Qui regnat in summa felicitate, gloria et potestate Dei, Dominus supra omnes principatus, uirtutes atque dominationes, non solum in hoc mundo, sed etiam in futuro seculo, ut aeternaliter omnia gubernet, et in omnibus omnia compleat.

Qu. Quid haec fides tibi praestabit? Resp. Efficiet, ut Domino meo Jesu Christo, omnem in coelo ac terra potestatem habenti, confidam, ac summo studio res omnes meas dirigam ad coelestem uitam.

Qu. Quid de iudicio extremo credis? Resp. Quemadmodum Jesus Christus in hanc mortalitatis uitam sese demisit, et per suam resurrectionem et ascensionem elatus est in summam sublimitatem, ita credo ipsum in maiestate sua cum omnibus angelis rediturum, corporaliter ac uisibiliter in extremo die, ad iudicandum uiuos et mortuos, daturumque pijs aeternam uitam, impijs autem aeterna supplicia.

Qu. Da Articulum tertium. Resp. De Sanctificatione. Credo in Spiritum sanctum — et uitam aeternam, Amen.

Qu. Quid hoc sibi uult summatim? Resp. Credo me proprijs uiribus — illuminasse, et conseruasse, quemadmodum — quotidie propitius remittit, omnes nos in extremo die, a morte resuscitaturus, ac uitam aeternam daturus.

Qu. Quid credis de Spiritu sancto? Resp. Est tertia persona in diuinis, a patre filioque procedens, qui similis est potestatis et essentiae cum utroque. Credo itaque me non proprijs uiribus nec efficacia peruenire posse ad cognitionem Dei patris atque Domini nostri Jesu Christi, B 4. sed per operationem Spiritus sancti, cum me per Euangelion uocat, suis donis illuminat, et in uera fide sanctificat, atque conseruat.

Qu. Cur specie columbae, et linguae igneae apparuit? Resp. Quia omnes quos implet, et columbae simplicitate mansuetos, et igne zeli ardentes, ac magnalia Dei loquentes, facit.

Qu. Cur speciem columbae suscepit? Resp. Quoniam prae omnibus animalibus haec cultrix est charitatis, ut ait Joannes Chrysostomus.

Qu. Quae dona sunt Spiritus sancti? Resp. Vera sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, timor Dei.

Qu. Cur praecipue datur? Resp. In terra datur spiritus, ut diligatur proximus. E coelo datur spiritus, ut diligatur Deus. Sicut ergo una est charitas, et duo praecepta, ita unus spiritus, et duo dona, ut ait S. Augustinus.

Qu. Quid intelligis per sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem? Resp. Credo uniuersalem Sanctorum congregationem a spiritu sancto per Dei uerbum, et Euangelij praedicationem ex omnibus mundi populis ad Jesum Christum accersitam, ut eius Verbum audiant, mandatis obtemperent, sacramentis utantur, atque mutuam inter se charitatem exerceant.

Qu. Quid per peccatorum remissionem? Resp. Credo Dominum nostrum Jesum Christum omnibus ijs, qui firmiter credentes de peccatis dolent, atque poenitent, impetrasse peccatorum remissionem, ac eandem in Ecclesia sua quotidie conferre, atque suppeditare per diuina Baptismi atque Coenae dominicae sacramenta. Item per absolutiones, atque conscientiarum consolationes, quas Ecclesiae suae commendauit.

Qu. Vnde ista habes? Resp. E scripturae locis. Principio sic legitur Marci ultimo: Ite in mundum uniuersum — condemnabitur. Deinde Joannis 20. Sicut me misit pater, et ego mitto uos. Accipite spiritum — retenta sunt. Tertio Matth. 18. Amen dico uobis, quaecunque alligaueritis — in coelo etc.

Qu. Quid per carnis resurrectionem? Resp. Vniuersalem mortuorum resurrectionem in nouissimo die futuram credo, cum omnes qui in monumentis sunt, audient uocem filij hominis, et prodibunt. Joannis 5. Tunc quemadmodum Christus est mortuus, et per diuinam uirtutem a mortuis excitatus, ita mortale corpus meum per efficaciam illius resur- B 5. rectionis reuiuificabitur, et ad immortalem uitam resuscitabitur, atque renouabitur.

Qu. Quid de uita aeterna credis? Resp. Credo immarcescibilem haereditatem, et aeterna gaudia mihi conseruata in coelis. Quae ut modo per uerbum in Deo patre, et quem misit, Jesu Christo, contemplor et cognosco, sic quando Christus mea uita, meumque gaudium apparebit, et ego tum apparebo in gloria uisurus ipsum ut est in maiestate sua. Hoc ipsum certo mihi, omnibusque in Christum credentibus continget: quemadmodum econtra cunctis incredulis et impijs eueniet, ut in aeternam condemnationem, et inextinguibilem ignem atque supplicia praecipitentur.

Qu. Quomodo ueram ad fidem peruenire licet? Resp. Per auditionem uerbi Dei, et per sancti spiritus illustrationem.

Qu. Sed cum debilis et infirma fides, a quo petenda confortatio et auxilium? Resp. A Deo nostro patre per Jesum Christum ardente oratione intercedente.

Qu. Da carminibus adstrictum Symboli primum Articulum — Da Secundum — Da Tertium —.

De Oratione. B 6.

Qu. Quid est orare? Resp. Est Deum patrem firma et indubitata fide per Christum inuocare, quemadmodum ipse praecepit, atque se nos exauditurum promisit.

Qu. Quot requiruntur ad Orationem? Resp. Duo. Fides in promissionem diuinam, et affectus aliquid petendi.

Qu. Quomodo orandum est? Resp. Quemadmodum Christus docuit discipulos suos, atque iussit orare. Matth. 6.

Qu. Da Orationem Dominicam. Resp. Pater noster — in saecula saeculorum, Amen.

Qu. Oratio Dominica quot preces continet? Resp. Septem.

Qu. Da primam, et quid sibi uelit, simul eloquere. Resp. Pater noster — nomen tuum. Id est, omnipotens Deus, qui bonitatis autor, ac uitae, da miseris peccatoribus, ut nomen tuum per se quidem sanctum,

apud nos non uanum, sed sanctissimum, ac toti mundo magnificum habeatur, idque spiritu et ueritate semper adoretur.

Qu. Quid est quod dicit: Pater noster, qui es in coelis? Resp. Familiariter allicit, ac benigniter excitat ad fidem, qua nos aerumnosos in terris filios consolatur, et sursum ducit ad patrem coelestem, qui cunctos in mundo patres misericordia et omnipotentia superat, qui fons uberrimus omnium bonorum, et in cunctis necessitatibus extremum praesidium.

Qu. Quomodo nomen Dei sanctificatur? Resp. Si Dei uerbum sinceriter fuerit praedicatum, ac nos ei crediderimus, et factis expresserimus, nulla falsa doctrina aut superstitione idolatrica nomen Dei prophanando.

Qu. Da secundam petitionem. Resp. Veniat regnum tuum. Id est, Effundatur in corda nostra Spiritus sanctus, qui Dei uerbum in nobis uiuidum, ac ferax reddat, ac proterat ueterem Adamum una cum prauis suis adfectibus. Hoc est: Cum caro et sanguis Dei regnum
B 7. possidere nequeant, 1. Corin. 4. petimus ut suo spiritu nos illuminet, et idoneos reddat aeterno regno. Et cum Dei uerbum non ueniat cum obseruatione, deposcimus ut intra nos uigeat, utpote iustitia, pax, et gaudium spiritus sancti.

Qu. Quomodo continget illud? Resp. Eueniet cum nos miseros peccatores Deus a regno Diaboli, nempe peccatis, morte atque mundo liberat, ac per spiritum sanctum nos in filij sui regnum transfert, sua benedictione ac donis coelestibus excolit, ut ex intimis animi penetralibus credamus, atque pie uiuamus in hoc praesenti, atque futuro seculo.

Qu. Da tertiam. Resp. Fiat uoluntas — in terra. Id est, Bona et misericors Dei uoluntas (quae non mortem peccatoris, sed uitam uult) fiat, non nostra, quae peccatum est. — Confitemur hic Dei uoluntatem in nobis nihil uirium habere, nihilque apud nos procedere, nec praedominari. Petimus igitur, ut aspirante Deo quisque nostrum in sua uocatione per spiritus sancti uirtutem, possimus uiuere, et operari secundum Dei praecepta, nostros item affectus frenare atque uincere, corporaque nostra uiuentem hostiam praebere, mortificando carnem, uirtuti reluctantem.

Qu. Quomodo continget istud? Resp. Cum Deus peruersum omne consilium, impiamque uoluntatem Diaboli, mundi, atque nostrae carnis impedit ac frangit, facitque suum nomen in nobis sanctificari. Concedit suum ad nos regnum peruenire, nos in suo uerbo confirmat, in fide corroborat, et misericorditer in finem usque conseruat.

Qu. Da quartam. Resp. Panem nostrum — hodie. Id est, Administra doctrinam coelestem, uerum et uiuum intellectum Verbi tui, et uoluntatis tuae. — Confitemur hic per Dei gratiam omnia, quae spectant ad uitae necessitatem, opulente conferri hominibus, etiam impijs. Petimus igitur, ut idipsum agnoscere, et cum gratiarum actione possimus accipere, atque perfrui. Adeoque per panem intellige cibum, potum, uestitum, bonum Reipu. statum, bonos amicos, honorem, pacem, et id genus alia, quae pertinent ad uitae sustentationem, ac necessitatem, ut sunt mens sana, corpus ualidum, artes honestae, pij ac fideles magistratus, oeconomia bona, tempestas prospera, fertiles anni, et alia quae

spectant ad uitae conseruationem, ne uel inopia, uel abundantia rerum adducti offendamus Deum, sed potius ut obedientes filij speremus ab omnipotente patre omnia bona.

Qu. Da quintam. Resp. Et remitte nobis debita nostra. Hoc B 8.
est, peccata nostra, quae multifariam quotidie petramus. Sicut et nos
remittimus debitoribus nostris. Id est, delinquentibus in nos.

Qu. Quid per ea uerba petimus? Resp. Petimus ut Deus grauissima nostra, quae indies contra ipsum designamus, peccata condonare dignetur, et non delictorum nostrorum respectu, preces irritas facere, sed per suam gratiam nos clementer exaudire, et benigniter nobis concedere, ut nos etiam ijs, qui in nos deliquerunt, ex intimo cordis penetrali remittere possimus, habituri conscientiam alacrem, atque securam ab omni terribilis futuri iudicij metu, atque terrore.

Qu. Da sextam. Resp. Et ne nos — tentationem. Hoc est, Ne patiaris, ut caro, mundus, Satanas, a recta fide nos ad perditionis uiam seducat. — Deum his uerbis oramus, ut nos custodire dignetur ac conseruare, ne per tentationes peccatorum, carnis, Diaboli, uel utriusque fortunae redigamur in peruersum sensum, aut intricemur, seducamurque superstitionibus, incredulitate, desperationibus, aut alijs flagitijs contaminemur, sed ex omnibus tentationum periculis potenter emergamus, uictoriaque per diuinum praesidium potiamur.

Qu. Da septimam. Resp. Sed libera nos a malo. Id est, Ne patiare nos succumbere malo, sed nobis largiaris ut gladio spiritus, qui est uerbum tuum, circumcincti, spirituales astutias in coelestibus uincere, ac palmam reportare possimus. — Petimus ut pater coelestis nos ab antiquo hoste Satana protegere, et ab omnibus corporis et animae, facultatum etiam nostrarum et bonorum periculis atque dispendijs liberare, Praeterea in uitae nostrae termino salutarem exitum donare, tandemque nos ad sese in aeterna tabernacula recipere dignetur.

Qu. Da appendicem. Resp. Quia tuum est regnum — seculorum. Id est, Preces nostras exaudire, nos uoti compotes facere, et saluare poteris, qui Dominus Dominorum. Ex quo, per quem, in quo sunt omnia, uisibilia uel inuisibilia, quae in coelis sunt, et quae in terra, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Tibi gloria in secula, Amen.

Qu. Quid significat Amen? Resp. Significat certe, siue fiat. Adhibetur orationis fini, ut simus omnino certi — Amen, fiat, fiat.

Qu. Quomodo Deus est adorandus? Resp. In spiritu et ueritate. C 1.
Nam Deus est spiritus ac ueritas, Ergo Deum adorare uolentes, cum spiritu — adorare.

Qu. Da Orationem Dominicam carmine constrictam. Resp. — —

Qu. Quomodo inuocas Deum, pro docilitate consequenda, mane in Scholam abiens? Resp. Dico hanc precatiunculam: O Domine Jesu Christe, qui tenerae aetati docilitatis commodum addidisti, addo, quaeso, ad naturae propensionem, auxilium gratiae tuae, ut literas ac disciplinas liberales citius perdiscam, sed tuae gloriae seruituras, quarum adminiculis adiuta mens mea, plenius assequatur cognitionem tui, quem nosse, felicitatis humanae summa est, utque ad tuae sanctissimae pueritiae exemplum, in dies proficiam aetate, sapientia, gratia apud Deum et homines. Amen.

Qu. Quomodo Deo agis gratias de profectu in studijs, uesperi e Schola, domum rediens? Resp. Dico hanc precatiunculam: Ego tibi, benignissime Domine Jesu Christe, qui fons et dator es omnis sapientiae et intelligentiae, sine quo omnia nostra studia successu carent, ago gratias, quod mentem meam tua gratia illuminasti, ad percipiendum honestas disciplinas, da, quaeso, ut, quicquid hoc die bonarum literarum addidici, fideli id quoque memoria retineam, et in usum melioris uitae, et profectus literarum, imitando traham, ut indies pietate, honestis moribus, C 2. et bonis literis, feliciter promouens, comparem mihi doctrinam, qua uti possim ad gloriam tui nominis illustram dam, et utilitatem proximi augendam, atque meam ipsius salutem.

Qu. Quomodo inuocas Deum quotidie in omni necessitate? Resp. —

De Clauibus Regni Coelorum.

Qu. Quae sunt claues regni coelorum? Resp. Ministerium seu praedicatio Euangelij de Jesu Christo.

Qu. Quo in loco scripturae institutum est a Christo ministerium praedicandi Euangelij sui? Resp. Apud Lucam capite decimo ait Christus: Qui uos audit — qui misit me. Item Matthaei capite decimo-sexto ait Christus ad Petrum, et nomine Petri ad omnes Apostolos, et ministros Euangelij: Tibi trado claues — solutum in coelis. Et apud Joannem capite uicesimo: Accipite Spiritum — retenta sunt.

De Confessione.

Qu. Quid est Confessio? Resp. Est peccatorum declaratio, et accusatio delinquentis.

Qu. Quis est confessionis usus? Resp. Vt peccatorum mole grauatus homo peccator adfectae conscientiae refrigeria consequatur, et ex uiuo Dei uerbo consolationes per Ecclesiae ministerium accipiat.

Qu. Da confitendi formulam. Resp. Ego miser homo confiteor, et C 3. conqueror tibi, et accuso me coram Deo, quod peccatis obnoxius, et incredulitatis et blasphemiae Dei plenus sum — atque absolutionem consolari, et erigere.

Qu. Da generalem confitendi formulam. Resp. Confiteor tibi — Jesum Christum, Amen.

Qu. Da formam Absolutionis. Resp. Deus misereatur nostri — et filio etc.

Qu. Da Confessionem, uersibus comprehensam. Resp. — — Qu. De fuga malorum hominum. Resp. — — Qu. De restitutione rei forte repertae. Resp. — — Qu. De fuga peccatorum. Resp. — — Qu. De septem peccatis mortalibus. Resp. — — Qu. De studio pie- C 4. 40 tatis. Resp. — — Qu. De Jeiunio. Resp. — —.

De Sacramentis.

Qu. Quae praeterea sunt homini Christiano commoda, et necessaria cognitu? Resp. Sana doctrina de Sacramentis, praecipue Baptismi, atque Coenae Dominicae.

Qu. Quid est Sacramentum? Resp. Est, secundum Augustinum, rei sacrae uisibile signum. Vel, inuisibilis gratiae uisibilis forma.

Qu. Quomodo dicuntur ista clarius? Resp. Est symbolum, uel diuinae in nos gratiae testimonium, externo signo confirmatum, cum mutua nostrae erga Deum obseruantiae, et pietatis erga homines testificatione. Porro signis eiusmodi sacris Deus misericors suam gratiosam uoluntatem et communionem Christi per Ecclesiae ministerium nobis offert atque donat, corroboratque credentium fidem.

De Baptismi Sacramento. Qu. Quid est Baptismus? Resp. Non est simpliciter aqua — comprehensa constat. — Vel, Est in aquam immersio, uel perfusio in nomine Patris, et Filij, et Spiritus sancti, per quam primitias spiritus accepimus, et principium alterius uitae, ut sit nobis regeneratio, et sigillum, et custodia, et illuminatio, ut ait Joannes Damascenus.

Qu. Da Baptismi definitionem. Resp. Baptismus est Sacramentum, seu diuinum signaculum, quo certo significat Deus Pater, per Jesum Christum filium suum, cum Spiritu sancto, quod sit ei, qui baptizatur, clemens Deus, ac remittat ipsi peccata, et adoptet ipsum in filium, et haeredem omnium coelestium bonorum.

Qu. Quibus uerbis institutum a Christo Sacramentum Baptismi? Resp. Matthaei ultimo, ubi Dominus noster Jesus Christus dicit: Data est mihi — Spiritus sancti.

Qu. Quid praestat aut confert Baptismus? Resp. Operatur con- C 5. donationem peccatorum — quod uerba, et promissiones diuinae pollicentur.

Qu. Da istas promissiones diuinas. Resp. Dominus noster Jesus Christus, Marci ultimo — condemnabitur.

Qu. At qui potest aqua tam magnas res efficere? Resp. Aqua procul dubio non efficit — in spiritu sancto, quos nos Dominus emundat ac inserit filio suo dilecto, et Ecclesiae. Nobis item sancti spiritus communionem donat, aeternaeque uitae haereditatem, quae per fidem certo consequimur.

Qu. Vnde collectum id habes? Resp. Ex Diuo Paulo, Qui ad Titum capite tertio sic ait: Postquam bonitas, et erga omnes homines amor apparuit seruatoris nostri Dei, non ex operibus, quae sunt iniustitia, quae faciebamus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit — Indubitatus sermo.

Qu. Quid in aquam ista significat immersio? Resp. Significat, quod uetus Adam — uiuat in aeternum. Innuit item nos de ablutione et remissione peccatorum certos esse per Christum, si modo eidem uera fide adhaeserimus. Docet item nos ad illum, si deflexerimus per delicta, reuerti debere, et a profundo scelerum emergere, donec in nobis per mortem, et resurrectionem abluat, tollatque funditus omnia peccata.

Qu. Vbi legis hoc scriptum? Resp. Apud Sanctum Paulum, qui ad Romanos sexto dicit: An ignoratis, quod quicunque baptizati sumus — in nouitate uitae ambulemus. Et Colossensibus ait: Consepulti sumus — C 6. 45 excitauit illum ex mortuis. Item ad Ephesios capite sexto ait: Christus dilexit Ecclesiam — sancta et irreprehensibilis.

Qu. Da Sacramentum Baptismi carmine conscriptum. Resp.

Stelliferam Christus uictor scansurus ad arcem,
Discipulis dixit talia uerba suis:
Ite per omniuagae fineis telluris, et omnes
Sancta creaturas uerba docete mea.
In Patris, ac Gnati, Paracleti spiritus atque
Nomine, mortales fonte lauate sacro.
Qui bene crediderit, qui lotus ex amne salubri,
Saluus, et aeterna lege beatus erit.
Sed quicunque fide cassus, pietatis et expers,
Is damnatus homo Tartara summa petet.

Qu. Quid est Sacramentum? Resp. Est signum nos diuinarum promissionum admonens, et de uoluntate Dei beneuola testans, ad excitandam, et confirmandam fidem nostram, coelitus institutum.

Qu. Quibus nominibus Sacramenta solent appellari? Resp. Alij uocant signa, alij notas, alij tesseras, symbola, sacramentalia signa, Graeci *σφραγίδας*.

De Sacramento Eucharistiae siue Coenae Dominicae. Qu. Quid est faciendum, ut confirmemus fidem nostram in aduersis, et accipiamus consolationem in adflictionibus? Resp. Vtendum est Coena Dominica.

Qu. Quid est Coena Dominica? Resp. Coena Dominica est sacramentum, seu diuinum signaculum, quo Christus uere praesens, offert ac donat nobis pane et uino corpus et sanguinem suum, et certificat nos, quod remittantur nobis peccata, et pertineat ad nos ius uitae aeternae.

Vel, Sacramentum Coenae Dominicae est uerum corpus, et uerus sanguis Domini — institutum, non ad corporis nutrimentum, sed animae salutarem cibum.

C 7. Qu. Vbi legis hoc scriptum? Resp. Sic Euangelistae sancti scribunt — in mei commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc — donec ueniat.

Qu. Quid uero prodest sic comedisse et bibisse? Resp. Vt eo nutrimento nos uniamur Christo, et in nobis ipse augeatur, item ut fidei robur, animae consolationem, peccatorum remissionem, et aeternam denique uitam consequamur, quod ipsa uerba testantur, nempe, Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur, Hic est sanguis meus, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc nouum testamentum, nouum et aeternum pactum, quo filij Dei et haeredes redditi sumus. Adeoque nobis in Sacramento donatio peccatorum, uita et iustitia, per haec uerba tribuuntur. Vbi enim remissio peccatorum, ibi est et uita, et iustitia.

Qu. Ad Sacramentum Altaris accessuro puero quot erunt consideranda? Resp. Duo potissimum. Externa signa, siue Symbola. Deinde promissio diuina, quae finalis signorum causa.

Qu. Quid faciunt signa? Resp. Nihil aliud, nisi ut nos diuinarum promissionum admoneant, de beneuola Dei erga nos uoluntate testentur, exerceant, moueant, et inflamment ad credendum corda nostra, animosque firmam in fidem erigant.

Qu. Quid in hoc Sacramento nobis est promissum? Resp. Diuina gratia credentibus, ac peccatorum remissio.

Qu. Confert ne corporalis ista manducatio salutem, et peccatorum remissionem? Resp. Manducare et externum illud bibere non conferunt, sed magis illa uerba Dei — tanquam caput et summa in Sacramento — Remissionem peccatorum. C 8.

Qu. Conducunt ne ad sumendum corpus Christi ieiunia? Resp. Non obsunt corde perfecta pio. Nam ieiunare, et corpus praeparare, non malum est exercitium, sed externa bona disciplina. Porro Melitaearum catellarum est, ab unctis popinis ad Domini Mensam, illotis (ut aiunt) manibus accedere.

Qu. Quis autem utitur hoc Sacramento digne? Resp. Domini corpus et sanguinem digne sumunt ij, quos peccatorum agnitio pungit, quos admissorum poenitet, Qui correcta uita accedunt, gratiam petunt, uera fide accipiunt, creduntque firmiter ijs uerbis: Quod pro uobis traditur, Qui pro uobis effunditur, in remissionem peccatorum. Nam qui uerbis hiscis, sed haesitabundi dubitant, prorsum indigni sunt tanto Sacramento.

Qu. Cur Dominus adijcit: Hoc facite in mei commemorationem? Resp. Ea uerba subdit, ut recordemur passionis et effusionis sanguinis Christi, Vt in memoriam reuocemus, quid pro nobis ille factus fuerit, quid nostra causa fecerit, quod ineffabilem aeterni Patris erga nos amorem ostenderit, quod perditos nos infernali damnationi filios obnoxios precioso sanguine suo redemerit. — Deinde monemur, ut nostra delicta agnoscentes ad oblatam gratiam nos erigamus, sitienter ac saepius ad Domini mensam accedamus, fidem nostram confirmemus, gratias item Deo pro tantis beneficijs agamus, ac glorificemus. Fidei denique fructum, et charitatis erga proximum opera proferamus. Amen.

Qu. Da sacrata Eucharistiae uerba carmine comprehensa. Resp. — —.

Qu. Da praecipuum Dominici corporis usum. Resp. D 1. 30

Mysticus ille cibus (Graeci dixere Synaxin)
Sub panis uinique palam sub imagine, Christum
Praesentem nobis uere dans, intima nostri
Viscera coelesti saginat, et educat esca,
Inque Deo reddit uegetos, et reddit adultos. 35

6. Der deutsch-lateinische Katechismus, Marburg 1554.

Catechismus Latinogermanicus in usum et gratiam Germanicae pubis, ut eadem a teneris annis ueram pietatem utraque lingua simul perdiscat, coniunctim typis excusus: additis in fine, pro adultioribus, scholijs.

D 3. **SEQVVNTVR SCHOLIA NONNVLLA IN CATECHISmum pro adultioribus.**

Quid est Catechismus? INstitutio puerilis, qua Catechumenus in primis elementis Christianae religionis uiua uoce eruditur. Vel: Est prima quaedam institutio, in qua Compendio traditur summa legis et Euangelij: doctrina nimirum uocalis, qua alius alium erudit.

Vnde dicitur Catechismus? A graeco uerbo *κατηχίζω*, id est, uiua uoce erudio. Etenim mysteria olim non scripta, sed uiua uoce tradebantur. Dicitur etiam *κατήχησις*, catechesis, Eyn mündtlicher bericht, a *κατηχέω*, quod uerbum a *κατὰ* et *ἠχέω* componitur. Etenim semper quaedam Echo, id est, uocis reuerberatio auditur, dum ille qui docet quasi prior singulis dictionibus praeit, puer uero qui docetur ijsdem dictionibus repetitis, quasi posterior sequitur.

Quis dicitur Catechumenus? Qui sonanti uoce et sermone ab alio eruditur. Qui nondum initiatus est, sed adhuc imbuitur elementis religionis. Qui uero alium erudit, *κατηχιστής*, catechista nuncupatur.

Quot sunt capita Catechismi? Quinque fere numerantur: D 4. Decalogus, Symbolum Apostolorum, Oratio Dominica, Sacramentum Baptismi, et Sacramentum Coenae Domini. Addunt nonnulli absolutionem, et Officiorum, seu piae uitae, institutionem.

Da breuiter summam horum quinque capitum. Decalogus, quid Deo et proximo debeamus docet. Symbolum Apostolorum summam quandam nostrae religionis continet, nimirum quomodo et a quo creati sumus, per quem redempti, et a quo sanctificati. Oratio Dominica est uera et perfectissima orandi formula, a Christo nobis tradita, qua omnia tam animae quam corporis necessaria a Deo petimus. Sacramenta sunt signa gratiae et redemptionis, nobis per Christum collatae. Motus enim humana imbecillitate Christus, cum simplici promissioni nos credere non satis posse uideret, Sacramenta, uisibilia signa dedit, quibus ad credendum simplici promissioni inuitaremur.

Quid est Lex? Est doctrina a Deo tradita, praecipiens quales nos esse, et quae facere, quae omittere oportet, ac pronuncians irasci Deum et punire aeterna morte uelle non praestantes perfectam obedientiam.

Quid est Decalogus? Est sancta lex Dei, in decem praecepta distincta, quibus Deus praecipit, quid agere, et quid omittere debeamus.

Vnde dictus Decalogus? A *δέκα*, id est, decem, et *λόγος*, id est, sermo, quasi dicas decem uerborum oratio.

In quot tabulas diuisus est Decalogus? In duas. Prior quid Deo, Posterior quid proximo debeamus, docet.

Quid praecipitur primo praecepto? Vera agnitio, timor, D 5. 5 fides, et dilectio Dei. Concionatur enim de cultibus interioribus Exodi 22. Qui immolat Dijs occidetur. Ibidem 32. adorant Judaei uitulum conflatilem, Moses iratus proiecit de manu tabulas, et confregit eas ad radicem montis, iussitque occidi 23. millia.

Quid significat habere Deum? Significat fiduciam ac spem suam in Deum collocare.

Quid habere Deos alienos? Fidere creaturis, et ab eis opem ac salutem expectare. Nam illud cuique Deus est, ut ait Augustinus, quod toto pectore timet et colit.

Quid exigit secundum praeceptum? Prohibet abusum, et praecipit uerum usum diuini nominis. Concionatur de externa professione Leuitici XXIIIj. Qui blasphemauerit nomen Domini morte moriatur. Ibidem blasphemus extra castra productus lapidibus opprimibitur.

Quid est nomen Dei? Honorifica de Deo fama, seu celebratio ueritatis.

Quid est assumere nomen Domini in uanum? Est eo abuti ad res uanas et perniciosas proximo, falso per illud iurare, execrari, imprecari malia alijs, praetexere nomen Dei, religionis, Euangelij, iniustis cupiditatibus, ambitioni, auericiae, et alijs rebus malis.

Quid traditur tertio praecepto? Externus cultus Dei in ceremonijs ecclesiasticis. Concionatur de usu ceremoniarum. Numerorum XV. lapidatur qui ligna sabbato collegerat.

Quid est Sabbatum? Quilibet dies quo publice uacatur, gratia audiendi Verbi Dei, et administrandi sacramenta, et inuocationis publicae D 6. causa. Vocabulum quietem sonat.

Quotuplex est Sabbatum? Duplex. Corporale, quo a laboribus nostris, uel propter actiones sacras, uel propter recreandas uires corporis cessamus. Spirituale, quo a peccatis abstinemus.

Quid est sanctificare sabbatum? Est ipsum in res seu actiones sacras collocare, non ocio tantum transigere.

Quae ergo sunt actiones sacrae? Audire uerbum Dei, uti sacramentis, interesse ceremonijs publice institutis, et orare publice in ecclesia, exempli causa.

Quid quarto praecepto praecipitur? Sancitur imperium, et praecipitur obedientia, non tam propter poenam, quam propter Deum ipsum, ut obediamus parentibus, Magistratui, Doctoribus, et qui uicem parentum gerunt. Genesis 9. Cham filius Noë uerenda patris sui nudata, duobus fratribus ostendit. Qua de causa ibidem ei a patre maledicitur.

Quid est honorare? Alteri ex animo laudem sapientiae, honorem et reuerentiam tribuere.

Quid est honorare parentes? Honorifice de parentibus sentire, ijs parere, et si forte, quod humanum est, peccarint, ipsis ignoscere: Denique ipsos ope nostra indigentes, iuuare.

Quos parentum nomine intelligis? Externos et corporales parentes, deinde ministros ecclesiae, qui nos in Christo regenerant. Et praeceptores uel literarum, uel opificiorum. Tertio magistratum ciuilem. Quarto tutores, amicos et cognatos. Postremo natu maiores, de quibus
D 7. 5 scriptura ait: Coram cano capite consurge, et honora personam senis. Et time dominum Deum tuum. Leuit. 19.

Quid traditur in quinto, et reliquis sequentibus praeceptis? Officia debita proximo, scilicet, ne corpori, coniugi, et fortunis alterius noceamus.

Quot modis occiditur? Tribus. Mente, Ore, et Manu. Mente occidimus, quando proximum odio magno prosequimur, quemadmodum Esau odio perpetuo habuit fratrem suum Jacob, Genesis 27. Ore, cum irae et odij signa per conuicia et maledicta edimus, Sic Christus ait: Quicunque dixerit fratri suo racha, obnoxius erit concilio. Matth. 5. Manu, cum telis quibuscunque proximum nostrum sine publico magistratus mandato interficimus. Sic Abelum interfecit Cain, Gen. 4. eique a Domino maledicitur.

Quid traditur sexto praecepto? Approbatur a Deo honorabile coniugium, exigit castitatem et continentiam, et prohibet omnem intemperantiam, libidinem ac concubitum illegitimum. Rex Dauid cum Bathseba Vriae coniuge adulterium committit. 2. Regum 11.

Quid est moechari? Est adulterium cum alterius uxore committere, fornicari, et quocunque modo impudicum esse, uel affectu, uel uerbis, uel opere, uel uisu.

Quid uult sibi septimum praeceptum? Ne bona aliena appetamus, ut liberalitate nostra egenos iuuemus. Postremo, ut iusticia uel ponderalis uel numeralis seruetur.

Quid est furtum facere? Bona aliena dolo, aut impostura
D 8. clam siue apte subtrahere atque auferre. Achan anathematum fur cum liberis et pecoribus lapidatur, et omnia quae illius fuerant igne comburuntur, Josue 7.

Quid praecipitur octauo mandato? Vt candide cogitemus, dicamus et sentiamus de proximo, etiam ubi maxime peccarit.

Quid est loqui falsum testimonium? Non simpliciter nec candide considerare proximi causam, sed praeter aequum et iustum falsa fingere, quo laedatur proximi fama, nomen et gloria. Duo presbyteri contra Susannam falsum perhibentes testimonium, interficiuntur. Dani. 13.

Quid mandat nonum praeceptum? Ne quaeramus nostra commoda cum proximi incommodis, sed in omnibus rebus iuuemus eum, ut eius bona crescant ac procedant foelicius. Jacob insidiatur gregibus Laban soceri sui uirgis decorticatis, Genesis 30.

Quid est concupiscere? Sua sorte non contentum, res tam bonas quam malas petere. Est autem leuior affectus concupiscere, quam desiderare.

Quid significat hic domus? Proprie significat haereditaria bona et immobilia. Septimum de Furto de mobilibus, quae transferri possunt, loquitur.

Quid praecipitur in decimo? Prohibentur omnes malae libidines et cupiditates.

Quid est desiderare? Desiderare longe uehementior affectus est, quam concupiscere. Nam, desiderare etymon trahit a sideribus contemplandis. Est autem contemplari non tantum obiter spectare, sed E 1. 5 intueri diligenter cum quadam animi oblectatione et gaudio.

Quomodo differunt posteriora haec duo praecepta? Nonum ad res tantum respicit. Decimum ad personas et res simul. Ad hunc uero modum tria sunt praecepta primae tabulae, Secundae uero septem. Porro, qui Hebraeos sequuntur, quatuor faciunt primae tabulae mandata, secundae uero sex. Connectunt enim nonum et decimum, quorum utroque prohibentur malae libidines et cupiditates. Secundum uero constituunt imaginum sculptilium prohibitionem. Sic secundum praeceptum erit tertium, et caetera. Vt tandem ex nouo et decimo ultimum fiat.

Quid Moses scribit de imaginibus? Non facies tibi sculptile. Non adorabis ea neque coles.

Quid uetat ibi Moses? Ne fingamus nobis Deum ulla specie: ob idolatriam fugiendam. Et laudandus perfecto est Mosae zelus. Etenim cum e monte descendisset, uitulumque conflatilem et charos uidisset, factus propinquior castris, iratus ualde, proiecit e manu tabulas, ut paulo ante dictum est, accipiensque uitulum quem fecerant, combussit et contriuit, Exo. 32. Tandem caesa quoque per Leuitas Hebraeorum 23. millia. Ezechias aeneum serpentem a Mose factum confregit, propter abusum. Coeperat enim stolidus populus ei adolere incensa. 4. Reg. 18. Dan. 14. Quia non colo idola manufacta, sed uiuentem deum.

Ad quem usum traditus est Decalogus? Primum, ut ex ipso discamus peccata nostra agnoscere. Deinde, ut ex ipso discamus quae opera Deo placeant, atque displiceant.

Possumus ne nostris operibus mandata Dei perfecte implere? Nequaquam. Nostra enim opera non sunt perfecte bona, E 2. propterea, quod sumus in peccato concepti et nati. Sed ut saluti nostrae consuleretur, donauit nobis dominus noster unigenitum filium suum Jesum Christum, qui nullum unquam peccatum fecit, et impleuit omnia mandata dei perfectissime. Quare, si in hunc Jesum Christum credimus, reputat nos deus gratuita clementia sua, propter Christum, perinde ac si nos ipsi omnia mandata dei impleuissemus.

Cur debemus bona opera facere? Vt his testemur fidem nostram, et agamus gratias domino deo nostro pro beneficijs suis: non propter hanc causam, ut satisfaciamus nostris operibus pro peccatis, et mereamur aeternam uitam: solus enim Christus satisfecit pro peccatis nostris, et meritus est nobis aeternam uitam.

Dic breuiter totius Decalogi summam. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua — sicut teipsum. Deut. 6. Lucae 10. Matthaeus addit: In his duobus mandatis tota lex et prophetae pendent. 22. cap.

Sumusne liberi ab obedientia legis? Minime. Lex abrogata est a Christo, non ut ne fiat, sed ut ne damnet.

De Euangelio et Fide.

Quid est Euangelium? Est praedicatio poenitentiae, et promissio reuelata diuinitus, in qua propter Christum gratis offeruntur nobis remissio peccatorum, imputatio iusticiae, donatio spiritus sancti, et uitae aeternae.

E 3. Quare dicis propter Christum gratis? Opus enim est ut credamus haec nobis certo et uere propter Christum contingere, et non propter dignitatem nostram aut merita nostra.

Euangelium quid significat? Euangelium graecum et uetus est uocabulum, quod etsi apud Homerum significat munus dandum laeta nuncianti Eyn botten brodt, tamen alioqui in lingua graeca significat sermonem, res bonas et laetas nunciantem, sicut ea uoce Apostoli usi sunt.

Vnde dicitur? Ab *εὖ*, id est, bene, et *ἀγγέλλω*, id est, nuncio: quasi dicas, bonum nuncium de Christo filio dei, propter nos homine facto, mortuo et resurgente.

Quomodo Paulus definit Ro. 1.? Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Quod est officium Euangelij? Consolari anxias conscientias, et promittere credentibus remissionem peccatorum et uitam aeternam.

Quae est summa Euangelij? Qui crediderit et baptizatus fuerit saluus erit. Marc. 16. Item, Credere Jesum Christum esse agnum Dei tollentem peccata mundi. Joan. 1.

Da discrimen inter Legem et Euangelium. Joannes Apostolus initio Euangelij sui luculentum discrimen proponit. Lex per Mosen data est, Gratia et ueritas per Jesum Christum facta est. Item lex habet promissiones conditionales, et requirit nostram dignitatem, hoc est, promittit propter impletam legem. Euangelij autem promissiones sunt gratuitae, promittunt enim et donant gratis propter Christum, non propter nostra merita, remissionem peccatorum et iusticiam. Roma. 4. Ideo gratis ex fide, ut sit firma promissio.

E 4. Quid est fides? Est certa fiducia in Deum, qua statuimus Deum nobis esse placatum gratis propter Christum: non tantum historiae cognitio.

Excludendane est a fide historiae noticia? Minime, immo necessarium est credere omnes articulos. Non autem satis est tenere historiam, quam etiam daemones nouerunt et contremiscunt, sed oportet hac fide intueri mediatorem, et statuere nos propter ipsum esse iustos.

Fides quomodo definitur a Paulo? Paulus 11. ad Heb. sic definit: Fides est hypostasis (hoc est compromissio) rerum sperandarum, et argumentum (seu comprobatio et certus assensus) non apparentium.

Vbi consistit fides? Non in sapientia hominum, sed in uirtute Dei.

Quid est spes? Expectatio eorum quae uere a Deo promissa fides credidit.

Quomodo differunt inter se Fides et Spes? Fides credit Deum nobis esse patrem: Spes expectat. Fides datam nobis aeternam

uitam credit: Spes expectat ut aliquando reueletur. Fides fundamentum est cui spes incumbit: Spes fidem alit ac sustentat.

Quomodo se habent fides ad opera? Vt ignis ad calorem, aqua ad humorem. Iam quemadmodum impossibile est ignem esse sine calore, aqua sine humore, Ita impossibile est fidem esse sine operibus. Hinc Jacobi 2. Fides sine operibus mortua est.

Quae est Secunda Pars Catechismi?

Symbolum Apostolicum, seu articuli fidei quos duodecim numeramus.

Quare dicuntur articuli fidei? Quia sola fide percipiuntur, E 5. non humana uoce, quae nullum articulorum intelligere potest.

In quot autem partes praecipuas distinguuntur? In tres, tot enim personae sunt trinitatis. Prima de creatione, conseruatione, et gubernatione omnium rerum, et quid de deo patre credendum sit. Secunda de Redemptione, et quid de dei filio Jesu Christo credendum sit. Tertia agit de sanctificatione, et quid de deo spiritu sancto credendum sit.

Quot circumferuntur Symbola? Tria. Vulgatum, quod uocatur Apostolorum. Alterum Nicenum. Tertium Athanasij: Quae duo posteriora in fine huius libelli reperies.

Quid agitur in symbolo Apostolico? Agitur in eo de praecipuis Euangelij ac Christianae fidei articulis. Est enim Symbolum Apostolorum summa eorum, quae Christianum firmiter credere oportet.

Quid significat *Σύμβολον*? Collationem, hoc est, illud quod plures in unum conferunt. A graeco uerbo *συμβάλλειν*, id est, conferre.

Quare dicitur symbolum Apostolicum? Quia ab Apostolis traditum est Ecclesiae, qui illud composuisse dicuntur, antequam praedicaturi Euangelium in orbem uniuersum discederent, ut uidelicet per hanc collationem cognosceretur is, qui apostolicam de Christo doctrinam profiteretur.

De Oratione. E 6.

Quae est tertia pars Catechismi? Oratio Dominica.

Quid est oratio? Est alicuius rei, a Deo ex affectu cordis cum fide petitio, et gratiarum actio pro rebus a Deo acceptis.

Quid est orare? Est cum Deo loqui, et aliquid ab eo postulare.

Quot sunt species orationis? Duae. Inuocatio siue precatio, et Gratiarum actio.

Quid est inuocatio? Est qua inuocatur in re aliqua Deus.

Quot requiruntur ad inuocationem? Quatuor.

Quae? 1. Praeceptum Dei, quo iubemur precari et inuocare Deum. Oportet semper orare, Lucae 18. 2. Promissio Dei, quae nostras preces exaudiri testatur. Joan. 16. Amen dico uobis, quicquid petieritis patrem — dabit uobis. Item: Petite et accipietis, ibidem. Item Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis — honorificabis me, Vtroque loco, ut et alias saepe, mandatum et promissio coniunguntur. 3. Fides ut uidelicet credamus nostras preces placere Deo et exaudiri propter Christum tegem et pontificem.

Quid est esse regem? Asserere populum in libertatem. Christus liberauit nos a peccatis, morte, Satana, et inferis.

Quid est esse pontificem? Placare numen iratum. Christus patrem coelestem iratum generi humano propter peccata placauit. 4. Res petenda seu necessitas.

Quid ergo petendum? Spiritualia et corporalia, quemadmodum in oratione dominica haec omnia pulcherrime expressa habentur.

Quomodo spiritualia petenda? Sine ulla conditione, ut remissio peccatorum, donatio spiritus sancti, et uitae aeternae.

E 7. Quomodo corporalia? Cum conditione gloriae Dei, et nostrae salutis, ut uocationis successus, pax externa, consilium, uitae prorogatio, et talia multa.

Quot constat petitionibus oratio Dominica? Septem: Quarum priores tres ad Dei gloriam, posteriores quatuor ad nostras calamitates referuntur.

Quare dicitur oratio Dominica? Quod Christus dominus noster eius autor sit, et nobis et discipulis suis eam ceu regulam et amussim reliquarum precationum tradiderit. Mat. 6. Luc. 11.

Quis est usus orationis dominicae? Vt per eam omnia quae nobis et alijs sunt necessaria, a deo petamus et consequamur.

Quid tractatur in quarta et quinta catechismi partibus?

Doctrina de sacramento Baptismi et coenae dominicae.

Quid est Sacramentum? Testimonium gratiae externo signo declaratum.

Quot sunt Sacramenta? Duo principalia.

Quae? Baptismus et Coena Domini.

Quot sunt partes Sacramenti? Duae. Elementum et Promissio.

Quid est elementum? Signum externum seu uisibile, promissionem Dei adiunctam habens.

Quae est promissio? Proprie, remissio peccatorum.

Quare sunt instituta sacramenta? Vt essent coram deo et hominibus fidei nostrae exercitia.

Quid in usu sacramentorum requiritur? Fides, quae promissione Dei in sacramento certo credat.

Vnde dicitur Baptismus? A graeco uerbo *βαπτίζεσθαι*. i. ab immergendo et emergendo. Significat enim mortificationem et regenerationem.

E 8. Quod est elementum Baptismi? Aqua uerbo Dei coniuncta, et per illud sanctificata.

Quae est promissio Baptismi? Remissio peccatorum, iustificatio, donatio spiritus sancti, et uitae aeternae.

Vnde nouisti baptisma requiri necessario ad iustificationem? Ex ijs uerbis: Qui crediderit et baptizatus fuerit, saluus erit etc. Marci 16.

Quid est coena domini? Est diuinum signaculum, quo Christus uere nobis offert corpus et sanguinem suum, ut certificet nos de remissione peccatorum et uita aeterna.

Quibus nominibus uocatur Sacramentum coenae dominicae? Variae sunt appellationes huius sacramenti. Paulus uocat coenam domini, 1. Cor. 11. Vocatur etiam *σύναξις*, communio, quod communio esset congregatio in Ecclesia. Vocatur et *εὐχαριστία*, gratiarum actio, quod utentes hac coena agnoscant beneficium Christi, et gratias agant Deo. Vocatur et testamentum, in quo donatur nobis remissio peccatorum propter Christum, cuius mortem quoque donec ueniat, annunciare debemus. Item Sacramentum *ἀγάπης*, id est dilectionis.

Quot requiruntur ad coenam dominicam? Tria.

Quae? Agnitio peccatorum, Vitae emendatio, et Fides.

Quando utendum hoc sacramento? Cum conscientia nostra peccatis angitur, et certa esse de remissione peccatorum desiderat.

Quod inuitare nos debent ad coenae dominicae participationem? Tria. 1. Praeceptum Dei, quando Christus inquit: Edite, bibite, hoc facite in mei commemorationem. 2. Promissio: Pro uobis datur et effunditur, in remissionem peccatorum. 3. Nostra necessitas. Quotidie enim peccamus et opus habemus assidua peccatorum remissione, fideique nostrae confirmatione.

De Absolutione seu Potestate Clauium. F 1.

Quid est absolutio? Potestas ecclesiastica, hoc est, ligatio impoenitentium, et solutio resipiscentium. Haec partim publice, partim priuatim fit per ministros ecclesiae, quocunque tempore.

Recita illustria testimonia, quibus Christus eam absolutionem instituerit. Apud Lucam cap. 10. dicit Christus ad discipulos, quos ad praedicandum regnum Dei emittebat: Qui uos audit — eum qui misit me. Et apud Matthaeum cap. 16. Tibi dabo claues regni coelorum — erit solutum in coelis. Et apud Joan. ca. 20. Accipite spiritum sanctum — retenta sunt.

De Poenitentia.

Quid est poenitentia? Conuersio ad Deum, seu renouatio. Eius partes simpliciter duae sunt, Contritio et Fides. Contritio significat terrores conscientiae agnoscentis peccatum et iram Dei, ac dolentis propter peccata. Huic nisi fides accederet, adferret desperationem et aeternam mortem, ut Sauli, et Judae.

De piae uitae institutione, uel de bonis operibus, supra satis dictum est: utpote de officio Episcopi, Diaconi, Auditorum, Magistratus, Subditorum, Maritorum, Vxorum, Liberorum, Parentum, Dominorum, Seruorum, Senum, Adolescentum, Anuum, Adulescentularum, et Viduarum.

Status Catechismi.

Peccatores iam fide iustificati pie uiuant.

Finis Scholiorum.

7. Die Elementa Christianae Religionis des Andr. Hyperius von 1563.

Elementa christianae religionis. Andrea Hyperio autore. Hebr. 6 . . . Marpurgi And. Colbius excudebat M. D. LXIII.

Ornatissimis viris praeceptoribus et paedagogis Andreas Hyperius, S.

Magnopere sane optarim omnes, qui dulcissimos liberos suos cupiunt recte institui, probe scire, quantum fidis praeceptoribus et paedagogis debeatur. Credo equidem, si id illi intelligerent, suam in hos declararent benevolentiam et gratias cumulate agerent referrentque. Quanto rectius, quam nunc multi Christiani, olim sensit gentilis rex Alexander ingenue confitens se Aristoteli, cui puer formandus fuerat traditus, non minus quam patri Philippo debere, cum ab hoc quidem vivendi, ab illo vero recte vivendi accepisset initium. Sed credite mihi, ornatissimi viri, dignitas et laus vestra crescet in immensum atque efficiet Deus, ut experiamini non parentes modo, verum ipsos quoque discipulos didactra largiter rependentes, ubi cum liberalium disciplinarum praeceptionibus illa quoque assidue inculcaveritis, quae ad vitam, non dico utcunque honeste et civiliter, sed christiane formandam conducunt. Nam[1]) honeste vivendi praecepta etiam gentiles ludi magistri admodum diligenter suis tradidere auditoribus, quod partim poëtarum Hesiodi, Phocylidis, Pythagorae carmina partim philosophorum et oratorum Platonis, Aristotelis, Isocratis, Ciceronis sententiae et libelli paraenetici luculente ostendunt. Atqui quantulum id erit, obsecro, si in nostris scholis Christiani nihilo exhibeamus meliora quam olim in suis proposuerunt phrontisteriis grammatici, poëtae, rhetores, philosophi gentiles? Turpissimum profecto christianae religionis cultores diligentia ac fide in docendo vel in quavis alia officii parte a gentilibus superari. Meminisse igitur vos praeceptores et paedagogos Christianos oportet omni tempore, idcirco vos christianorum civium filiis christianis praefici, ut eam docendi rationem usurpetis, qua disciplinas liberales et quascunque philosophiae partes dum explicatis, pariter ex vobis quotidie isti audiant et addiscant praeclara dogmata, exempla, sententias, exhortationes, quarum ductu praesidioque mores eorundem ac tota adeo vita decus quoddam antiquissimae et laudatissimae religionis christianae prae se ferant in omnibus. Enim vero Christianorum studia statim in actiones exire oportet. Quia vero quod hic a me proponitur, arduum ac difficile plerisque videri queat, non gravabor de hoc instituto tradendae pietatis christianae in scholis vel domi intra parietes aliquanto diffusius vobiscum, ornatissimi viri, agere et qualecunque consilium meum impertire. Quamvis id ea lege faciam, ut non tam vobis ipsis quam quibuscunque aliis pietatis atque doctrinae spectatae hominibus auctor sim rationes magis salubres excogitandi et in lucem proferendi. Nam ab aliis emendari, corrigi et meliora fieri mea, non solum non aegre fero, verum etiam magnopere opto. Persuasum namque habeo ita praecipiente caritate Deum patrem caelestem quod non patefacit uni, id benigne aperire alteri. Ante omnia perquam necessarium duco ab unoquoque praeceptore christiano ea explicari discipulis christianis religionis nostrae elementa,[2]) quae in libris sacris novi testamenti

[1]) Am Rande: Rationem pie et christiane vivendi in scholis Christianorum tradi oportet.

[2]) A. R.: Elementa pietatis ex libris sacris excerpuntur.

a Christo et beatis Apostolis descripta et ad omnem posteritatem commendata cernimus. Unus vero de eorundem elementorum numero atque ordine extat locus clarissimus epistolae ad Hebraeos cap. 6.[1]) In elementis initii eloquiorum Dei sive in sermone, qui rudes in Christo inchoat, fundamentum jacitur, inquit, poenitentiae ab operibus mortuis et fidei in Deum baptismatum doctrinae ac manuum impositionis et resurrectionis mortuorum et judicii aeterni. Haec septem capita apostolorum aetate enarrari consuevisse omnibus qui Christo dabant nomen extra controversiam est. Quare eadem etiam hoc tempore nostris liberis in infantia baptizatis simplici et facili interpretatione ex Christi et Apostolorum sermonibus deprompta jure optimo proponentur, quandoquidem ex his compendio haurire et imbibere cuncta poterunt, quae ad salutem sunt cognitu necessaria. Neque[2]) hic audiemus indulgentissimos parentes vel alios humanae sapientiae inani opinione inflatos, qui contendunt institutionem in rebus sacris non decere pueros, teneram aetatulam causantes rerum caelestium neutiquam esse capacem. Si esse et audire volumus Christiani, aequissimum plane est ipsius Christi verbis locum demus. Is autem, cum principes sacerdotum et scribae Matth. 21 ideo indignarentur, quod pueri acclamarent ipsi in templo: Hosanna filio David, interrogavit eos, num legissent in Psal.: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem? Psalm 8. Sane ubi Deus ipse parvulorum mentes atque ora ad suam laudem informat, non est quod suspicemur eos in rebus sacris nihil posse assequi. Reprehendit etiam Christus suos discipulos, qui arcere ab ipso pueros et infantes volebant. Sinite, inquit, pueros venire ad me et nolite vetare eos: talium est enim regnum Dei. Luc. 8. Quibus paratum est a Deo regnum, iisdem merito et doctrinam ad illud deducentem tradent pii praeceptores. Timotheum vult Apostolus in his quae didicerat persistere ac semper esse memorem, a quo didicisset et quod a puero sacras nosset literas. 2. Timoth. 3. Origenes in praefatione ad Canticum Solomonis, Gregorius Nazanzenus in Apologetico et post utrumque Hieronymus in prooemio libri primi commentariorum in Jezechielem testantur Judaeos pueris solere omnes libros sacros, exceptis principiis Geneseos, Cantico Solomonis et exordio ac fine Jezechielis, evolvendos commendare. Ac videmus quotidie, ut pueri nostri multos versus poëtarum, non nunquam etiam parum pudicos, pleraque item in fabellis aliisque narrationibus brevi tempore assequantur et reddant cum gratia: quidni igitur assuescant ediscere ac recitare paucula de elementis christianae religionis? Et quo quae huc pertinent percipiant facilius, distingui possunt tempora, ut in singulos dies ad horae quadrantem vel alternis diebus ad horae dimidium particulae quaedam explanentur, quas die Dominico sequenti memoriter repetant. Quo pacto in schola sacrae illius actionis praebibit utilissimum tirocinium, quam postea idoneo tempore, quando christiano ritu imponentur manus, perfici oportebit publice in ecclesia. Sic quoque secare in partes licet, ut semel unoquoque vertente anno in omnibus classibus communiter pertractetur. Itaque priscae ecclesiae christianae laudatissimum fuit institutum pueros omnes a teneris unguiculis percipiendae doctrinae religionis nostrae destinare. Origeni fundamentum jacienti in bonis literis pater Leonides libros sacros legendos obtrusit, in quibus ille celeriter mirandum in modum profecit. Eusebius Ecclesiasticae historiae libr. 6. cap. 2. Auctor quoque est Rufinus libr. 10. cap. 14. puerum Athanasium et reliquos cum ipso colludentes de omnibus catecheseos capitibus probe respondisse, cum ab episcopo et presbyteris interrogarentur. Nec dubium quin iidem pueruli notario cuidam atque grammatico

[1]) A. R.: Quot capitibus elementa christianae pietatis comprehendantur.
[2]) A. R.: Etiam pueris explicari eadem elementa debere.

concrediti progressus longe majores fecerint. De Eusebio Emiseno scriptum reliquit in ipsius vita Georgius Laodicenus, quod in ipsa pueritia ex libris sacris doctrinam perceperit Christianae pietatis. Exemplis ejusmodi abundant ecclesiasticae historiae.[1] Quis igitur nostrum suos liberos initia doctrinae caelestis illico posse complecti animo diffidat? Caeterum ut sacras hasce praelectiones pueri et libenter audiant et paulatim multa in iisdem cum fructu assequantur, magnum momentum adferet vestra in modo explicandi industria ac diligentia. Esto igitur omnis interpretatio elementorum pietatis fidelis, perspicua, facilis et illis annis per omnia conveniens. Erit autem ejusmodi, si primum verba simpliciter pro scholarum more construantur. Rerum deinde explicationi admiscebuntur, sed quanta fieri poterit brevitate, notissima et apertissima quaeque tum dicta sive pronuntiata tum facta sive historiae hinc inde congestae ex prophetarum et apostolorum voluminibus. Ex re auditorum fuerit nonnulla interdum addi de negotiis familiaribus crebro obviis et captum puerilem non excedentibus. Decalogi praeceptum de non furando exponens praeceptor commemorabit aliquid de temporis amissione in ineptis ludis, de furtis puerilibus: quomodo D. Augustinum videmus referre ac dolere, quod parentum praeceptorumque contemptis monitis lusu pilae temporis multum perdiderit, quod pira abstulerit ex horto alieno. Confessionum libro 1. cap. 9. 10. et libr. 2. cap. 4. Scite insuper accommodabuntur ad institutum exempla et sententiae, similitudines, proverbia ex omnis generis bonis auctoribus, qui in schola praeleguntur, excerptae. Aeneidos 2. haec leguntur Aeneae qui toties pius appellatur verba:

> Panthus Otriades arcis Phoebique sacerdos,
> Sacra manu victosque Deos parvumque nepotem
> Ipse trahit, cursuque amens ad limina tendit.

Panthum narrat eduxisse Troia jam a Graecis incensa tenerum nepotem, deinde Palladium cum Diis penatibus. Praeceptor igitur primum et secundum Decalogi praeceptum enucleans adhibet peropportune hosce versus atque gentilium deos demonstrat non esse deos, utpote qui vincantur et se ipsos servare haud possint, multo minus alios, sed sicut ab hominibus fiunt, ita egent, ut ab hominibus custodiantur. Colligit haec ex illis D. Augustinus de civitate Dei libr. 1. cap. 3. Rursus autem disserens praeceptor de quinto legis mandato vel de uniuscujusque in suo vitae genere officiis eosdem versus non injuria reducet in memoriam ad comprobandum, quid parentes filiis, quidve filii parentibus praestare debeant. Possem autem eo pacto locos ex Cicerone, Terentio, Vergilio, Horatio caeterisque, quibus scholae plurimum tribuunt, innumeros ad certa aptare christianae doctrinae capita, sed brevitatis causa supersedeo. Nam apud Graecos Clemens Alexandrinus in 8 libris Stromatum, Justinus Martyr in sermone exhortatorio ad Gentiles et libro de Monarchia, tum hujus discipulus Tatianus Assyrius in oratione contra Graecos, dein contemporaneus Tatiani Theophilus Antiochenus in tribus libris contra Autolycum: apud Latinos Septimius Florens Tertullianus in opere de corona militis, de pallio, in Apologetico, Lactantius Firmianus divinarum institutionum lib. 7., Augustinus passim in egregiis voluminibus de civitate Dei, Hieronymus in diversis epistolis, sed illa potissimum ad Magnum oratorem Romanum, hanc rationem transferendi gentilium dicta ad res nostrae religionis multo clarissime ostenderunt. Ac ne quis suspicetur hanc viam explicandae doctrinae sacrae posse a quoquam improbari, nos acceptam eam terimus apostolo D. Paulo, qui in gravissimis suis concionibus atque scriptis, apud Athenienses quidem

[1] A. R.: Quomodo facile et cum fructu explicari possint.

versus heroici clausulam usurpavit ex Arato: *τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν*, et ex fortuita inscriptione arae de ignoto Deo materiam excerpsit carpendi superstitiones ac disputandi de Christo, epistolae vero ad Corinthios Menandri comici inseruit senarium: *φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί*. Act. 17. 1. Corinth. 15. Porro[1]) calcar non mediocre subdetur pueris ad currendum alacriter in stadio pietatis, quando magistri studio ac data opera adnotabunt et memoria jubebunt retineri, quaecunque inter profitendum usquam inciderint, utilia ad capitum, quae in elementis Christianae religionis censentur, illustrationem. Creberrime enim in excellentibus scriptoribus, poëtis, oratoribus, historicis, varia occurrunt, quibus recte comprobantur sana dogmata aut virtutes praedicantur aut perstringuntur vitia. Commoditates non exiguas ex illis etiam scriptis decerpere eruditi praeceptores solent, quae partim propter confictas fabulas vel narrationes parum pudicas partim propter alias res existimantur sterilia immo et noxia. Graviter dictum est a Basilio Magno in sermone quodam ad adolescentes de utilitate capienda ex scriptoribus gentilibus: Quemadmodum apes neque ad omnes flores sine discrimine accedunt neque etiam ad quos advolant totos auferre tentant, sed tantum exsugunt quantum ad mellis conducit opificium: ita nos, si sapimus, non nisi lectissimos scriptores sumemus in manus et ex his ipsis quod sincerum et cum veritate congruens diligenter colligemus, caetera transiliemus. Addit idem, se ab eximiae literaturae homine audisse, Homeri totam poësin nihil esse nisi laudem virtutis: et ab eodem quam plurima in Homeri carminibus observata, quae virtutem summis efferrent laudibus. Itaque in Ulysse, qui naufragio facto enatavit ac nudus est servatus, exhiberi ab Homero elegantissimam imaginem, qua omnes homines ad parandam virtutem excitantur, quae etiam in asperrimis difficultatibus atque procellis manet incolumis et vel sola potest nudum reddere gratum omnibus. Ejus generis fabularum interpretationes concinnatas ad virtutum laudationem vel ad detestationem vitiorum suppeditat multiplices Graecus scriptor Palaephatus libro de non credendis fabulosis historiis, nonnullas apud Latinos in mythologiis Fulgentius. Affirmat porro Basilius satis prolixe, pari cura debere cum facta tum dicta illustria adnotari et in auditorum insculpi mentibus, cum enarrantur historiae. Alexander Magnus Darii filias, quarum forma vehementer praedicabatur, captivas habuit, nullam autem passus est ad se deduci, timens, ne qui vicisset viros ipse aliquo modo a mulieribus superaretur. Quo facto Basilius sentit nos admoneri, quomodo qui mulierem cum voluptate vel aspexerit, quamvis adulterium opere non perficiat, culpa tamen nequaquam vacet. Cliniae item licuit per jusjurandum mulctam evadere trium talentorum, sed exsolvere maluit quam jurare, etiam cum recte uti jurejurando potuisset. Is mihi videtur, inquit Basilius, praeceptum Christi tenuisse, quod jurejurando nobis interdicit. Sed operae pretium non est huic loco immoremur diutius, quando ex hactenus dictis constare satis superque potest, quomodo sive poësin sive scripta oratoria sive historias sive partem aliquam philosophiae explanare quis aggrediatur, decerpere omni tempore ex iisdem possit non pauca ad claram et facilem exegesin elementorum christianae religionis idonea. His adjiciamus oportet,[2]) instrumentum aptissimum efficacissimumque, quo puerorum animis instillatur verae pietatis studium, esse ipsorum praeceptorum gravitatem et morum sanctimoniam, qua auditoribus sive ad honestas sive ad turpes actiones sequacibus nunquam non praeluceant. Homerus Achillis praeceptorem Phoenicem describit ut eloquentia ita virtute praestantissimum, quique non tantum

[1]) A. R.: In bonorum autorum enarratione si quid de pietate inciderit, commonstrandum.

[2]) A. R.: Ipsi praeceptores pietate et sanctimonia eluceant caeteris.

bene dicere, verum etiam bene facere docuerit. Si Diogeni Babylonio credimus, Alexander puer quamvis generoso et excelso animo a praeceptore Leonide hausit vitia, quae robusto et potentissimo regi perpetuo adhaeserunt. In prolegomenis ad Hermogenis rhetoricen refertur judices, cum Tisiam discipulum callide disceptantem audirent cum praeceptore sophista Corace, aliam non tulisse sententiam, quam *κακοῖ κόρακος κακὸν ὠόν*. Circumfertur et senarius a Tharasio in secunda Synodo Nicena prolatus: *κακῶν διδασκάλων κακὰ τὰ μαθήματα*. Maximus philosophus magiae ac superstitionibus gentilium deditus Julianum quamvis initio in Christianorum manibus educatum sua familiaritate atque privata institutione talem effecit, qualem eum postea christianus orbis est expertus. Tripartitae historiae libr. 6. cap. 1. ex Socrate Constantinopolitano. Itaque vos, ornatissimi praeceptores christiani, pro vestra virili parte toti in hoc eritis, ut non tantum pie sancteque sentiatis, loquamini ac doceatis, verum etiam quotidianae vestrae actiones integrae, sincerae, professioni Christianae respondentes et ab omni delicto liberae conspiciantur, immo quoad ejus licet, ne suspicionem quidem criminis quovis modo ingeretis. Turpissimum est eum, cui aliqui concreduntur liberaliter instituendi, bene docere et male vivere atque ad alias quidem res invitare ore, ad alias vero opere. Facta semper magis afficiunt impelluntque quam dicta. Atque ita est omnium puerorum ingenium: turpitudinem et quamlibet exigua propeque latentia errata praeceptorum citius imitantur, quam oculis omnium expositam honestatem. Caeterum quo ad edenda coram pueris egregia virtutum exempla sitis omni tempore experrecti et intenti et caute circumspecteque nihil non agatis, vestra sane interest frequenter repetere memoria gravissimum Christi dictum Matth. 18: Qui offenderit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collum eius ac demergatur in profundum maris. Tanti est in teneras mentes, quae sunt veluti novae testae quocunque visum fuerit liquore seu odore imbuendae, exempla bona vel mala a praeceptoribus ab initio transfundi. Restat postremo,[1]) ut probi inculpatique praeceptores assidue non tantum commonefaciant pueritiam sui officii, verum etiam severi sint christianae modestiae ac pietatis censores et exactores. Ad praescriptum doctrinae, quae in elementis religionis traditur, jubeantur discipuli vitam ac mores studiose componere. Bonis artibus nequicquam sese addicunt, qui ita postulant fieri docti, ut nihilo quam ante evadant meliores. Vobis igitur curae sit auditores vestros efficere quam optimos et religiosissimos. Quocirca ut quotidie mane et vesperi assistentibus vobis in schola precationes communes ad Deum faciant: ne item cibum nisi praeeunte oratione et gratiarum actione subsequente capiant, providebitis. Ad sacrarum literarum, quae solae possunt 2. Tim. 3 eruditos ad salutem et perfectos ad omne opus bonum reddere, amorem, lectionem quotidianam nunquam intermittetis incitare. Cuncta quae diebus festis in sacro coetu peraguntur, concinuntur, praeleguntur vel pro concione dicuntur ad populum, praecipietis sancte ab illis observari ac notari, interdum etiam recitari quasdam ibi exceptas sententias postulabitis. Quin etiam memoriter illis diebus reddent, quae tota hebdomade in elementis religionis didicere. Commonefacietis porro omnes, ut quotiescunque se ad peccatum sive ab aliis sive a propria malitia sollicitari senserint, assuescant mentis aciem ad Dei praecepta confestim reflectere et partim promissionum atque misericordiae Dei partim comminationum ac divini judicii consideratione improbas cogitationes, et Satanae insidias propulsare abjicereque. Si ullis, certe his quotidianis exercitiis, supra quam credi potest, in vera pietate proficere quivis perget. Ut autem cujusque ingenium tractandum esse deprehenderitis, siqui-

[1]) A. R.: Modestiam et pietatem christianam exigant praeceptores a discipulis.

dem alius indolis egregiae laude ducitur, alium oportet objurgari acrius: ita nunquam cessabit vestra diligentia hortari, instigare ad optima et reprehendere ac damnare indecore facta. Severitas aequabiliter adjunctam habens lenitatem modo calcaris modo freni vice esse queat. Duabus rebus, praemiis et poenis, contineri rem publicam dixit Solon, unus e septem Graeciae sapientibus. Atqui in puerili schola, quae umbra seu potius imago quaedam rei publicae est, locum habere et exerceri strenue oportet, quae praemiorum ac suppliciorum censentur nomine. Certissimum autem bene collocatae operae vestrae et profectus discipulorum indicium vitae innocentia et morum in illis candor. Sed plurimum [1]) in eo positum est, si parentes non depravent perdantque liberos suos domi nimia indulgentia. Audimus sane nonnullos vociferantes in scholis admirabiles cerni corruptelas. Non omnino id negatur, ubi praesertim est auditorum frequentia. Sed addendum: plures huc illas domo afferre, quam hic addiscere: ac subinde quantum pii praeceptores moliuntur in schola, tantum rursus in domo diruere conniventes patres, blandulas matres, adulantes pedissequas, ancillas, obsequentes ministros. Atqui christianos parentes imprimis decet, quemadmodum Deus praecipit Exod. 13. Deut. 6. 11 et Apostolus Ephes. 6 filiis exponere Dei voluntatem eosdemque per eruditionem et correptionem Domini educare. Maxime vero matrum interest, Hannam, quae de institutione Samuelis anxie fuit sollicita 1. Samuel. 1, Loidem aviam et Eunicam matrem Timothei, quarum fidem celebrat Apostolus 2. Timoth. 1, denique Monicam, quae difficili et longa peregrinatione multisque cum lacrimis, Confessionum libr. 3, cap. 12. lib. 6, cap. 1, quaerebat salutem filii Augustini, sedulo imitari. Quid olim fecisse existimamus patres familias christianos, cum scholae nullae paterent nisi gentilium, in quibus, quasi non satis malorum esset, spurca et pudenda de diis gentilium enarrari commenta poëtarum proponebantur insuper, idque jussu Imperatoris Maximini circiter annum Domini 240, quae in teneris mentibus perpetuum Christi ac purae religionis odium imprimerent. Acta videlicet quaedam contra Christum apud Pilatum flagitiose conficta, testante Eusebio libro 9. cap. 5 et 7; aut tempore insecuto, quo Julianus Apostata circiter annum 360. quarumcunque scholarum ingressu Christianorum liberis, quemadmodum refertur a Theodoreto lib. 3, cap. 8, interdictum lege lata voluit. Tunc procul dubio coacti sunt ipsi parentes, tam quae ad literas quam quae ad pietatem pertinent, dies noctesque magna cum molestia suis domi instillare. Ac Tertullianus in libro de idololatria, quod Christianorum pueri in scholas mitterentur gentilium, significat propter necessitatem fuisse excusatum: verum catenus admissa excusatio intelligitur, quoad parentes tunc religionis principia domi accurate tradiderunt. Caeterum quando postea contigit aperiri scholas, in quibus praeceptores christiani praeter disciplinas liberales palam explanare coeperunt doctrinam religionis, ut Alexandriae, ubi Origenes, Dionysius, Athenodorus multique alii exstitere clari professores, Caesareae, ubi docuit teste Nicephoro lib. 5, cap. 37, Pamphilus presbyter, Antiochiae, quae habuit in omni disciplinarum genere excellentem Malchionem, ut scriptum reliquit idem Nicephorus Callistus lib. 7, cap. 29, tunc primum, inquam, bene agi coeptum cum christianis parentibus, quibus datum est curarum et sollicitudinis partem aliquam in praeceptores rejicere. Sed enim nunc passim scholas habemus, Deo laus et gratia, in quibus pietas et bonae artes pariter incredibili diligentia ac longe quam superiori memoria purius, succinctius, dilucidius a doctissimis viris explicantur. Quocirca animadvertunt parentes sui esse officii saltem domi liberos ad pietatem religionisque studium stimulare atque quotidianis exercitiis et exemplis intra privatos parietes attrahere impellereque,

[1]) A. R.: Parentes domi liberos non corrumpant, sed ad pietatem invitent.

denique tales emittere in scholas, qui ad reliquam pueritiam malorum morum scabiem nullam importent aut diffundant. Nam ex puerorum vitiositate non modo toti discipulorum agmini ingens creari periculum, verum etiam praeceptoribus ipsis graves exhiberi molestias, sciunt omnes. Perplacet vero Apostolo Galat. 6, ut omnes discipuli praeceptoribus, his praesertim, qui elementa monstrant verae pietatis, quos olim catechistas dixerunt, meritam gratiam justis honoribus et memori mente persolvant. Quamobrem admonitos, immo rogatos per Jesum Christum volo parentes universos, ut quam cara et grata est ipsis christiani nominis honorifica appellatio, tam serio et quod suis liberis domi et quod praeceptoribus fideliter laborantibus in schola debent, praestare satagant. Qui suorum cura non tangitur, infideli quovis est deterior. 1. Tim. 4. Ad vos redeo,[1]) ornatissimi praeceptores et paedagogi. Vos prae tot hominum millibus ornavit Deus eximiis donis, ut parentes esse animorum et docere alios pietatem perinde atque bonas literas queatis. Cogitate igitur et Deum ipsum pro iis quae in vos contulit beneficiis, et pios parentes, qui suos magna cum spe ad vos deducunt liberos, illum quidem suo jure, hos vero summis votis id a vobis petere, ut omnem adhibeatis diligentiam in explicatione elementorum pietatis: certo persuasum habentes praemia non contemnenda vos cum a Deo tum a parentibus, denique et a discipulis accepturos. Pietatem asseverat Apostolus promissiones habere et praesentis et futurae vitae. 1. Timoth. 4. Quid igitur non exspectent a Deo et hominibus praestantissimi praeceptores, qui alios quam plurimos non doctrina modo, verum etiam exemplis ad pias actiones quotidie instituunt et exercent? Quare a sanctissimo laudatissimoque proposito formandae pueritiae nemo hominum sua vos deterreat importunitate aut ingratitudine neque unquam scholasticis laboribus vel taedio vos frangi patiamini. Enimvero improbi homines, qui industriam atque sedulitatem docentium pueros vituperent irrideantve, semper aliqui sunt futuri. Non paucos invenias plane Epicuri de grege porcos, qui religionem aperte contemnunt abjiciuntque et male collocari ac perire omne tempus judicant, quod rebus sacris impenditur. Alii sapientes et modesti affectant videri, praeceptores tamen nolunt, nisi qui sola gentilium evolvant scripta et gentiliter vivant ac sentiant. Simulac elementa religionis attingi a quopiam conspicantur, mirabiliter ringuntur, fremunt, indignantur et non dicendis artibus facessunt ei negotium. Alii denique aliis modis puerorum in doctrina religionis profectum student impedire aut certe tardare. At vos, quibus patefacta divinitus est Christi veritas, quibus ἀγωνοθέτης Christus praemia decernit in caelis nunquam peritura, contemnere decet omnes omnium machinationes atque insigni virtute ac fortitudine in docendo pergere et veterum heroum, qui monstra expugnarunt, more quascunque vincere difficultates. Impius Julianus cum exercitu proficiscens contra Persas minatus fuerat se a reditu ad Christianorum internecionem tentaturum omnia: quare sophista Libanius stolide elatus et Juliani optans ac sperans victoriam ad pium quendam paedagogum Antiochenum nostram irridens religionem ait: Quid credis nunc agere fabri filium? Sic per contemptionem notabat Christum. Verum paedagogus spiritu Dei procul dubio afflatus: Creator omnium, inquit, quem tu fabri filium irridens nominas, Juliano concinnat loculum. Ac post paucos dies advectus est in loculo Julianus mortuus. Theodoretus libr. 3, cap. 23. Agite porro et vos instructi, armati et vigiles semper sitis, parati quaecunque tela excipere, quae et mox in hostes pia quadam sollertia retorqueatis: ad illa autem omnes intendatis nervos, ad quae vos divinitus esse vocatos, Spiritus sanctus cum spiritu vestro testatur. Equidem pueritiae docendae munus vocationem

[1]) A. R.: Praeceptores christianam pietatem docere constanter pergant.

interpretor longe dignissimam, quando non potest re vera in illo constanter et cum laude versari, nisi quem Deus ipse exciverit et collatis amplissimis donis reddiderit renuntiaveritque idoneum. In scholis quamlibet parvis minutae et tenuissimae res sparguntur a praeceptoribus et colliguntur a pueris, sed quarum usus ad condendas ac fulciendas ecclesias et respublicas plurimum est necessarius, ut profecto sapienter sentire arbitrer, qui scholas ecclesiarum et rerum publicarum appellant seminaria. Ac docet ipse rerum eventus, non fere alios in ecclesia seu re publica bonos et sapientes cives apparere, quam in quibus, dum pueri adhuc essent, timor Dei, hoc est, vera pietas eluxerit. Adeo enim verum est timorem Domini tam in docentibus quam in discentibus certissimum esse scientiae argumentum, ut quos sive praeceptores sive discipulos animadvertimus illius expertes, nequaquam aestimemus gentilibus digniores. Quae igitur ego de elementis christianae religionis ante annos aliquot a piis ac doctis quibusdam praeceptoribus saepius rogatus ex literis sacris congessi, ea vobis ornatissimis praeceptoribus ac paedagogis, christianae religionis cultoribus et in discipulorum coetu praeconibus sincerissimis, nuncupo ac dedico: orans vos, ut non tam haec ipsa elementa sive principia pietatis, quam quod jam exposui consilium de eorundem recta explanatione, eo accipiatis animo, quo a me offeruntur. Quin etiam coram Deo ac Domino Jesu Christo, qui brevi judicaturus est vivos et mortuos in apparitione sua et in regno suo, vos ego obtestor, Paulinis libenter utor verbis, ut fidelem in tradenda pietatis doctrina navetis operam et, quoad eius fieri dabitur, vestros auditores in dies ad majorem veritatis cognitionem provehatis.

Valete.

Calendis Februarii 1563.

Elementa Christianae Religionis, auctore Andrea Hyperio.

Salutem hominibus non contingere
nisi in ecclesia Dei per Jesum Christum.

Paedagogus. Quam tu, care puer, religionem amplecteris? Puer. Christianam. Deus namque dignatus est me per euangelii doctrinam vocare, per baptismum inserere suae ecclesiae, in qua quicunque ipsum rite colunt, salutem per Jesum Christum consequuntur sempiternam (1. Petr. 1. 2. Tit. 3. Joan. 20. Act. 2. 8).

Paed. Unde haec persuasio de salute per Christum accipienda in ecclesia tuo infixa haeret animo? Puer. Ex sacris literis, quarum summam esse apud nos oportet auctoritatem (Joan. 5), discimus (Gen. 1. 2. Eph. 1): Deum condidisse mundum et in eo homines, ex quibus constitueret sibi dilectam ecclesiam: praescripsisse autem illico primis illis parentibus, quonam observari et coli pacto ab ipsis vellet, ut vita beata et sempiterna fruerentur. Verum quando (Gen. 2. 3) partim serpentis, id est, diaboli suasione, partim suapte voluntate legem Dei perruperunt, ipsi se omnemque posteritatem in extremum adduxere discrimen. Atqui tantis malis quo rursus eximerentur, statim pollicitus est Deus quendam ex Adami posteris nasciturum, qui serpentis quidem comminueret caput, homines vero a peccatis, morte ac damnatione liberaret. Hic autem est

[1]) Die Schriftstellen stehen im Original am Rand. Die anderen Angaben am Rand teilen wir nicht mit; sie haben nur Dispositionswert und sind nicht genau durchgeführt; man vergleiche die in der Vorrede unter dem Strich mitgeteilten Randbemerkungen.

Jesus Christus, de quo promissiones easdem Deus et crebro ipse repetivit et seculis omnibus celebrari voluit, quique tandem est exhibitus et res maximas nostri causa perfecit (Gen. 22. Psalm. 110. 132).

Paed. Sentis igitur religionem christianam solam esse cum veram tum antiquissimam et quotquot a mundi initio inde usque vitam ac salutem sunt adepti, eos uni eidemque ecclesiae, cui et nos, fuisse adscriptos eandem quoque in Christum fidem professos (1. Cor. 10. Eph. 2)? Puer. Maxime. Nec inter priscos patres, qui Christum antecesserunt, atque nos discrimen statui aliud potest, quam quod illi quidem crediderint in venturum, nos vero in eum qui advenit (Joan. 3. Luc. 3. 1. Cor. 10. Eph. 2): caetera omnia praecipueque, quod omnes ex aequo unum Deum uno spiritu et vero cultu prosequimur, pares sumus. Hac de causa Christus ipse nunc explanatis vatum praedictionibus nunc editis signis et prodigiis se illum esse ab initio promissum et expectatum declaravit. Scrutamini scripturas, inquit, illae sunt quae testificantur de me (Joan. 5. 20. Luc. 24). Et Petrus saepe inculcat huic omnes prophetas testimonium ferre, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen ejus, quisquis crediderit in eum (Act. 3. 4. 10).

Paed. Dic igitur, qua ratione homo per Christum ad veram beatitudinem perveniat. Puer. Id septem doctrinae Christianae elementis traditur, quae in epistola ad Hebraeos (Hebr. 6) hoc recensentur ordine: In sermone, qui rudes in Christo inchoat, fundamentum jacitur, inquit, poenitentiae ab operibus mortuis et fidei in Deum, baptismatum, doctrinae ac manuum impositionis et resurrectionis mortuorum et judicii aeterni.

De poenitentia ab operibus mortuis.

Caput I.

Paed. Quid vocas poenitentiam? Puer. Qua nostra agnoscimus crimina et aeternam damnationem iisdem nos promeritos confitemur: unde mox ad poscendam a Deo veniam et vitam deinceps pie sancteque transigendam adducimur.

Paed. Cur dicitur poenitentia ab operibus mortuis? Puer. Opera mortua accipio ipsa peccata, quandoquidam mortem tam temporaneam quam aeternam accersunt, dicente Apostolo (Rom. 5): Per peccatum mors omnes homines invasit.

Paed. Ab eo igitur, qui per Christum servari expetit, dicis primo loco requiri, ut peccatorum suorum ipsum poeniteat? Puer. Sic. Christus namque discipulis dedit (Luc. 24) in mandatis, ut poenitentiam praedicarent ac remissionem peccatorum in omnes gentes. Paruerunt igitur apostoli concionum suarum ubique facientes initium a poenitentia (Act. 24. 3. 22).

Paed. Quo pacto fit, ut quis poenitentia serio ducatur? Puer. Ad hanc rem perquam necessaria est legis divinae cognitio.

Paed. Quaenam est illa lex divina? Puer. Eam insculpsit quidem Deus in omnium mortalium animis (Rom. 2): ne tamen sensim obliteretur aut ulli sese aliquando excusarent, quasi non satis percepissent, placuit Deo eandem duabus tabulis descriptam saxeis per Mosen promulgare (Exod. 20). A praeceptorum numero δεκάλογος appellatur.

Paed. Recita primum praeceptum. Puer. Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis: non erunt tibi dii alieni coram facie mea.

Paed. Edissere, quomodo intelligi praeceptum hoc debeat. Puer. Commune est praeceptis omnibus aliqua tum imperare tum prohibere. Interdicit igitur nobis Deus, ne sibi creatori ullam praeferamus aut aequemus creaturam, ne spem fiduciamque in ullum nisi in se collocemus, ne in metu et periculis aliunde quam a se flagitemus opem, ne impias de se rebusque divinis mente comprehendamus opiniones, ne observationi cuiquam vel superstitioni demus operam. Mandat vero nobis, ut ipsum unum verum Deum semper diligamus, metuamus et colamus, omnia ab ipso solo exspectemus bona, denique actiones, studia adeoque cogitationes nostras singulas ad ipsius dirigamus gloriam.

Paed. Quod secundo loco praeceptum ponitur? Puer. Non facies tibi sculptile neque ullam similitudinem, quae est in caelo desuper et quae in terra deorsum et quae in aquis sub terra. Non adorabis ea neque coles ea. Quia ego sum Dominus Deus tuus, Deus aemulator, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiis et quartis eorum qui oderunt me, et faciens misericordiam in millibus, his qui diligunt me et observant praecepta mea.

Paed. Explana istud praeceptum. Puer. Deus suapte natura incorporeus et invisibilis est, quare non patitur, ut corporea et visibili ulla similitudine exprimere ipsum meditemur. Multo minus fert honorem, qui ipsi soli debetur, effictae similitudini exhiberi. Illud vero a nobis flagitat, ut ipsum unum verum et aeternum Deum, quemadmodum spiritus est, ita in spiritu et veritate adoremus et invocemus (Joan. 4).

Paed. Quid sibi volunt tum comminatio tum promissio subjectae? Puer. Accipi eas decet veluti ad singula praecepta adhaerentes, quibus homines universi sive boni sive mali exacuantur ad praestandum officium. Nullius tam efferata esse possit mens, qui minis aut blanditiis non flectatur et incitetur.

Paed. Perge ad praeceptum tertium. Puer. Non sumes nomen Dei tui in vanum. Quoniam non insontem habebit Dominus eum qui nomen suum sumpserit frustra.

Paed. A quibus vitiis Deus hoc praecepto nos avocat? Puer. Sacrosanctum suum nomen non vult a quoquam sine justa causa vel potius gravi necessitate usurpari: neque ubi subest falsitas aut aliter res se habet, quam credi nobis volumus, neque insuper ad maleficia, superstitiones, imprecationes, vota improvida aut de rebus levibus colloquia. Quin potius a nobis postulat Deus, ut, quandocunque nominis ipsius inciderit mentio, religione summa excipiamus et pura mente voceque veneremur. Secus qui fecerit, haud impune feret.

Paed. Audiamus et quartum praeceptum. Puer. Recordare diei sabbati, ut sanctifices illum. Sex diebus operaberis et facies omne opus tuum: septimo autem die sabbatum est Domini Dei tui, non facies ullum opus, tu et filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, jumentum tuum atque peregrinus tuus, qui est in portis tuis. Quoniam sex diebus fecit Dominus caelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt, et quievit die septimo et iccirco benedixit Dominus diei sabbati et sanctificavit eum.

Paed. Quae hoc praecepto a nobis exiguntur? Puer. Nostra interest Deum omni quoad ejus licet tempore invocare, celebrare, gratias ei agere: statum vero diem septimum, cui apud nostros succedit appellatus Dominicus, reliquosque dies festos vult Deus totos sacris destinari actionibus atque in lectione et auditione scripturarum, psalmorum et hymnorum recitatione, rerum caelestium contemplatione ubivis locorum consumi. Si quae praeterea ad amplificandam veram religionem et in Deum pietatem publice aut privatim conducunt, quo in genere sunt, ecclesiarum ministris et pauperibus opitulari, docere pietatis ignaros, invisere et solari calamitosos caeteraque similia, ea pro virili parte exsequamur.

Paed. Hactenus praecepta recensuisti tabulae prioris, quae nobis dilectionem Dei imperant: progredere ad praecepta tabulae posterioris, quae explanant officia caritatis erga homines. Dic igitur, quomodo habeat praeceptum ordine quintum. Puer. Honora patrem tuum et matrem tuam, ut prolongentur dies tui super terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi.

Paed. Quas res inculcat Deus hisce verbis? Puer. Ut omnes cujuscunque ordinis subditi de superioribus honorifice sentiant et loquantur, fausta precentur omnia, honorem ac quaecunque debita officia libenter et quidem propter conscientiam tribuant. Superiores autem vicissim diligentem habeant subditorum rationem, non hos indignis tractent modis, sed potius bene de iis mereri studeant (Rom. 13. Eph. 6. Col. 3). Christianos omnes mutua decet pro cujusque conditione observantia.

Paed. Quodnam est sextum praeceptum? Puer. Non occides.

Paed. Plenius edissere. Puer. Non caede modo et sanguine interdicit nobis Deus, verum etiam quacunque laedendi alium voluntate ac significatione, hoc est, ira, odio, vindictae cupiditate, rixis, asperitate verborum, imprecationibus, minis, omnibus denique iis quae ad animorum offensionem vel laesionem corporum tendunt (Eph. 4. 5). Jubemur autem (Rom. 12) modestiae, mansuetudinis, facilitatis, patientiae maximeque in condonandis noxis et injuriarum oblivione exempla edere.

Paed. Jam septimum praeceptum recites volo. Puer. Non moechaberis.

Paed. Suntne et his verbis plura comprehensa (Matth. 5)? Puer. Maxime. Damnat namque Deus vel cogitationes obscoenas, quanto magis sermones, fabellas, poemata, picturas, vestitum mollem, otium, comessationes, cantiones, saltationes, gestus, signa et reliqua omnia, quibus solent mali homines in libidinem alii alios illicere. Ex quo sequitur ab his qui placere Deo cupiunt verecundiam, temperantiam in cibo ac potu, cogitationes, dicta factaque pudicitiam testantia imprimis requiri, quo tam corda quam corpora ipsorum spiritus sancti templa efficiantur (1. Cor. 6).

Paed. Age, octavum praeceptum audiamus. Puer. Non furtum committes.

Paed. Patetne et istud latius? Puer. Quidni? Declarat Deus se acerbe vindicaturum, si quis boni quippiam invidet alteri, si foenus exercet, in contractibus fallit, rem alteri debitam non restituit, litium forensium calumniis aut non dissimilibus machinationibus alienas ad se pertrahit facultates, denique si quovis modo alium damno afficit. Nam

rationes invadendi occupandique aliena quis enumeret universas? Rursus autem urget Deus, ut nostra contenti agamus sorte, honestis artibus vitae comparemus necessaria, beneficientiam quantam licet exerceamus in omnes, et ne quid detrimenti cuiquam nostra culpa accidat, provideamus.

Paed. Praeceptum nonum quod est? Puer. Non feres adversus proximum tuum falsum testimonium.

Paed. Quaenam est hujus praecepti sententia? Puer. De nemine mortalium sinistre suspicabimur aut loquemur; quin potius quae ab aliis fiunt, in bonam assuescemus partem accipere. Ab adulatione, delatione, calumnia, mendacio, simulatione et dissimulatione non secus ac pestibus abhorrebimus. In judiciis, immo quibuscunque negotiis nullius odio, metu aut gratia repudiabimus veritatis patrocinium.

Paed. Restat decimum seu postremum praeceptum, id recita. Puer. Non concupisces domum proximi tui, non concupisces uxorem proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec quicquam aliud quod ipsius sit.

Paed. Videtur sane istud multo esse difficillimum. Puer. Ita est, ut dicis. Etenim non actiones modo, verum etiam tacitas cogitationes improbas praeceptum hoc coërcet. Siquidem Deus, cujus proprium est munus scrutari corda quique falli nec vult nec potest, is hominem totum cum animo tum corpore habere cupit sibi addictum nec officium ei nostrum probatur, nisi ex intimis animi profectum recessibus viderit (2. Paral. 21. Luc. 6. Act. 1). Quocirca praeceptum istud etiam ad singula antecedentia referri oportet. Cum enim dicitur: non occides, non moechaberis, non furtum committes, par est intelligamus fas non esse vel animi cogitatione aliquid ejuscemodi expetere (Matth. 5).

Paed. Satis tu quidem expedite omnia quae ad legis spectant explicationem: quo modo vero legis consideratione adducitur homo ad poenitentiam? Puer. Vera perfectaque poenitentia consistit in duobus: in vehementi dolore animi, qui ex metu divini judicii, quod scimus in nos propter nostra peccata exercendum, nascitur vocantque contritionem seu mortificationem (Psalm. 51); et in fide, qua a Deo nobis condonari illa per filium Jesum Christum petimus, quam fidem sequitur studium pie sancteque vivendi, unde nominant etiam vivificationem.

Paed. Quomodo dolor ille per legem excitatur? Puer. Verissime dixit Apostolus: per legem contingere agnitionem peccati (Rom. 3. 7). Duplicem vero legem necesse est intueamur. Unam, quam Deus ad primos tulit parentes: vetans, ne arboris scientiae boni et mali gustarent fructum (Genes. 2). Addita vero fuit gravissima comminatio: quandocunque secus facerent, morituros. Cum igitur illi non obtemperarint, statim irrogata est mortis poena et quidem tanta acerbitate, ut in omnium nostrum tam animos quam corpora foeda lues peccati et perversarum affectionum quaeque hinc sequitur, mors, sit transfusa et propagata (Genes. 3. Rom. 5. Psalm. 51). Verum autem est, quicquid hoc vitii sit, semel nobis in baptismo per Christum condonari: attamen vires suas sic usque colligit, ut quamdiu vivimus, tamdiu proclivitatem ad peccandum, immo incredibile studium perfringendi leges Dei in nobis sentiamus (Rom. 7. 8. Gal. 5). Itaque prima illa lege et illa comminatione, ex qua

ceu fonte reliquae minae atque poenae derivantur, nos omnes ad unum insitae ac perpetuo adhaerentis malitiae rei citamur. Quae cum ita sint, merito sane vicem nostram vehementer dolemus et ingemimus.

Paed. Alteram legem quam dicis? Puer. Decalogi jam expositam, quae et ipsa comminationem acrem habet, secundo quidem annexam praecepto, ad singula vero praecepta referendam: qua nimirum denuntiat Deus se vindicem esse facinorum ac scelerum et severissime de omnibus, qui ipsum contemnunt poenas sumere. Ego sum, inquit, Dominus Deus tuus, Deus aemulator visitans iniquitatem patrum in filiis, in tertiis et in quartis eorum qui odiunt me. Quod si igitur per singula eundo praecepta nobiscum ipsi reputaverimus, quoties et quam detestandis modis ea sint a nobis contempta ac violata, deinde oculos converterimus ad poenas in comminatione propositas, fieri profecto haud potest, quin partim nostrorum gravitas et multitudo criminum partim divini judicii severitas terrorem nobis injiciat longe maximum, quo toti cohorrescamus atque supplices cogamur Dei implorantes misericordiam exclamare: Si iniquitates observaveris Domine, Domine, quis consistet (Psalm. 130)?

Paed. Sed qui deducit lex etiam ad fidem, quae poenitentiae est pars altera? Puer. Fides auctore Apostolo nititur Dei promissionibus (Rom. 4), utpote quae hanc Deo tribuit gloriam, quod quaecunque ipse pollicetur, eadem velit ac possit praestare. Est autem in conspectu insignis promissio legi adscripta. Verum quo tota res fiat dilucidior, libet in memoriam reducere duas promissiones duabus de quibus dictum est comminationibus subjectas ac oppositas. Prior est celebris illa, quam ad primos parentes statim a lapsu ipsorum Deus fecit de semine mulieris, id est, Christo nascituro, per quem et conteri serpentis caput et salus restitui humano generi deberet (Gen. 3). Ex hac autem promissione decantata omnibus seculis, quemadmodum caeteras omnes manare ac fluere promissiones judicamus, ita ad exsuscitandam fidem in animis maximum illa momentum affert.

Paed. Quae est altera promissio? Puer. Eam divinae legi videmus consulto additam hisce verbis: Ego sum Dominus Deus tuus, faciens misericordiam in millibus, his qui diligunt me et observant praecepta mea. Quam non sic accipiemus, quasi posset quispiam cuncta quae lege jubentur perfecte exequi atque eo pacto promissam misericordiam suis promereri obsequiis et operibus, sed potius ut auctoritate atque ductu tam eximiae promissionis ad diligentiam in praestandis officiis unusquisque excitetur. Ubi porro deprehenderimus nos per communem imbecillitatem et fragilitatem esse perficiendae legi impares (Act. 15) atque in multis semper peccare (Rom. 8), nequaquam spem omnem abjiciemus, sed cum hac ipsa tum prima et amplissima illa promissione de servatore Christo erecti animatique ad Deum Patrem caelestem confugiemus summa demissione atque fide petentes propter filium Jesum Christum promissum et exhibitum recipi in gratiam, peccata nobis remitti et vitam concedi aeternam. Etenim magna testimoniorum consensione in lege ac prophetis declaratur, referente Apostolo, homines universos esse peccatores ac destitui gloria Dei, justificari autem per illius gratiam, per redemptionem, quae est in Jesu Christo, quem proposuit Deus reconciliatorem, per fidem, interveniente ipsius sanguine (Rom. 3).

Paed. Quid vero est, quod de poenitentiae partibus verba faciens adjecisti de pie sancteque vivendi studio? Puer. Flagitat hoc verae poenitentiae ratio, ut non modo desinat aliquis male agere, verum etiam intendat animum ad pia honestaque facta. Id non obscure demonstrat servatus ordo, quo in decalogo priori quidem loco comminatio, posteriori vero promissio ponitur (Is. 1). Etenim illa proprie ad deterrendum a vitiis, haec ad incitandum ad virtutis studium est accommodata. Quisquis insuper aliquando sensit irae divinae jaculis suam peti atque feriri conscientiam, is, simulac veniam criminum consequitur, quam potest, diligentissime cavet ne offendat iterum (Psalm. 51). Adhaec ea est fidei natura, ut delitescere aut otiari minime possit, sed bona proferre opera semper enitatur (Gal. 5. Jac. 2). Haec de poenitentia ejusque partibus.

De Fide in Deum.

Cap. II.

Paed. Dicendum nunc de fide. Quid sibi vult fides in Deum? Puer. Non abs re auctor epistolae ad Hebraeos ita loquitur. Siquidem inter fidem de Deo et fidem in Deum, non parum est discriminis. Fides de Deo est, qua profitemur Deum esse, unum esse eundemque; omnipotentem, rerum universarum creatorem, justum, clementem etc. Haec fides in primo ad Deum aditu necessaria est, uti scriptum est: Qui accedit ad Deum, hunc credere oportet esse Deum et esse remuneratorem quaerentibus se (Hebr. 11). Verum cum hujusmodi fides etiam in impiis, immo in daemonibus (Jac. 2. Marc. 5. Luc. 8. Act. 9), quos salutis constat esse expertes, locum habeat, perspicere quivis potest eam nullum ad salutem aeternam adferre momentum.

Paed. An igitur fides in Deum id praestet? Puer. Fide in Deum statuimus, non modo esse Deum optimum, beneficentissimum, clementissimum, verum etiam velle in nos, quamvis iram ipsius commeritos ac damnatione aeterna dignos, suam bonitatem ac misericordiam exercere, hoc est, velle condonare peccata et propter Christum nostra causa mortuum ac resuscitatum justificare (Rom. 4), sanctificare, conservare atque omnis generis ornare beneficiis. Haec fides ad Dei promissiones, quales permultae in libris sacris sparguntur, tota dirigitur cumque persuasum habeat Deum quicquid promiserit efficere, ingentem parit in hominis pii animo consolationem nec dici potest, quantopere ea vegetet roboretque (Gen. 22. Gal. 3. Rom. 4). Sicut proinde non nisi in vere pios cadit, ita ad justitiam mirabiliter imputatur (Rom. 1. 3. 4).

Paed. Quin igitur plenam edis fidei in Deum confessionem? Puer. Haec ex prophetarum et apostolorum libris in tres partes brevissima redacta est et, quod omnibus christianam amplexantibus religionem sit communis, Symboli appellata nomine. Si autem habet:

Credo in Deum patrem omnipotentem creatorem caeli et terrae.

Et in Jesum Christum, filium ejus unicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine: passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus est, descendit ad inferos: tertia die resurrexit a mortuis: ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Patris omnipotentis: inde venturus est, ut judicet vivos et mortuos.

Credo in Spiritum sanctum: sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem et vitam aeternam. Amen.

Paed. Si jam aliquo modo singulas partes explanaveris, deprehendere nobis licebit, tum an quae dicis intelligas, tum an fides ad justitiam et salutem necessaria in te exsistat. Quid igitur tibi vis parte prima, quae disserit de Deo Patre ac rerum omnium creatione? Puer. Equidem credo unum esse verum et aeternum Deum sive unam Divinam essentiam, in qua tres distinguuntur personae. Ac pater quidem ante saecula genuit per omnia sibi aequalem filium (Joan. 1. 10. 12. 14), per quem et universa condidit tam invisibilia quam visibilia, quae caelo ac terra continentur (Col. 1). Nec satis est ei insignem hanc machinam semel fabricasse, sed dignatur eandem sua providentia usque moderari, gubernare ac sustentare (Psalm. 104. 107. Act. 14. 17). Porro credo et persuasum habeo eundem etiam esse Deum meum, quem religione summa colere perpetuo debeam: quandoquidem ipse me creavit, suae adjunxit ecclesiae et adoptavit in filium, sic deinde curam mei suscipit, ut velit et liberaliter suppeditare cuncta vitae necessaria et actiones meas regere atque ad sui nominis convertere gloriam.

Paed. Pergamus nunc ad secundam Symboli partem de Deo Filio ac negotio restitutionis humani generis per eundem confecto deque ea respondentem te audiamus. Puer. Hanc simulac recito, mente apprehendo eum per quem confido peccata mihi remittenda et quaevis beneficia me percepturum. Jesus idem est quod servator, unde credo et mihi salutem aeternam per eum paratam. Christus unctum significat, quocirca regis, pontificis et prophetae (Matth. 1. Psalm. 2. 110. Hebr. 7. Deut. 18. Act. 7. Psalm. 22. Rom. 8. Joan. 1. Hebr. 2), qui soli ungi consueverunt, dignitatem ipsi tribuimus. Credo autem, quoniam verus rex est, velle ipsum sapienter me regere ac ab injuria hostili tueri (Joan. 1. 10. 12. 14. Luc. 1): quia pontifex est, ipsum pro me ad patrem intercedere: quia denique propheta est, voluntatem Patris fideliter nobis exposuisse.

Nominatur porro Filius, quoniam in una divina essentia est secunda persona a Deo patre distincta, verus Deus de Deo vero genitus, per omnia Patri secundum substantiam, dignitatem et potentiam aequalis. Unicus dicitur, quoniam ipse quidem Filius Dei est natura, nos vero adoptione et gratia (Matth. 3. Rom. 8). Dominum nostrum praedicamus, partim quia nos creavit et redemit, partim quo testemur nos velle illius facere imperata. Tanto autem libentius ipsum talem profitemur, quanto res majores salutis nostrae causa perfecit.

Paed. Quaenam eae sint, dicito. Puer. Primo, dignatus est se nostri causa humiliare, nostram assumens naturam (Joan. 1. Hebr. 2. 4), per omnia, si excipiamus peccatum, par nobis factus. Secundo, pro nostris peccatis expiandis maximos pertulit cruciatus et mortem ignominiosissimam. Tertio, quo donaremur justitia, a morte resurrexit (Rom. 4). Quibus peractis pristinam recepit gloriam, quando et conscendit caelos et sedet ad dexteram patris, unde etiam venturus est, ut judicium det in vivos ac mortuos. Efficit proinde humiliatio illa, ut Christum nobis remittere peccata atque donare justitiam velle: gloria autem ista, ut etiam posse, credamus. Itaque hac confessione fides revera alitur et

augescit: fide vero languescentem animum nunquam non erigimus ac sustentamus.

Paed. Ad tertiam Symboli partem de Deo Spiritu sancto simulque de ecclesia beneficiis, quae Deus in ipsam contulit, progreditor. Puer. Spiritum sanctum esse tertiam personam in una Divina essentia, ex patre filioque procedentem, cetera utrique parem credo (Joan. 15). Per hunc accendi animos ad studium cognoscendi veri, rectam intelligentiam aliaque dona conferri, in fide de Dei misericordia confirmari, stimulari ad omnis generis sanctas actiones, nostram sublevari infirmitatem, consolatione erigi perculsos, denique hoc tanquam arrabone obsignari in nobis spem futurae haereditatis et bonorum caelestium (Rom. 8. Eph. 1). Credo etiam semper fuisse et fore ecclesiam, id est, hominum electorum et Deum rite invocantium societatem. Cujus caput Christus cum sanctus sit, illam quoque sanctam esse minime dubito (Eph. 1. Col. 1). Catholicam ad haec confiteor, ut cui omnium temporum atque locorum credentes accenseantur. His porro omnibus credentibus frui datur illis bonis spiritualibus, quae dilectae ecclesiae Deus ostendit et concessit: quam ob rem persuasum habeo in eadem ecclesia etiam sanctorum esse communionem. — Praestantissimum vero bonum, quod in ea pii adipiscuntur, est remissio peccatorum, quam et mihi in ecclesia Dei habenti locum per fidem in Jesum Christum obtingere certo credo.

Paed. Duo sunt capita in Symbolo reliqua, alterum de resurrectione mortuorum, alterum de vita aeterna: sed de his postea seorsum erit dicendum. Itaque ad baptisma transeamus.

De Baptismate.
Cap. III.

Paed. Quid est baptisma? Puer. Est sacra actio sive ceremonia a Christo instituta, qua homo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti aqua abluitur simulque bonorum internorum ac spiritualium fit particeps, de vita insuper christiane exigenda admonetur. Sic autem habet Christi mandatum: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (Marc. 16).

Paed. Quaenam sunt illa bona interna et spiritualia, quae homo in baptismo consequitur? Puer. Primo, per baptismum damus Christo auctori ipsius baptismi nomen adeoque Dominum Jesum Christum induimus, ut nos in ipso et ipse in nobis sit (Gal. 3. Rom. 12). Secundo, ecclesiae Dei adjungimur atque unius ejusdemque corporis efficimur membra, quo et nobis bonorum spiritualium communio cum omnibus sanctis in illa contingat (1. Cor. 12).

Paed. Conjungi Christo et in societatem credentium recipi non sunt, mihi crede, exigua beneficia. Sed suntne etiam alia baptismi effecta? Puer. Tertio, quemadmodum olim circumcisio, ita nunc baptismus novi et inviolabilis foederis inter Deum nos et existit signum (Col. 3). Cujus foederis capita sunt haec: Nos quidem renuntiamus diabolo omnibusque ejus suasionibus et consiliis ac profitemur nos in Deum credere ipsumque solum agnoscere et colere velle: Deus vero contestatur se velle nos recipere propter Christum in gratiam, remittere peccata cunctaque

promissa exhibere (Eph. 2. Col. 2. Rom. 6). Fiunt haec sanctissima pacta utrimque rata, cum baptismus homini fidem profitenti per ministrum mandato Dei impenditur (Act. 8).

Paed. Utinam huius foederis recordationem perpetuo in animo infixam circumferremus. Non dubium quin si id fieret, illa mirabiles subinde in nobis accenderet fidei et caritatis in Deum igniculos, quorum fulgores ac radii etiam longe lateque conspicerentur. Puer. Sic omnino est. Etenim scire nos oportet quarto loco Deum ratione ejus foederis spiritualia bona illico conferre credentibus. In baptismo namque condonantur quaecunque ante acta crimina animusque hominis prorsus purgatur et sanctificatur, ut nimirum externo signo res interna plane respondeat, hoc est, quemadmodum aqua eluuntur sordes corporis, ita sacer baptismus abstergat deleatque peccata ex animis (Act. 2. 1. Cor. 6. Eph. 5).

Paed. Quid autem a nobis vicissim praestari decet? Puer. Nos, quod quinto loco observari decet, cum foederis initi tum acceptorum beneficiorum causa et abhorrere debemus deinceps ab omni crimine et ad novam sanctamque vitam studiose eniti (Rom. 6. Col. 3). Atque illius quidem nos commonefacit in baptismo ipsa immersio in aquam, hujus vero eductio ex aquis. Quo autem ad utrumque excitemur diligentius, proponitur in baptismo ipsius Christi exemplum pro peccatis nostris mortui proque justitia nostra reviviscentis (Rom. 4. 6).

Paed. Saluberrima sunt quae dicis. Verum quis ignorat vitam novam et inculpatam transigere non esse nostrarum virium? (Rom. 7. 8.) Puer. Recte. Ideoque sexto addendum credentes in baptismo etiam accipere Spiritum sanctum (1. Cor. 6), qui quod viribus nostris deest, affatim supplet, dum occulte movet animos impellitque ad vitae emendationem, adjuvat insuper, ut bene agere et velimus et possimus (Phil. 2. Rom. 8). Siquidem non ex aqua tantum, verum etiam ex spiritu renovationis auctore homines renasci oportet.

Paed. Crebro igitur apud animum expendere nos decet, quam simus felices, in quos clementissimus Deus tanta beneficia in baptismo contulerit. Puer. Equidem quoad vixero, maximas agam Deo patri caelesti pro illis gratias, ipsum colam et celebrabo. Quem etiam per filium suum Jesum Christum oro, mihi det ita vitam omnem componere, quemadmodum ipsa baptismi actio postulat, hoc est, ut possim exemplo Christi renuntiare ac mori peccatis, justitiae vero vivere (Rom. 6).

Paed. Cedo, quid sibi vult auctor epistolae ad Hebraeos, quando non baptisma, sed baptismata expressit? Licetne saepius baptizari? Puer. Nihil minus: sed notat, quomodo diversis modis homines baptismum suscipiant.

Paed. Operae pretium est eos modos breviter ac distincte explanes. Puer. Primo, praecipitur a Christo Domino et commendatur, est praeterea in usu in ecclesia universa baptismus sive lavacrum aquae. Dicere autem possumus sola baptizari aqua omnes impios et hypocritas, quibus, quoniam poenitentiam ac fidem mentiuntur, hic baptismus solus nullam parit spiritualem utilitatem (Act. 8. Eph. 5. Tit. 3).

Paed. Praedicaturne et alius baptismi modus? Puer. Immo. Nam seorsum etiam considerari oportet baptismum spiritus, affirmante Christo:

Joannes quidem baptizavit aqua, vos vero baptizabimini spiritu sancto post dies hosce non multos (Act. 1. Marc. 14). Baptizantur ergo hac ratione homines pii poenitentiam ac fidem serio professi et mandatum atque promissiones Dei de baptismo plurimi facientes, quam ob rem iisdem etiam baptismus aquae oppido salutaris exsistit (Marc. 16).

Paed. Ostende tertiam eandemque postremam baptismi formam. Puer. Baptizantur quidam igne sive sanguine. Christus ad filios Zebedaei de poculo et baptismo mortis suae verba faciens: Potestis, inquit, bibere poculum, quod ego bibo, et baptismate, quo ego baptizor, baptizari? (Marc. 10). Et in precatione antequam ad supplicium traheretur: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. Rursus: Ignem veni missurus in terram et quid volo, si jam accensus est? Sed baptismo habeo baptizari et quomodo coarctor, donec perficiatur? Putatis, quod pacem venerim missurus in terram? Non dico vobis, immo separationem. Quo loco igne atque baptismo significari persecutionum fluctus et procellas ipse orationis contextus satis arguit. Proinde igne sive sanguine suo tinguntur, quibus ob hostium persequentium saevitiam aqua baptizari haud licet: quia tamen magna animi constantia Christum confitentur eamque confessionem suo obsignare sanguine et morte haud formidant, Deo sunt juxta cari acceptique, ac si aqua baptizati essent. Nullus vero baptismus, sive aqua, sive sanguine suo quisquam exterius perfundatur, efficax est absque Spiritu sancto, a quo uno vis omnis interna atque effecta spiritualia proveniunt.

Paed. Quorsum opus est hujus modi tradi distinctionem? Puer. Vere pii omnibus temporibus versantur inter religionis hostes. Quod si igitur aliquos illorum ab his, quod olim sane fiebat frequentissime, ante susceptum aquae baptismum rapi ad supplicium contingeret, certum nihilominus haberemus per poenitentiam atque fidem salvos fore. Rectius deinde omnes hinc intelligunt, quomodo non nisi Spiritus sancti virtute effecta baptismi obtineantur. Unde etiam admonentur universi, quo de Spiritus sancti baptismo imprimis sint solliciti.

De doctrina.

Cap. IV.

Paed. Quid causae est, cur ad baptismum proxime attexitur doctrina? Puer. Eos qui per Christum salvi esse cupiunt, primo loco duci operae pretium est poenitentia et diabolo ac vitiis omnibus semel nuntium remittere: proximum est fidem in Deum confiteantur; peractis hisce impenditur baptismus, exigitur porro a baptizatis nova et multo quam ante purior vita. Reliquum igitur nunc est, ut pie ac christiane vivendi norma, quae hoc loco doctrinae nomine intelligitur, paucis explicetur. Sic autem Christus eos, qui baptizati fuerint, doctrina de vita christiana protinus imbui jubet, dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quae mandavi vobis (Matth. 28. Hieronymus in commentariis in Matth.).

Paed. Quaenam igitur ab homine baptizato praestari bona opera debent, ut secundum Christi decreta vitam instituere agnoscatur? Puer.

In tres distingui ordines perapte cuncta possunt. Primus comprehendit opera dilectionis mandata decalogo. In secundo collocantur officia vocationem, id est, vitae genus, in qua unumquemque versari Deus voluerit, decentia. Tertius ordo proponit certa exercitia pietatis Christianorum propria.

Paed. Ais ergo praecepisse Christum, ut Christiani universi in opera dilectionis assidue incumbant? Puer. Sic ipse loquitur: Praeceptum novum do vobis, ut diligatis vos mutuo, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis vos mutuo (Joan. 13). In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis, si caritatem habueritis inter vos mutuam.

Paed. Ex decalogone, quaenam sint opera dilectionis, addiscimus? Puer. Christus in duas illum partes resolvens nihil eo nisi dilectionem praecipi declaravit. Diliges Dominum Deum tuum, inquit, ex toto corde tuo, ex tota anima et in tota mente tua (Matth. 22). Hoc est primum et magnum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum perinde atque te ipsum. In his duobus mandatis tota lex et prophetae pendent. Quam legis epitomen respiciens Apostolus colligit dilectione legem consummari et finem legis esse caritatem ex puro corde et conscientia bona et fide non simulata (Rom. 13. 2. Tim. 1). Ex quo jam patet legem non illis tantum perutilem esse, qui nondum sunt per baptismum sanctificati, quandoquidem per eam debent, ut supra dictum est, adduci ad poenitentiam, verum etiam baptizatis atque justificatis. Enitem horum cum intersit promptam erga Deum testari obedientiam et fidei justitiaeque fructus per opera caritatis proferre (Gal. 6): certe ex ipsa lege discunt, quaenam sint opera dilectionis Deo accepta; deinde quamvis praecipue ipsius Spiritus sancti, quem in lavacro regenerationis semel acceperunt, ductu impulsuque; non parum tamen etiam legis admonitione ad bonas actiones excitantur (Rom. 8. Tit. 3).

Paed. Haec de legis seu decalogi, quem semel totum percurrimus, usu in praesenti sufficiunt. Quae porro secundo loco intelligis bona opera ab unoquoque pro vitae suae genere exigi? Puer. Duplex in sacris literis commendatur vocatio. Altera omnibus iis communis, quos Deus per praedicationem euangelii suae adjungere ecclesiae atque salutis aeternae mysteriis impertiri dignatur. Quo pacto saepissime in scripturis dicuntur credentes vocati per euangelium ad Christum, ad fidem, ad lucem, ad salutem etc. (2. Thess. 2. 1. Petr. 2). Altera est qua quis certum vitae genus Deo neutiquam improbatum amplectitur. In quam sententiam Apostolus: Unusquisque, inquit, ut ipsi partitus est Deus, unusquisque ut illum vocavit Dominus, ita ambulet: et unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus fuit, maneat apud Deum (1. Cor. 7). Vult nimirum Deus in societate hominum distincta esse vitae genera et unumquemque in eo ad quod se arcanis motibus duci adeoque impelli advertit, sedulo officium facere. Tanti vero refert unumquemque vocationis suae diligentem habere rationem, ut nisi pro hujus decoro actiones vitae suae omnes componat, multa perturbate geri necessum sit, qua quidem re Deus vehementer offenditur. Alia igitur magistratum, alia privatum hominem: alia ecclesiarum antistites, alia auditores: alia praeceptorem, alia discipulum decent.

Paed. Suntne sacris literis prodita, quae ab unoquoque Christiano pro vitae suae instituto praestari debent? Puer. Eorum quae conducunt ad pietatem vel honestatem, nihil est a Spiritu sancto in scripturis praetermissum. Itaque magistratibus et subditis, sacrorum ministris et auditoribus, judicibus, militibus, maritis et uxoribus, dominis et servis, parentibus et liberis, conjugatis et in caelibatu persistentibus, viduis et virginibus, denique nullis non inveniuntur praescripta sua officia: quae qui ex animo fecerint, ii placere Deo et in hominum contubernio pie tranquilleque vivere possunt.

Paed. Longum esset recitare ejusmodi praecepta omnia: quamobrem satis fuerit nunc memoria repetere paucula, quae ad magistratus, ad ecclesiarum gubernatores et ad parentes pertinent, quo mox de subditorum ideoque et de vestro officio quae necessaria sunt proferas. Quae igitur illos decent, qui sunt cum potestate? Puer. David ita canit: Nunc, reges, prudenter agite, erudiamini, judices terrae (Psalm. 2). Servite Domino in timore et exsultate cum tremore. Osculamini filium. Et rex Jehosaphat: Videte quid agatis. Non enim pro homine, sed pro Deo judicia decernitis, quippe qui juxta vos est in causa judicii (2. Paral. 19). Nunc igitur sit pavor Domini super vos, cavete et agite quod illi placet, quoniam non est perversitas apud Dominum Deum nostrum, ut ille suscipiat personas aut munera.

Paed. Quantum tribuent magistratibus subditi? Puer. Docet id Paulus hisce verbis: Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit (Rom. 13). Non enim est potestas nisi a Deo: quae vero sunt potestates, a Deo ordinatae sunt. Itaque quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem restiterint, sibi ipsis judicium accipient. Nam principes non sunt terrori bene agentibus, sed male. Vis autem non timere potestatem? Quod bonum est facito et feres laudem ab illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Quod si feceris id quod malum est, time. Non enim frustra gladium gestat. Nam Dei minister est, ultor ad iram ei, qui quod malum est fecerit. Quapropter oportet esse subditos non solum propter iram, verum etiam propter conscientiam. Propter hoc enim et vectigalia solvitis. Siquidem ministri Dei sunt in hoc ipsum incumbentes.

Paed. Audiamus quales esse oporteat ministros ecclesiarum. Puer. Oportet episcopum, inquit Paulus (2. Tim. 3. Tit. 1), irreprehensibilem esse, unius uxoris maritum, vigilantem, sobrium, modestum, hospitalem, aptum ad docendum: non vinolentum, non percussorem, non turpiter lucri cupidum: sed aequum, alienum a pugnis, alienum ab avaritia, qui suae domui bene praesit, qui liberos habeat in subjectione cum omni reverentia (quod si quis propriae domui praeesse non novit, quomodo ecclesiam Dei curabit?), non novitium, ne inflatus in diaboli criminationem incurrat.

Paed. Quaenam vicissim requiruntur ab auditoribus? Puer. Diserte idem Apostolus: Agnoscatis eos qui laborant inter vos — pacem habete cum illis (1. Thess. 5).

Paed. Parentibus quique parentum loco sunt, qualia praescribuntur? Puer. Patres, ne provocetis ad iram liberos vestros, sed educetis eos per eruditionem et correptionem Domini (Eph. 6). Auctor idem Apostolus.

Paed. Quomodo sese gerent liberi erga parentes et omnes qui velut alteri parentes habentur? Puer. Ne id quidem Apostolus tacuit. Filii, inquit, obedite parentibus vestris in Domino, nam id est justum (Eph. 6). Honora patrem tuum et matrem, quod est praeceptum primum in promissione, ut bene tibi sit et sis longaevus in terra.

Paed. Ex hisce, opinor, facile colligis, quae te hoc tempore et qua nunc es conditione facere conveniat. Puer. Equidem video me ante omnia magistratum debere cum prosequi honore tum timere: omnes dehinc pastores animorum, ut qui de mea quoque salute sint solliciti, summa mihi perpetuo esse colendos observantia: postremo parentum, tutorum, praeceptorum, quorum curae sum commendatus, jussis ut paream, esse multo aequissimum. Interea dum aetas, dum res ferunt, discendae pietati ac percipiendis honestis artibus dies noctesque gnaviter incumbam. Ad summam, sive in sacro coetu, sive in schola, sive domi, sive alibi fuero, non committam, ut contra ac christianae religionis et honestatis amantem puerum decet, perpetrasse aliquid existimer.

Paed. Hucusque disserentem te audivi de operibus tam dilectionis quam vocationis: quae porro sunt tertio ordini attributa christianae pietatis exercitia? Puer. Domini nostri Jesu Christi et apostolorum sermonibus plurimum celebrantur haec quatuor: Jejunium, oratio, eleemosyna, confessio, cui adhaeret patientia in adversis, quae ob Christi confessionem accidunt. Quae sic sese habent, ut in primo quidem eluceat exercitatio poenitentiae seu humiliationis, in secundo vero fidei, in tertio dilectionis, in quarto spei. Itaque quam placet Christo in discipulis perpetuo apparere certa documenta poenitentiae, fidei, dilectionis, de quibus dictum hactenus, denique et spei, ad quam referuntur de resurrectione judicioque aeterno paulo post dicenda: tam est necessarium nos omnes iisdem exercitiis crebro insistere et assuefieri.

Paed. Quid vocas jejunium? Puer. Cum de consueta victus ratione aliquid ad certum tempus nobis ipsi detrahimus ac solito agimus temperantius: idque partim quo significationem demus poenitentiae ac verae humiliationis coram Deo, partim ut lascivientem carnem, in qua pravi affectus certatim ebulliunt, compescamus redigamusque in ordinem: denique ut ad orationem, qua peccatis nostris debita flagella averti poscemus, simus magis appositi.

Paed. Nullumne extat a Christo editum praeceptum vel etiam promissio de jejunio? Puer. Christus et jejunandum esse et quomodo id fieri debeat, ut Deo sit acceptum, satis ostendit hisce verbis: Tu vero, cum jejunas — reddet tibi in propatulo (Matth. 6).

Paed. Quotuplex est jejunium? Puer. Duplex. Privatum, quod unusquisque sibi ipsi potest, si quando animadvertit idoneas esse causas, indicere et pro sua prudentia moderari (2. Cor. 6). Publicum, quod ecclesiarum praescribunt antistites, quando ardua obveniunt totius ecclesiae negotia, quae convenit precatione jejuniisque Deo commendari, veluti cum eligi vel ordinari ministrum ecclesiae oportet (Act. 13. 14), cum synodus cogitur ad controversias de doctrina fidei dirimendas. Ad haec cum Deus nostris offensus sceleribus graves minatur poenas aut jam immittit novas calamitates, ut bellorum, famis, pestilentiae etc. (Joel 2. Jon. 3).

Qui ergo publicorum malorum tanguntur sensu, ii, quando ejusmodi de causis praecipitur, jejunare minime detrectabunt.

Paed. Quae res efficiunt, ut jejunium Deo neutiquam placeat? Puer. Primo, si non ex fide atque ex animo, sed hypocrisi, cupiditate laudis vel alio quovis praepostero studio jejunetur (Rom. 14. Matth. 6). Secundo, in ipso jejunandi modo, veluti si in tempore, in qualitate vel quantitate capiendi cibi aliquid a nobis superstitiose committitur. Tertio, cum jejunamus nec tamen a vitiis et mala mente desistimus (Is. 1). Quarto, interpretari jejunium ad cultum Dei facere, quasi eo promereremur justitiam, Pharisaeorum potius est quam Christianorum (Luc. 12). Operae pretium vero est alios fines utiles, de quibus ante dictum, a nobis spectari.

Paed. Secundum inter exercitia christianae pietatis locum dedisti orationi: quae igitur de hac sunt nobis observanda? Puer. Christus praeceptum et promissionem de oratione reliquit insignem: Amen, amen dico vobis, inquit, quaecunque petieritis — petite et accipietis (Joan. 16).

Paed. Quibus modis fit, ut oratio nostra a Deo exaudiatur? Puer. Sive publice in coetu sacro sive privatim quovis loco ac tempore invocare Deum visum fuerit, facere id debemus in spiritu et veritate atque animi attentione quam maxima (Matth. 6. Joan. 4). Secundo, non modo semel est orandum, sed saepe et constanter (Luc. 11. 18). Tertio, orabimus ex fide persuasum habentes, nos per Jesum Christum nihil non a Deo patre caelesti impetraturos, quae ratio orandi Christianorum propria est, utpote a nullis qui alias sectas prosequuntur usurpata (Joan. 16. Jac. 1).

Paed. Habesne aliquam quotidianae precationis aptam formam? Puer. Variis quidem uti formis subinde nos cogit occurrens necessitas, unam tamen praescripsit Christus numeris omnibus absolutam, ad cujus exemplar quaecunque aliae componi debent. Ad hunc modum orate, inquit: Pater noster, qui es in caelis — et gloria in secula seculorum, Amen (Matth. 6. Luc. 11).

Paed. Si distinguas ac separes certas ejus partes, explicari abs te commode poterit. Puer. Tota dividitur in breve exordium et sex petitiones, e quibus tres antecedentes ad regni et gloriae Dei amplificationem spectant, reliquae de nostris agunt necessitatibus. Nec deest quod conclusionis loco accipi queat.

Paed. Quam esse putas paucorum verborum in exordio sententiam? Puer. Equidem Patrem nominans interpretor illum libenter sic a nobis interpellari et peraeque benigne nostra audire vota, atque parens quilibet dilectissimi filioli flectitur blandis vocibus. Nostrum dicimus, quem scimus credentes omnes filiorum complecti loco. Esse in caelis profitemur, non quod non adsit ubique impleatque universa, sed partim quod tanquam e sublimiori loco nostra omnia intueatur et audire citoque succurrere tum possit tum velit, partim ut mens nostra noxiis affectibus et rerum terrenarum curis omnibus adjectis in solum Deum et res caelestes aeternasque defixa inter orandum haereat.

Paed. Habesne quod simili modo dicas de tribus petitionibus prioribus? Puer. Petimus imprimis sanctificari Dei nomen, hoc est, ipsum solum ab omnibus ubique hominibus agnosci, religiose coli et invocari, ne ulla re ipsius imminuatur dignitas. Advenire optamus ipsius regnum, quod fit, quando potestas ac tyrannis satanae conteritur atque

in rebus spiritualibus quotidie incrementum capit vera ecclesia, in qua pii tantisper in doctrina sanctisque actionibus proficiunt, dum cum Christo ad regnum perveniant caeleste et aeternum. Cum deinde major sit nostra tum malitia tum infirmitas, quam ut plene obtemperare Dei mandatis velimus aut possimus, nostram desideramus adjuvari ac regi voluntatem, quo quae ipsi grata sunt, sic perpetuo exsequamur, quemadmodum officium omne ad ipsius nutum sedulo faciunt creaturae caelestes universae (Rom. 7. 8).

Paed. Tantundem audiamus de tribus petitionibus posterioribus. Puer. Panem omniaque ad sustentationem corporis necessaria dari flagitamus certi neque acquiri nostra prudentia vel industria neque utilia fieri, nisi Deus ipse largiatur suoque favore reddat salutaria. Quotidiano pani contenti frenos cupiditati jubemur injicere. Postulantes dari hodie non modo omnem de crastino deponimus sollicitudinem, verum etiam quolibet die ad precationes redeundum testamur. Quod insuper ad animi salutem est pernecessarium, debita nostra remitti nobis petimus. Etenim quae lege Dei sunt nobis imperata, minime facimus: peccatis accumulamus in dies peccata: gratias pro beneficiis acceptis agere negligimus: quis igitur non videt, quanta sint debita? Atqui propter filium Jesum Christum omnia confidimus nobis condonanda, maxime si nos quoque illis ex animo parcamus, qui nos laeserint. Postremo ubi tam corpori quam animo fuerit prospectum, superest impendentia undique mala, sive interna et spiritum infestantia sive externa et corpori noxia, deprecemur. Itaque ab omnibus tuti esse periculis cupientes patrem caelestem obtestamur supplices, ne inducat nos in tentationem, sed ab omni malo, imprimis a satanae omnium malorum architecti ludibriis atque technis eripiat.

Paed. De iis quae conclusionis ponuntur loco, piam exprime sententiam. Puer. Fidem ea verba in nobis mirifice acuunt, utpote quae jubent nos confidere Deum patrem caelestem quaecunque postulamus benigne concessurum. Etenim si non nostra causa, at certe propter semetipsum ille qui solus potest omnia et cui soli regnum ac gloriam deferri omnem oportet, quaevis quae modo juste et salutariter cupimus, perficiet. Amen id est: fiat. Caput rei in omni precatione est sperare et credere nos ab optimo indulgentissimoque patre exaudiri.

Paed. Video te singula precationis Dominicae membra recte assecutum. Da operam, ut frequenter totoque animo orationi et gratiarum actione vaces. Quid autem restat disserendum de eleemosyna, quam dixisti exercitium esse dilectionis? Puer. De ea Christus hoc evulgavit praeceptum cum adjecta promissione (Luc. 6): Estote misericordes, sicut et pater vester — Date et dabitur vobis. Joannes propterea dicere non dubitat (1. Joan. 3): Qui habuerit substantiam mundi et viderit fratrem suum egentem et clauserit viscera sua ab eo — sed opere et veritate. Ex quibus conficitur, si veri esse Christi Jesu discipuli, si patris caelestis esse filii et imitatores, si denique ab eodem misericordiam consequi volumus, nostrarum esse partium in fratres egentes, quicquid humanitatis et beneficentiae Christianae nomine comprehenditur, impigre exercere.

Paed. Quibus modis eleemosyna recte impenditur? Puer. Unusquisque ex fide et per caritatem non ad ostentationem vel spe mutuae

operae, quantum pro facultatum et conditionis modo potest et ut diversae sunt hominum necessitates, bene de aliis mereri variis modis studeat. Sunt famelici, nudi, peregrini, captivi, aegroti, ignorantes, moesti aliisque de causis afflicti: quare cibo, vestitu, hospitio, patrocinio, salubri consilio, doctrina, consolatione caeterisque id genus officiis succurri illis oportet. Qui proinde uno modo opitulari haud potest, alio id faciat licebit, quemadmodum Christus quoque declarat, misericordiam fieri non tantum dando aliquid, verum etiam non judicando, non condemnando et remittendo offensas (Luc. 6). Hinc autem fit, ut nemo a benefaciendo excusetur.

Paed. Tu proinde monendo, docendo, consolando, obsequendo, non condemnando et quacunque simili ratione juvare alios tamdiu assuescas, quoad majora praestare dabitur. De confessione et comitante hanc periculorum tolerantia nonnihil dicito. Puer. Manifesta sunt Christi verba (Matth. 10): Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego illum coram patre meo — Qui invenerit animam suam, perditurus est eam et qui perdiderit animam suam mea causa, inveniet eam.

Paed. Expone eadem paulo dilucidius. Puer. Est in ore et in corde nostro verbum fidei, quod apostoli toto orbe praedicarunt, nempe: Si confessi fuerimus (verba usurpo Apostoli, Rom. 10) ore nostro Dominum Jesum et crediderimus in corde nostro, quod Deus illum excitavit a mortuis, salvi erimus. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Ita vero comparatum est, quia princeps mundi hujus satanas tum ipse mundus norunt se per Christum arguendos ac judicandos, statim omnibus Christum confitentibus indignantur, struunt insidias, cupiunt eos e medio sublatos (Joan. 21. 14. 16. 15. 17). Qui namque Christum praeceptorem crudeliter sunt persecuti, minime parcunt discipulis. Nec potest servorum melior esse conditio quam domini. Sic interim pii muniuntur et confirmantur Dei spiritu, ut propter Christum deserere propinquos, honores, facultates tandemque et animam perdere, hoc est vitae adire discrimen non refugiant (Matth. 10. 16. Marc. 13. Luc. 12. 14. Matth. 10. Rom. 8. 2. Tim. 3. Act. 14). Persuasum quippe habent omnes, qui pie volunt vivere in Christo, eos persecutionem quidem debere pati, si tamen in finem usque sustinuerint, salvos fore (Matth. 10). Quocirca tantum abest ut in hostes ob Christi causam infestos vicissim aliquid hostile moliantur vel ultionem expectant: ut pro eisdem per ignorantiam praesertim peccantibus ad patrem caelestem secundum praeceptum et exemplum Christi intercedant. Itaque assidue eundem precor, ut in agnitione et confessione veritatis, in patientia, in fide, caritate et recta invocatione ad vitae usque extremum me servet (Matth. 6. Luc. 23. Matth. 10).

Paed. Pater caelestis per Filium suum unigenitum in Spiritu sancto faxit te sanctissimi propositi semper tenacem conspiciamus.

De impositione manuum.
Cap. V.

Paed. Quid vocas impositionem manuum? Puer. Ceremoniam, qua antistes ecclesiae imponit capiti hominis credentis manus et eidem bene a Deo precatur (Hieronymus contra Luciferianos).

Paed. Fuitne haec ceremonia Christo et apostolis in usu? Puer. Maxime: quamvis non uno modo neque eundem ad finem.

Paed. Quotuplex igitur impositio manuum commendatur in sacris literis? Puer. Triplex. Unam adhibuerunt Christus et apostoli tum pueris tum quibuscunque credentibus recens baptizatis, ut Spiritum sanctum acciperent. Altera usitata fuit in designandis ecclesiarum publicis ministris, episcopis, presbyteris, diaconis. Tertiam placuit Christo exerceri apud aegrotos, ut quicunque viderent hos sola manuum impositione et precatione adjuncta sanitatem pristinam recuperare, ii hinc intelligerent, quanta esset euangelii certitudo ac dignitas, eo autem pacto ad fidem in Christum adducerentur (Matth. 19. Marc. 10. Act. 8. 19. 6. 1. Tim. 4. 2. Tim. 1. Marc. 16). Verum haec non amplius est in usu. Cum enim veluti pars esset facultatis edendi miracula, tamdiu fuit utilis ac necessaria ecclesiis, quoad euangelii veritatem signis comprobari expediebat. Secunda adhuc locum habet, sed tantum in ordinatione ministrorum ecclesiae. Da prima ergo nobis in praesenti agendum.

Paed. Quam ob causam capiti de doctrina subjicitur istud de impositione manuum? Puer. In capite de doctrina satis superque expositum est, quomodo eum, qui Christo nomen dedit ac baptizatus est, praestare tum dilectionis tum vocationis officia, vacare deinde exercitiis pietatis oporteat. Atqui cum baptizatis permagna adhuc insit imbecillitas atque torpor nec bona opera ab iisdem qua decet diligentia et puritate perficiantur, diabolus item ac mundus mille modis obsistant piis conatibus (Rom. 7. 8. Joan. 12. 14. 16. 1. Petr. 5. Gal. 5): opus sane habent Spiritu sancto, qui ipsorum opituletur infirmitati, qui ad bene agendum impellat, qui satanae in nos insultantis impetum ferociamque comprimat, qui denique in certaminibus et periculis, quae propter veritatis confessionem obtingunt, assistat, animet ac tueatur (Eph. 3. Matth. 10). Quando autem alicui imponuntur manus, precatio fit ad Deum pro huiusmodi ope Spiritus sancti impetranda (August. De bapt. c. Donat. L. 3 c. 16).

Paed. Optas igitur et tu hac ratione manus tibi imponi? Puer. Sic ut nihil avidius. Etenim paratus sum, quam primum parentibus visum fuerit et susceptoribus, me sistere antistiti ecclesiae et coram universa multitudine exigenti eidem fidei confessionem adeoque summam doctrinae, quam hactenus percepi, reddere. Id vero partim quo illi qui quondam in baptismo responderunt meo nomine ac spoponderunt se, ut in elementis christianae religionis instituerer, curaturos liberentur, partim ut mea ipsius voce et confessione me totum Christo redemptori ac domino addicam. Quod si autem tunc etiam manus mihi imponantur et sanctis precationibus ecclesiae Spiritus sancti impetretur mihi auxilium, confido me deinceps juste ac pie, quemadmodum christianam professum religionem decet, in ecclesia Dei sancte victurum.

Paed. Equidem pium desiderium tuum non possum non probare. Atqui par esse judicio, ut ubi manus tibi eo pacto fuerint impositae, cum reliquis credentibus in sacra coena Dominica consocieris. Puer. Peropportune admones. Persuasum namque habeo piorum mentes, quemadmodum ad manuum impositionem et precationem ecclesiae mirifice agitantur arcana Spiritus sancti virtute, ita fulciri et roborari easdem,

quando in sacra coena mystico corporis et sanguinis Christi pabulo reficiuntur. Quibus autem rebus christiani hominis animus recreari et confirmari possit, eas operae pretium est cupide appetamus, quamquam me imprimis permovet Servatoris nostri Christi de usurpanda sacra coena praeceptum: Amen amen dico vobis, inquit, nisi ederitis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis (Joan. 6).

Paed. Nihil obstat, quin ad Domini mensam primo quoque tempore accedas: si tamen qua ratione eam Christus ipse peregerit et peragi a nobis velit, tum quaenam sint coenam Dominicam, rite edere volenti consideranda, denique quam multiplicia commoda spiritualia ex ea capiantur, probe teneas. Primum igitur ex te audire volo, quomodo sacram coenam peragi Christus instituerit. Puer. De eo Matthaeus, Marcus, Lucas Paulus uno ore consentientes ita scriptum reliquerunt: Dominus noster Jesus Christus in ea nocte — Quotiescumque enim comederitis panem hunc et de poculo hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec venerit (Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11).

Paed. Expone secundo loco, quaenam pium hominem, qui quemadmodum decet coenam Domini edere cupit, expendere ac aestimare sit necesse. Puer. Principio sacram hanc cum reliquis credentibus coenam peragentes palam ante omnium oculos profitemur nos religionem christianam ceu solam, certam, veram, inconcussam et aeternam amplecti nihilque nobis cum doctrina, ritibus Judaeorum vel Gentilium aut quovis modo a Dei verbo discrepantibus commune esse. Cujus rei nos commonefacit Apostolus dicens: Non potestis poculum Domini bibere et poculum daemoniorum. Non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum (1. Cor. 10).

Paed. Quid deinde considerandum? Puer. Quo omnes intelligant nos non inaniter jactare christianae religionis nomen, sed rem ipsam omni studio expetere, ostendimus Christi praecepta nobis curae esse ac velle nos morem gerere in omnibus. Fidem autem facimus coenam Dominicam ad ipsius praescriptum edentes (Joan. 6).

Paed. Non dubium quin Deo prompta haec voluntas et obedientia vehementer probetur. Puer. Tertio, eum qui spiritualem ex coena Dominica vult fructum capere, necesse est vera duci poenitentia, hoc est ante acta fateri ac deplorare crimina et mores corrigere. Etenim si quis poenitentia vacans et perseverare in vitiis volens Dominicam coenam ederit, tantum abest ut beneficium ex ea referat, ut etiam majestatis (quandoquidem Christum afficit contumelia partamque per eum aspernatur gratiam) damnetur. Id autem sibi volunt haec Apostoli verba (1. Cor. 11): Quisquis ederit panem hunc aut biberit poculum Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem homo se ipsum et sic de pane illo edat et de poculo illo bibat. Nam qui edit aut bibit indigne, judicium sibi edit et bibit non dijudicans corpus Domini.

Paed. Satin vero semetipsum probat, cui propria peccata dolorem commovent? Puer. Vera poenitentia, in qua consistit sui ipsius probatio, detestatione scelerum nequaquam contenta est, sed requirit etiam fidem, qua eorundem per Dei clementiam apprehendimus condonationem. Suscitatur proinde et exercetur omnium illorum fides, qui coena Dominica utuntur, utpote in qua Christus cunctis cum poenitentia et vera fide

accedentibus remissionem offert criminum. Perspicua sunt de hac re ipsius verba (1. Cor. 11): Accipite, inquit, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, hic est sanguis, qui pro vobis effunditur, sive: hic calix novum testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Quisquis igitur animadvertit animum suum peccatis saucium ac prope enectum, fidem vero mature convertit ad promissionem de peccatis per sanguinem et mortem Christi expungendis atque ita ad Domini se confert mensam, is illico sanari conscientia suae vulnera seque criminibus solvi minime dubitabit.

Paed. Reconditane est in sacra coena etiam exercitatio quaedam caritatis? Puer. Est, et quidem tam ejus qua Deum quam qua proximum complectimur. Certe Christus in sacra coena immensam caritatem suam extollit et praedicat, dum in memoriam hic reducit ac velut oculis spectandam proponit acerbissimam mortem, quam salutis nostrae causa oppetiit, dum praeterea asseverat se carnem suam et sanguinem communicare et impendere nobis velle. Accipite, inquit, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Bibite, hic est sanguis meus, qui pro vobis funditur. Hoc facite in mei commemorationem. Vicissim vero nostram in ipsum caritatem quoad licet, hic declaramus, siquidem anxie percupimus ejusdem corporis et sanguinis ac omnium eorum, quae ille nostri causa effecit participes fieri, sic nimirum persuasi ab Apostolo dicente: Poculum benedictionis cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est? panis quem frangimus nonne communicatio corporis Christi est? (1. Cor. 10.)

Paed. Commonstratne praeterea sacra haec actio tum Christi in nos tum nostram in Christum caritatem? Puer. Quod nunc dicam, antecedentia longe superat. In sacra coena, ubi corpori et sanguini Christi communicamus, non modo impetramus, ut nobis condonentur crimina, verum etiam cum Christo consociamur et sic arcte copulamur, ut ille quidem in nobis, nos vero in illo maneamus. Caro mea, inquit, vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Qui edit meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo (Joan. 6). Porro donari nobis cum Christo bona omnia et ab ipso in nobis manente nos sanctificari, feliciter usque regi, tutos insuper fieri a periculis, quis est qui ambigat? (Rom. 8.) Quin etiam haec Christi nobiscum conjunctio in causa est, cur in sacra coena testamenti quoque sive foederis ratio consideretur. Hic calix novum testamentum est, inquit, in meo sanguine. Christus namque dignatur quodam modo nobiscum foedus icere ac renovare, cujus religione freti tum audemus omnia de Christo bona nobis polliceri tum in Christi gratiam quaevis agere ac pati nos velle profitemur, quorum altero quidem fides, altero vero caritas in nobis alitur et augescit.

Paed. Perge et de caritate in proximum dicere. Puer. Unus panis, ait Apostolus, unum corpus multi sumus (1. Cor. 11). Nam omnes ex eodem pane participamus. Itaque sacram Domini coenam edens unum agnoscit ac veneratur ecclesiae universae corpus, se ejus esse vivum membrum eoque velle etiam caeteris ejusdem corporis membris, hoc est, piis fratribus pro eo ac res suppetit opitulari. Ac Christus (Joan. 13. 14. 15) propterea a coena novissima prolixe est de credentium mutua dilectione

concionatus. Nec fas est ad sacram mensam ullos admittere nisi conciliatos, id est, qui cum iis a quibus dissenserant, redierint in gratiam (Matth. 5).

Paed. Potesne simili ratione ostendere spem quoque in coena Dominica exerceri? Puer. Sic ut vix alibi clarius. Ita habent Christi verba: Qui edit meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam et ego suscitabo eum in novissimo die (Joan. 6). Aliquoties item repetit Christus fore, ut qui ipsius ederit carnem et biberit sanguinem, immortalitate et vita sempiterna propter ipsum fruatur. Talem igitur ex Christi ore promissionem de resurrectione a morte et vita immortali audiens quidni speret atque confidat se post hasce aerumnas eadem bona accepturum?

Paed. Non difficiliter ergo ex his quae dicta sunt in ordinem digeres multiplices commoditates spirituales, quas quisquis semetipsum rite probarit ex coena Dominica percipit. Puer. Ita profecto est: qui qua decet religione ac pietate Dominicam adit mensam atque ex animo contestatur se solam religionem christianam maximi facere, se Christi mandatis parere velle, sibi dolere ante acta crimina ac vitae emendandae teneri studio, se fidem habere in Christi promissiones, summa Deum et homines prosequi caritate, in spem se ingredi vitae melioris, is sine ulla dubitatione cuncta promissa bona accipit. Nam praeterquam quod fidei, caritatis et spei admirabile sentit incrementum, Deum praeterea experitur propitium et faventem, remittuntur ei admissa scelera, communicatio obtingit carnis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, summa ei conceditur cum Christo convenientia et conjunctio, ut Christus quidem in ipso, ipse vero in Christo maneat, ad haec societatem init sanctissimam, qua cum universis ecclesiae Dei adscriptis omnium bonorum spiritualium fiat particeps, postremo certior fit de resurrectione ac beatitudine in coelis aeterna. Eam igitur actionem, in qua tam multa tamque excellentia beneficia spiritualia obveniunt, quis non in summo habeat honore? quis non percupiat optetque ad eam admitti?

Paed. Judicare aliter non possumus, quam longe praeclarissima esse quae Christus veluti testamentum condens, cum e mundo esset migraturus ad Patrem, discipulis facienda credendaque reliquit. Nam ut video, in hac una actione non solum praecipuorum capitum nostrae salutis, poenitentiae inquam, fidei in Deum, caritatis erga Deum et homines, denique et spei perpetua proponitur meditatio et exercitatio, verum etiam amplissima dona revera accipiuntur. Puer. Nondum dixi omnia. Ad hunc quoque finem sacram coenam frequenter a nobis peragi Christus vult, ut mortis ipsius, qua cuncta quae recensuimus bona sunt nobis parta, redintegraremus subinde ac celebraremus memoriam, ut itidem pro tantis beneficiis aliquam conficeremus gratitudinis significationem. Hoc facite, inquit Christus, in mei commemorationem. Et quotiescunque comederitis panem hunc ac de poculo hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec venerit (1. Cor. 11).

Paed. Equidem Deum precor, ut quandocunque manus tibi imponi aut mensae Domini participem te fieri contigerit, tum uberrimos hosce fructus spirituales tibi largiatur. Te vero hortor et obtestor, ut magis magisque quotidie in fide, caritate et spe proficere, te ipso melior

sanctiorque evadere sedulo adnitaris, unde omnes demum intelligere queant te vere a spiritu sancto regi, muniri ac servari et Christum in te teque in Christo manere. Puer. Haec quo ita fiant, Patrem caelestem per Christum orare non intermittam.

De mortuorum resurrectione.
Cap. VI.

Paed. Quam intelligis resurrectionem mortuorum? Puer. Christus Dominus astruit corpus hominis posse interimi, animum vero nequaquam, ut qui immortalis existat (Matth. 10). Addit nihilo minus corpora nostra postremis temporibus, priusquam ipse in omnes homines det judicium, revictura. Veniet, inquit, hora — ad resurrectionem condemnationis (Joan. 5).

Paed. Cur fidem de resurrectione necesse est diligenter et hoc loco inculcari? Puer. Primo, haec fides Christianorum propria est. Nam Judaeorum plerique corporum resurrectionem ausi sunt infitiari et oppugnare: Gentiles vero contemptim irridere (Matth. 22. Marc. 12. Act. 14). Secundo, quae hactenus enarrata sunt, ad fidem et caritatem praecipue pertinent: hisce autem capitibus de resurrectione atque judicio aeterno spes exercetur. Tertio, qui baptizati sunt omnemque vitae pie instituendae tenent rationem, praeterea spiritu sancto sunt in impositione manuum confirmati, partim proposita spe resurrectionis partim metu judicii secuturi et excitantur ad diligentiam et retinentur in officiis pietatis.

Paed. Credisne eadem corpora quae nunc habemus revictura? Puer. Quidni? Hiobus ait (Hiob 19): Ego scio, quod redemptor meus vivit, qui et in novissimo consurget super jacentes in pulvere. Et postquam corroserint vermes corpus istud, videbo Deum in carne mea: quem ego videbo pro me et oculi mei visuri sunt. Apud Jezechielem praedicit Dominus ossa hominum arita iterum debere extrinsecus carne et cute circumdari, spiritum quoque immittendum (Jezech. 37). Sed apertissime haec comprobavit Christus eodem plane corpore resurgens, quo paulo ante mortem pertulerat.

Paed. Eruntne prorsus talia corpora qualia nunc sunt? Puer. Substantiam si consideramus, erunt prorsus eadem: sin de qualitatibus quaestio est, magna erit diversitas. Multis modis excellentiora erunt quam nunc sunt. Quod enim nunc corruptioni, morti, ignominiae, infirmitati est obnoxium, id erit tunc, teste Apostolo, incorruptibile, immortale, insigni gloria ornatum, firmum (1. Cor. 15). Quis posset ornamenta omnia, quae accedent, enumerare?

Paed. Quis ex doctrina et confessione resurrectionis mortuorum ad nos redit fructus? Puer. Primo, ex tanta corporum nostrorum futura extremis temporibus dignitate perspici potest, quam praeclara beneficia per Christum, cujus resurrectio nostrae resurrectionis causa est, consequamur (1. Cor. 15). Secundo, hac resurrectionis spe nosmet ipsos ad pietatis opera praestanda necesse est stimulemus. Cur non sit solito alacrior ad bene agendum, cui constat novam et meliorem superesse vitam, in qua benefactis suus honos pulcherrimaque deferuntur praemia?

Tertio, quicquid grave aut molestum acciderit ipsamque adeo mortem aequiore feremus animo, si nos olim apud Christum cum animo tum corpore optime habituros confidamus.

De judicio aeterno.
Caput VII.

Paed. Quorsum istud caput de judicio aeterno omnibus subjicitur? Puer. Supervacanea plane essent omnia antecedentia, poenitentia, inquam, fides, baptismus, doctrina, manuum impositio, denique et resurrectio, nisi certi essemus judicium restare aeternum, quo a Deo Patre caelesti et filio eius Jesu Christo nobis decernentur praemia.

Paed. Quare hoc judicium vocatur aeternum? Puer. Quia postremis temporibus per Christum, cui pater jam omne cessit tam in coelis quam in terra jus ac potestatem, exercebitur: in quo tunc universi simul sistentur homines atque excepta judicis sententia alii quidem beatitudine et vita fruentur aeterna, alii vero damnationem et poenas aeternas sustinebunt (2. Cor. 5). Discernitur etiam hoc pacto judicium istud a reliquis judiciis, quae quovis tempore partim a deo partim ab hominibus hic exercentur et temporanea sunt, attamen hujus aeterni certissima argumenta.

Paed. Quo apparatu venturus est Christus, tum qua severitate judicium in homines dabit? Puer. Cum venerit filius hominis (verba recito ipsius Christi, Matth. 25) in gloria sua et omnes sancti angeli cum eo — possidete regnum paratum vobis ab exordio mundi. Post pauca: Tunc dicet et his qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Et hi quidem ibunt in supplicium aeternum, justi vero in vitam aeternam.

Paed. Quivis ista secum reputans merito cohorresceret. Quis autem in tali judicio consistat? Puer. His quos scelerum premit conscientia, nihil mirum si tempus illud sit formidabile. At vero pii tantum abest ut percellantur, ut etiam vehementer exoptent Christum cito advenire, utpote scientes se tunc omnibus malis eximendos et quietem ac gloriam accepturos sempiternam (Rom. 8. 2. Thess. 1).

Paed. Cur Deus tempus adventus Christi ad judicium vult homines latere? Puer. Permulta quidem signa omnibus seculis Christum certo et propediem adventurum praenuntiant (Matth. 24. 25): idcirco vero tempus ignoramus definitum, ut per omnem vitam simus diligentes et sic fidem exerceamus, caritatis proferamus fructus, spem fulciamus Divinis promissionibus, tanquam quovis momento temporis ad tribunal Christi rapiendi, ubi immutabilem de nostra absolutione vel damnatione audiamus sententiam. Deum autem Patrem caelestem supplex oro, quo mentem et actiones nostras omnes spiritu suo sancto tantisper gubernet, dum tandem cum ovibus sistamur ad filii sui Jesu Christi dextram, ex cujus ore laetam excipiamus vocem: Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis a mundi exordio. Amen.

Finis.

Preces Quotidianae.

Mane.

Deus optime et aeterne, qui potentia quidem tua solem ac lunam condidisti ad diei noctisque distinctionem, providentia vero tua constituisti, ut homines noctu dulcem capiant quietem, interdiu autem laborent: gratias tibi ago, qui me hac nocte tamdiu dormientem, dum praesentis diei initio expergiscerer, incolumem servaris. Faxit proinde tua bonitas, ut sancti Spiritus tui ductu animi mei cogitationes, dicta factaque mea omnia in iis rebus occupentur, quae cum luce et filii tui Jesu Christi, qui solus vera est lux omnem hominem prodeuntem in mundum illuminans, doctrina ac voluntate congruunt: cunctis vero his quae a me fient, tua imprimis illustretur gloria, homines deinde ad celebrandum tuum nomen, ad veram pietatem atque virtutem excitentur, per eundem Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum. Amen. (Gen. 1. Psalm. 104. Rom. 8. Phil. 2. Joan. 1. 1. Cor. 10. Matth. 5.)

Vesperi.

Domine Deus indulgentissime Pater, pro beneficiis tam internis quam externis, quibus tum animum tum corpus meum hodie affecisti, gratias clementiae tuae ago et habeo. Si qua in re officium fidei aut caritatis declarandae ergo praestiti, gratum id tibi esse percupio, ut cujus unius spiritui ac gratiae acceptum illud ferre debeam. Ceterum quae sive ignorantia sive infirmitate sive vitiositate mea atque culpa sanctae voluntati tuae repugnantia admisi, ea supplex peto per filium tuum Jesum Christum advocatum redemptorem ac dominum meum remitti, cum re vera si justitiae tuae et meorum criminum, quorum nullum tibi latere valet, habere volueris rationem, me in tuo conspectu nullo modo posse subsistere certo sciam. Porro ut hac quoque nocte pro solita bonitate tua mei curam suscipias, quin etiam provideas, ne mens mea in cogitationes vel opera tenebrarum, quae acerbe odisti ac mortem, cujus imaginem in somno experimur, afferunt, quovis pacto delabatur, sed potius ad filium tuum Jesum Christum, qui lux vera est etiam in tenebris lucens vigilet ac suspiret, donec dies illucescat, demisso animo iterum atque iterum oro per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit et regnat in omne aevum. Amen. (1. Thess. 5. Gal. 5. Luc. 17. Phil. 2. Psalm. 25. Rom. 8. Psalm. 51. 1. Joan. 2. Gal. 3. 4. Hebr. 4. Psalm. 130. Matth. 6. 1. Petr. 5. Joan. 3. Rom. 13. Eph. 5. Joan. 1. Psalm. 63.)

Ad studia.

Tu, sapientissime Pater caelestis, omnis scientiae ac sapientiae fons es et origo: tu omnium hominum animis tui tuaeque voluntatis instillas cognitionem, tu intelligentiam, judicii gravitatem, prudentiam, rectum consilium ceteraque Spiritus sancti eximia dona, quibus et quemadmodum tibi placet, confers, sed et parvulorum, immo infantium et lactentium mentes instituis et fingis ora, ut te laudibus efferant. Precor igitur, ingenium meum cum ad disciplinam pietatis tum ad quascunque bonas

artes docile efficias, ut ubi exemplo et auxilio filii tui Jesu Christi in vera sapientia et gratia et aetate progressus coram te et hominibus aliquos habuero, ad amplificandam propagandamque nominis tui et ejusdem filii tui gloriam et ad hominum commoda, omne meum deinceps referam studium et conatum, per eundem Christum Dominum nostrum. Amen. (Prov. 2. Rom. 2. 1. Cor. 12. Matth. 11, 21. Psalm. 8. 119. 1. Cor. 1. Luc. 2. 1. Cor. 10. Col. 3.)

A studiis.

Pro iis quae voluisti, Deus pater caelestis, a me in elementis pietatis atque in praeclaris artibus percipi, gratias tibi ago maximas. Siquidem compertum habeo, nisi pro insigni tua bonitate tu annueris et concesseris, tam praeceptores quam me omnem perdere operam. Perfice igitur, ut hoc profectus mei certo judicio atque sensu et docentium animi excitentur ad majorem in dies diligentiam et ego ad discendum accedam quotidie aptior alacriorque, unde porro occasio et causa dabitur te pro amplissimis in me beneficiis perpetuo celebrandi ac praedicandi, qui cum filio tuo Jesu Christo et Spiritu sancto semper vivis et regnas. Amen. (Prov. 2. Jac. 1. Psalm. 127. Ephes. 1. Col. 1.)

Ad lectionem vel auditionem sacrarum literarum.

Visum tibi est, o Deus Pater caelestis, omne tuum de salute nostra consilium certis voluminibus scriptis ad ecclesiae universae adeoque singulorum hominum institutionem patefacere. Da igitur, ut Spiritus sanctus, qui prophetarum et apostolorum, a quibus libri illi sunt editi, informavit mentes, idem meum quoque intellectum et sensus omnes excitet, purget, erudiat: quo quae cupide in illis lego vel audio, recte atque simpliciter cum ceteris quos eligis parvulis queam intelligere: ex iis vero quae assecutus fuero prudenter excerpam, quod ad doctrinam et redargutionem, ad institutionem et correctionem, denique ad consolationem prodest: haec autem simul omnia religiose semper convertam, primum ad sanctificandum tuum in terris nomen, deinde ad fidei meae stabilitatem, ad testificationem obedientiae, denique ad omnium hominum, quibuscum quotidie versor, aedificationem, per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat cum eodem Spiritu sancto in omne aevum. Amen. (2. Tim. 3. 2. Petr. 1. 1. Cor. 2. Col. 2. 1. Rom. 10. Matth. 11. Psalm. 119. 2. Tim. 3. Matth. 6. Phil. 3. 1. Thess. 5.)

8. Die Konfirmandenfragen. Aus der Hessischen Kirchordnung von 1566.

Frag vnd Antwort für die Kinder, so da söllen Confirmiert vnd zum erstenmal zur Communion zugelassen werden.[1])

Frage:[2]) Bistu ein Christ? **Antwort:** Ja, Herr.

Fr. Woher weist du das? **A.** Daher, Das ich getaufft bin vff den Namen vnsers Herrn Jesu Christi, vnnd die Christlich Lehr weiß vnd gleube.

Fr. Welches ist dann die Christliche Lehr? **A.** Die Gott selbst im Paradeis den ersten Eltern gegeben, den Vättern vnd Ertzuättern offenbaret durch Moisen, die Propheten, seinen einigen Sohn Christum Jesum vnd die Aposteln erkleret vnd mit vielfaltigen Wunderwercken bestetiget, vnd das es sein wort sei, offentlich bezeuget vnd bewiesen hat.

Kurtzer mag mann also Antworten: Die in den Schrifften Moise, der Propheten vnnd Aposteln verfasset vnd begriffen ist.[3])

Fr. Wie viel Heuptstück hat die Christliche Lehr? **A.** Fünffe. 1. Die zehen Gebott; 2. Die Artickel des Christlichen glaubens; 3. Das Gebet des Herrn; 4. Das Sacrament der heiligen Tauffe; 5. Das Abendmal des Herrn oder das Sacrament des Leibs vnd Bluts vnsers Herrn Jesu Christi.

Fr. Warzu dienen diese allesampt in gemein? **A.** Das wir erkennen erstlich, wer wir seien vnd wie wir mit vnserm Herrn Gott stehen; darnach, wer vnser Herr Gott sei vnd wie wir mit jm mögen versünet vnnd vereiniget werden.

Fr. Sage her die zehen Gebott Gottes. **A.** Das Erst Gebott: Du solt nicht andere Götter haben. Das ander: Du solt den Namen deines Gottes nicht vnnützlich füren. Das dritte: Du solt den Feyertag heiligen. Das vierdte: Du solt deinen Vatter — vff Erden — Das zehende: Du solt nicht begeren deines nechsten Weib, Knecht, Magdt, Vihe oder was sein ist.[4])

---

[1]) Da aus diesen Fragen der spätere hessische Katechismus, sowohl der Kasseler von 1607 wie der Hessen-Darmstädter von 1623, erwachsen ist, geben wir die Zusätze dieser beiden heute noch zu Recht bestehenden Formen des hessischen Katechismus in den Anmerkungen an. Dazu liegt uns der von 1607 in dem Abdruck bei Müller, Die Bekenntnisschriften der reformierten Kirche 1903 (p. 822—832) vor und der von 1623 in der Ausgabe von 1661, wie sich dieselbe in: „Agenda, Das ist: Kirchen-Ordnung, wie es im Fürstenthum Hessen . . . gehalten werden soll . . . Darmstadt 1724“ findet.

[2]) „Frage“ und „Antwort“ fehlen im Original.

[3]) 1607 und 1623 haben nur die kurze Form.

[4]) 1607 und 1623 geben auch Luthers Auslegung. 1623 hat im 1. Gebot, dessen Text nur: „Du solt kein andere Götter haben neben mir“ lautet, in der Auslegung: „und ihm allein vertrawen“; 2. Gebot: „unnützlich führen“, ohne Drohung; 4. Gebot mit Verheißung; 9. Gebot: „begehren“; 10. Gebot: „begehren“; in der Auslegung: „bey denselben anhalten“; Schluß: „starcker eifferiger Gott“. — 1607 dagegen gibt den Dekalog in reformierter Zählung, setzt die Überschrift: „Das

Fr. Was sagt nun Gott von diesen Gebotten allen? **A.** Er sagt also: Ich der Herr, dein Gott, bin ein Eiueriger Gott — in tausend glied. Exodi 20. Item:[1]) verfluchet sei, Wer nit alle diese wort des gesetzes erfüllet, das ers thue Deut. 27.

Fr. Warzu seint vns die zehen Gebott Gottes nütz? **A.** Zu zweierley: Erstlich zeigen sie die sünde vnd offenbaren Gottes zorn vber die sünde, dardurch wir verursacht werden, vergebung der sünden vnd trost wider Gottes zorn vnd den ewigen todt bei vnserm Heiland Jesu Christo zu suchen. Zum andern leren sie, welches die gute werck seien, so die gleubigen vnnd newgeborne zuthun schuldig seint, jren gehorsam vnd danckbarkeit gegen den gnedigen Vatter im Himmel damit zu beweisen.[2])

---

erste Hauptstück, vom Gesetz des Herrn" voran und lautet dann folgendermaßen: 1. Wie wird das Gesetz des Herrn abgeteilt? Erstlich in zehn Worte oder Gebote, und dieselbigen wiederum in zwei Tafeln, also daß Gott in der ersten Tafel die Gebote von seiner Liebe, in der andern aber die Liebe des Nächsten beschrieben. — 2. Wie lautet das erste Gebot? Ich bin der Herr, dein Gott, der ich dich aus Agyptenlande, aus dem Diensthause, geführt habe, du sollst keine anderen Götter neben mir haben. 3. Was ist das? Wir sollen Gott vor allen Dingen recht erkennen, über alles fürchten, lieben und ihm allein vertrauen. — 4. Wie heißt das andere Gebot? Du sollst dir kein Bildnis — und diene ihnen nicht, denn ich, der Herr, dein Gott, bin ein eifriger Gott, der da heimsuchet der Väter Missethat an den Kindern bis ins dritte und vierte Glied derer, die mich hassen, und thue Barmherzigkeit an vielen Tausenden, die mich lieb haben und meine Gebote halten. 5. Was ist das? Wir sollen Gott fürchten und lieben, daß wir ihn auf keinerlei Weise abbilden, auch durch und vor keinen Bildern, oder nach unserem eigenen Wahn und Gutdünken, sondern allein nach seinem Wort dienen und ehren. — 6. Wie heißt das dritte Gebot? Du sollst den Namen des Herrn, deines Gottes, nicht mißbrauchen, denn — Namen mißbraucht. 7. Was ist das? Wir sollen Gott fürchten und lieben, daß wir bei seinem Namen — loben und danken. — 8. Wie heißt das vierte Gebot? Gedenke des Sabbathtages, daß du ihn heiligest: sechs Tage — in deinen Thoren ist. Denn in sechs Tagen hat der Herr Himmel und Erde gemacht, und das Meer, und alles, was darinnen ist, und ruhete am siebenten Tage. Darum segnete der Herr den Sabbathtag und heiligte ihn. 9. Was ist das? Wir sollen Gott fürchten und lieben, daß wir die Predigt — gerne hören und lernen. — 10. Wie heißt das fünfte Gebot? Du sollst deinen Vater und deine Mutter ehren, auf daß du lange lebest im Lande, das dir der Herr, dein Gott, gibt. 11. Was ist das? Wir sollen Gott fürchten und lieben — lieb und wert haben. — 6.—9. Gebot = 5.—8. Gebot bei Luther. — 20. Wie heißt das zehnte Gebot? Laß dich nicht gelüsten deines Nächsten Hauses, laß dich nicht gelüsten deines Nächsten Weibes, noch seines Knechtes, noch seiner Magd, noch seines Ochsen, noch seines Esels, noch alles, was dein Nächster hat. 21. Was ist das? Wir sollen Gott fürchten und lieben — Hause stehen, noch ihm sein Weib, Kinder, Gesinde oder Vieh — was sie schuldig sind; ja, daß wir uns vor allen bösen Lüsten, Begierden und Gedanken wider unsern Nächsten und die Gebote des Herrn hüten. — 22. Was sagt nun Gott von diesen Geboten allen? Er sagt also: Verflucht sei, wer nicht alle diese Worte des Gesetzes erfüllet, daß er's thue, 5. Mose 27, 26. Welcher Mensch aber dieselbigen thut, der wird dadurch leben, 3. Mose 18, 5—23. Was ist das? Gott dräuet zu strafen — thun nach seinen Geboten.

[1]) Dieser Zusatz fehlt in 1623.

[2]) Hier fügt 1623 folgenden Passus ein: Können wir dann auch mit unsern guten Wercken Gottes Gebot und Gesetz erfüllen? Ach nein, dann unser gute Wercke sind nicht vollkommen gut, dieweil wir arme Sünder sind; und wann wir schon wollen Guts thun, so ligt uns das Böse an, Rom. 7. — Wer hat dann das Gesetz und die zehen Gebott GOttes erfüllet? Christus JEsus, GOttes und Mariæ Sohn; der ist gantz heilig und gerecht; der hat für uns dem Gesetz genug gethan, anders nicht, als ob wir selbst das Gesetz gehalten hätten; umb desselben willen gefallen GOTT

Fr. Welches seint die Artickel vnsers Christlichen Glaubens? **A.** Das seint sie:

Der Erste von der Schöpffung: ICH Gleube an Gott den Vatter, Almechtigen — der Erden.[1])

Der ander von der Erlösung: VND an Jesum Christum, seinen einigen Sohn — vnnd die todten.

Der dritte von der Heiligung: ICH gleube an den heiligen Geist — die gemeine der Heiligen — ewiges leben. Amen.[2])

Fr. Warzu dienen vns die Artickel des Christlichen Glaubens? **A.** Das wir vnsern Gott daraus erkennen lernen, wer er sei in seinem wesen vnd was sein gnediger wille gegen vns sei.

Fr. Wer ist dann nun Gott in seinem wesen? **A.** Er ist Gott der Vatter, welcher den Menschen vnnd alle Creaturen vmb des Menschens willen erschaffen hat; Gott der Sohn, welcher mit seiner Menschwerdung, leiden, sterben vnd aufferstehung den Menschen von sünden vnd ewigen todt erlöset hat; Vnd Gott der heilig Geist, welcher die Menschen heiliget, dz ist durch den dienst des Euangelij zu recht bringet vnnd darbei erhelt; drei vnderschiedliche Personen in einem einigen ewigen, vnzertrenlichen wesen. — Kürtzer also: Es ist Gott der Vatter, Gott der Sohn, Gott der heilig Geist, drei vnterschiedliche Personen in einem einigen, ewigen, vnzertrenlichen wesen.[3])

Fr. Was ist der gnedige wille Gottes? **A.** Das er vns, welche er erschaffen, durch seinen einigen Sohn erlöset vnd durch den heiligen Geist in seine gemeine gesamlet vnnd geheiliget hat, wil vnsere sünde vergeben vnd nach diesem elenden, vergenglichen leben setzen in das ewige selige leben. — Kürtzer also: Das er vns wil vnsere sünde vergeben vnd mittheilen das ewige selige leben.[4])

Fr. Warzu nutzet vns die erkantnus Göttliches wesens vnd willens? **A.** Das wir daraus einen rechten glauben vberkommen vnd durch den glauben selig werden.[5])

---

auch unsere gute Wercke, die wir durch GOttes Gnade im Glauben thun, ihm zu seinem Lob und Ehren, unserm Nächsten zu Dienst, ob schon Mangel an denselbigen ist.

[1]) 1574 verbindet „Allmächtigen" mit „Vater", ebenso die liturgischen Formulare.

[2]) 1607 und 1623 fügen die Erklärung Luthers bei.

[3]) 1607 und 1623 bieten nur die kurze Form dar. 1623 fügt noch ein: Sind dann drey Götter? Nein, es ist nur ein einiger GOtt, welcher sich in dreyen unterschiedlichen Personen geoffenbahret hat.

[4]) 1607 und 1623 haben nur die kurze Fassung.

[5]) 1607 schiebt hier zwei Fragen ein: Was ist der seligmachende Glaube? Es ist nicht allein eine bloße Erkenntnis und Beifall, sondern ein herzliches Vertrauen zu Gott, daß er mir meine Sünden wegen des teuren Verdienstes Jesu Christi, unseres einigen Mittlers, vergebe, die Gerechtigkeit und ewige Seligkeit aus Gnaden schenke. — Woher kommt denn solcher Glaube? Er kommt nicht aus unsrer eignen Vernunft noch Kraft, sondern vom heiligen Geist, welcher denselben durch die Predigt des Evangeliums wirket und schafft. — 1623 schiebt folgende sieben Fragen ein: Welche unter den dreyen Personen ist Mensch worden? Die ander Person, als nemlich der ewige Sohn Gottes. — Wer ist nun Christus unser Erlöser in seiner Person? Er ist warhafftiger GOtt, vom Vatter in Ewigkeit gebohren, und auch warhafftiger Mensch, von der Jungfraw Maria gebohren, mein HErr. — Oder kürtzer? Er ist warhafftiger GOTT und Mensch, oder GOttes und Marien Sohn. — Welches ist dann die grosse Wolthat dieses deines Erlösers JEsu Christi? Er hat mich armen ver-

Fr. Wie laut das Gebet des Herrn? **A.** Es lautet also: VNser Vatter, der du bist — wie im Himmel, also auch vff Erden — von dem vbel — in ewigkeit. Amen.[1])

Fr. Warzu dienet das Gebet des Herrn? **A.** Das wir erkennen alles, was zu vffenthaltung dieses zeitlichen vnd erlangung des ewigen lebens gehört, künt mann nirgends anders woher haben dann von Gott, vnd es derhalben von jm mit gleubigem Hertzen bitten vnd erlangen.

Fr. Was seind die heiligen Sacrament? **A.** Es seind Göttliche handelunge, darinnen Gott mit sichtbaren zeichen[2]) die vnsichtbare verheissene gnade vnd güter versiegelt vnd vbergibt.[3])

Fr. Warzu seind die Sacrament eingesetzt? **A.** Zur bestetigung vnsers glaubens an die Göttlichen verheissunge.

Fr. Wie viel seind Sacrament im newen Testament? **A.** Zwei, die Tauffe vnd das Abendmal des Herrn.

Fr. Was ist die Tauffe? **A.** Es ist ein Göttliche handelung, in welcher vns Gott durchs Wasserbad vnnd wort vnsere sünde gnediglich vmb Jesu Christi willen vergibt, nimpt vns an zu kindern vnd machet vns zu Erben aller seiner Himlischen güter.[4])

---

lohrenen und verdampten Menschen erlöset, erworben und gewonnen von allen Sünden, vom Todt und von der Gewalt des Teufels. — Warumb hat er dich erlöset? Auff daß ich sein eigen seye und in seinem Reiche unter ihm lebe, ihm diene in ewiger Gerechtigkeit, Unschuld und Seeligkeit. — Glaubstu auch, daß Christus, dein HERR, bey seiner lieben Kirchen allhie auff Erden und auch bey dir sey? Ja, mein lieber HErr Christus, wahrer GOtt und Mensch, ein HErr über alles, ist nach seiner Verheissung bey mir und allen seinen Gläubigen; der ist mein HErr und König, welcher, wie er mich erlöset hat, also schützt und schirmt er mich auch und will mich endlich in sein herrliches Reich nach diesem Leben auffnehmen. — Wodurch wirst du vor GOtt gerecht und seelig? Durch kein ander Werck als durch den gantzen allerheiligsten Gehorsamb meines HERRN und Erlösers JEsu Christi und durch sein allerbitterstes Leiden und Sterben, das halt ich mit festem Glauben, und darauff stehet all meines Hertzens Vertrawen und Zuversicht. — Woher kompt die Bekehrung zu GOTT und der Glaub an Jesum Christum? Es ist eine Gabe des Heiligen Geistes, der wircket und gibt mir sie durch sein heiliges Wort und Evangelium und die heiligen Sacramenta.

[1]) 1623 fügt die Erklärung Luthers bei (4. Bitte: „daß er uns solches erkennen lasse"; „denn dein ist das Reich — Ewigkeit" fehlt; es heißt statt dessen nur mit Luther: „Was heist Amen?"). — 1607 gibt zuerst das Vaterunser ohne Auslegung mit den Schlußworten: „denn dein ist das Reich etc."; dann die bekannten Einteilungsfragen; darauf das Vaterunser mit Luthers Auslegung (4. Bitte wie 1623); nach der Auslegung der siebenten Bitte folgt: „Wie lautet der Beschluß des Herrn Gebets? Denn dein ist das Reich — Ewigkeit. Amen. Was ist das? Wir erkennen hiermit, daß uns Gott dieses alles, welches wir bitten, geben wolle und könne, zu Lob und Preis seines herrlichen Namens. — Was heißt Amen? Daß ich soll gewiß sein — also geschehen."

[2]) 1623 schiebt nach „Zeichen" in Klammern ein: oder in seinem Wort verfaßten Elementen.

[3]) 1607: die unsichtbare Gnade und verheißene Güter nicht allein anbildet, sondern auch versiegelt und übergibt.

[4]) 1623 fährt dann fort: „Oder: Die Tauff ist nicht allein schlecht Wasser, sondern sie ist — Wort verbunden." Darauf folgt der weitere Teil des 4. Hauptstücks nach Luther. — 1607: Was ist die Taufe? Es ist eine göttliche Handlung, in welcher uns Gott mit dem sichtbaren Wasserbad im Wort die unsichtbare Gnade und verheißene Güter, nämlich den heiligen Geist und das Blut Jesu Christi, so uns wäschet und reiniget von allen Sünden, nicht allein anbildet, sondern auch versiegelt und übergibt (Luthers Antwort fehlt).

Fr. Wie lauten die Wort der Einsatzung der heiligen Tauffe? **A.** Also: Matthei am letzten: Gehet hin in alle Welt, leret alle Völcker — des heiligen Geistes. Vnd Marci am letzten: Wer da gleubt vnd getaufft wirt — verdampt.[1])

Fr. Warzu nützet vns die Tauffe? **A.** Das wir damit versichert werden, Gott hab vns zu seinen Kindern angenommen vnd wölle sich in allen dingen als ein gnediger, gütiger Vatter gegen vns erzeigen.[2])

Fr. Was ist das Abendmal vnsers Herrn Jesu Christi? **A.** Das Abendmal des Herrn ist ein Sacrament oder Göttliche handlung, da der Herr Christus selbst gegenwertig ist vnd vbergibt vns mit Brot vnd Wein seinen waren Leib vnd Blut zur gewissen versicherung, das wir vergebung der sünden haben vnnd mit jm in ewigkeit leben söllen.[3])

Fr. Welchs seint die wort der Insatzung des Abendmals des Herrn? **A.** VNser Herr Jesus Christus — trincket zu meinem gedechtnus.

Fr. Warzu ist vns das Abendmal des Herrn nütz? **A.** Wir werden damit versichert, das, ob wir gleich vnsern Vater im Himmel erzürnet haben, will er doch vns solchs verzeihen vnd vnser gnediger Vatter sein vnnd bleiben. Vnd ist also die Tauff ein versicherung, das vns Gott zu Kindern angenommen hat, Das Abentmal aber, das er vns vnsers vngehorsams nicht will entgelten lassen.[4])

---

[1]) Diese Worte fehlen natürlich in 1623, da sie hier als Teil der Lutherschen Erklärung auftreten; 1607 hat sie dagegen.

[2]) Diese Frage samt ihrer Antwort fügt 1623 nach der Mitteilung des vierten Hauptstücks nach Luther am Ende an und daneben noch diese: Warumb sprichst du in der Außlegung des Catechiſmi: „Die Tauffe wircket Vergebung der Sünden, erlöset vom Todt und Teuffel und gibt die ewige Seeligkeit“, so doch allein der HErr Christus solches gethan hat? Der HErr Christus hat uns dieses alles erworben in seinem Leyden und Sterben, aber mit der heiligen Tauff hat ers uns geschencket und zugeeignet. — 1607 fährt nach der aus 1566 stammenden Frage: „Wozu nützet uns die Taufe“ samt daher genommener Antwort also fort: „Wo stehet dieser Nutz geschrieben? Zu Tito am dritten Kapitel: Gott macht uns selig nach seiner Barmherzigkeit durch das Bad — das ist gewißlich wahr.“ Dann kommt die letzte Frage: Was bedeutet denn solch Wassertaufen? und: Wo steht das geschrieben? [Heute steht vor dieser Frage nach der Bedeutung noch: „Wie kann Wasser solche große Dinge thun?“ mit Luthers Antwort, aber ohne daß Tit. 3 ausgedruckt wäre.]

[3]) 1607 hat statt dessen folgende Antwort: Das Abendmahl des Herrn ist ein Sakrament oder göttliche Handlung, da der Herr Christus, selbst gegenwärtig, uns mit dem sichtbaren Brot und Wein die unsichtbare Gnade und verheißene Güter, nämlich seinen wahren Leib, für uns gebrochen, und sein wahres Blut, für uns vergossen zur Vergebung unserer Sünden, nicht allein anbildet, sondern auch versiegelt und übergibt. — 1623 gibt dieselbe Antwort wie 1566, schließt dann aber das ganze 5. Hauptstück nach Luther (auch die erste Frage) an und setzt die Frage: „Worzu ist uns das Abendmahl deß HErren nutz?“ mit der Antwort aus 1566 an den Schluß der Lutherschen Auslegung. Außerdem folgen dann hier noch folgende zwei Fragen: Was empfängst du nun im heiligen Abendmahl? Den wahren Leib und Blut meines HErren JEsu Christi unter dem Brodt und Wein. — Warumb gehest du zum Tisch des HERRN? Daß ich meinen Glauben an den HERREN Christum durch die Niessung seines Leibs und Bluts stärcke und meine arme Seele tröste.

